# GUILJELMI AMESIJ DE COSCIENTIA, ET EIUS IURE, VEL CASIBUS, ...

William Ames




NAZIONALE
VITT. EMANUELE
14
22 H
2 M


Guiljelmi Amesij,
DE
CONSCIENTIA,
ET EIVS IVRE,
vel
CASIBVS,
LIBRI QVINQVE.
editio Nova
Iob. 34. 29.
Quum ipse tranquillat,
quis inquietabit: et quum
abscondit faciem, quis
contemplabit eum:
Cum Privilegio.
Amstelodami,
Ex Officina
BOOMIANA
1670



# ILLUSTRIBUS
ET
*Præpotentibus Dominis,*

# D. ORDINIBUS ZELANDIÆ.





ON eſt mihi animus (Viri honorandi) phaleratis verbis, & fucatis encomiis, me, meoſve conatus, in favorem Veſtrum inſinuare. Neque enim id gratum autumo Viris prudentibus, quibus artificium illud ſuſpectum eſt & ſordet; & me (aliàs non admodum deditum aſſentationi) titulus ipſe Conſcientiæ huic ſcripto præfixus, procul habere jubet vanitatem illam blandiloquentiæ, qua multi libri non contemnendi, in ipſo limine dehoneſtantur. Veram tantummodo cauſam dicam, qua eo adductus fui, ut quamvis nomen meum obſcurius



ILLUSTRIBUS
ET
*Præpotentibus Dominis,*





# D. ORDINIBUS ZELANDIÆ.



ON eſt mihi animus (Viri honorandi) phaleratis verbis, & fucatis encomiis, me, meoſve conatus, in favorem Veſtrum inſinuare. Neque enim id gratum autumo Viris prudentibus, quibus artificium illud ſuſpectum eſt & ſordet; & me (aliàs non admodum deditum aſſentationi) titulus ipſe Conſcientiæ huic ſcripto præfixus, procul habere jubet vanitatem illam blandiloquentiæ, qua multi libri non contemnendi, in ipſo limine dehoneſtantur. Veram tantummodo cauſam dicam, qua eo adductus fui, ut quamvis nomen meum obſcurius forſan ſit quam ut pervenerit ad noti-

tiam Vestram. Vestrum tamen nomen in fronte hujus Tractatus ponam.

Annunciatur per omnia loca vicina, pietatis doctrina, in Vestris Ecclesiis, magis efficaciter ad praxin cum à pastoribus dirigi, tam ab auditoribus transferri, quàm in plerisque aliis cœtibus, eadem licet veritatis doctrina confœderatis, hactenus datum est observare. Hac laude conspicuus, & per omnes Ecclesias Belgicas insignis fuit (ut nihil de aliis dicam, qui eisdem vestigiis institerunt & adhuc insistunt) eximius Dei servus, D. GUILIELMUS TELINGIUS, qui in isthoc genere fidelem operam, quà publicè, quà privatim, tam voce quàm scriptis, adeo navavit, ut hic ipse zelus domus Dei illum comedisse verè dicatur, unde etiam (invidia virtutis talis comite jam superata) coronam illam adeptus est, quam Deus illis præparavit qui multos ad pietatem erudierunt.

Ad hujusmodi studia magis excitanda quia nonnihil valiturum hoc scriptum, jussu multorum haud aspernando, spero, maximè consentaneum videtur, ut eò à me imprimis dirigatur, ubi currentes inveniat in hoc stadio facilè irritandos; & unde

unde alii exemplum ſumant curſus illius qui hic docetur. Hæc inſcriptionis cauſa vera, mihi etiam eſt cauſa ſperandi, animum & officium hoc meum Vobis non ingratum futurum. Quod unum reſtat, Ampliſſimi viri, Deum Optim. Max. veneror in Chriſto, ut Vos Eccleſiaſque Veſtras, fide vera, conſcientia bona, & ſolida felicitate magis magiſque beare dignetur.

A. V. D.

*Studioſſimus,*

GUILIELMUS AMESIUS.

# AD
# LECTOREM.

GRata mihi ſemper illius temporis recordatio, quando juvenis olim audivi CL. D. PERKINSIUM, in egregia ſtudioſorum corona ita concionantem, ut eoſdem ſolide inſtituerit in veritate, efficaciter excitaverit ad ſtudium pietatis, inſtructos reddiderit ad regnum Dei, & ſimul etiam exemplo ſuo ipſis monſtrarit, quibus rebus præcipuè intenderent, ut religionem veram, in potentia ſua, ad Dei gloriam, & ſalutem homiuum, feliciter poſſint promovere.

Inter alia verò quæ magno cum fructu nobis inculcabat, aggreſſus eſt tandem informationem linguæ eruditæ, quæ tempeſtivè eloquatur verbum defeſſo, ex Iſai. 50. v. 4. Conſcientiæ (ut appellantur) caſus diligenter enodando. Et eum quidem ſic facientem, ut ſervum fidelem, Dominus ejus invenit; Multos tamen reliquit illius doctrinæ ſtudio accenſos, qui eandem etiam piis concionibus per Angliam noſtram, Deo adſpirante, currere, creſcere, & glorificari fecerunt.

Mihi etiam ab illo tempore, idem ſtudium ita fixum inhæſit ut dignum illud ſemper cenſuerim quod omni cura ab omnibus excoleretur. Quum igitur (bona Dei providentia ita diſponente) extra patriam agens, obſervabam, in variis Eccleſiis, doctrina & ordine puris, deſierari admodum

*modum hanc practicam institutionem , eumque defectum inter præcipuas causas esse magni neglectus, aut non curantiæ in officiis nonnullis intime pertinentibus ad virtutem pietatis & vitæ Christianæ ; incesßit animum impetus quidam , privatim saltem tentandi an possem id efficere apud juvenes quosdam , ministerium sacrum cogitantes , ut magis applicarent animos ad istum modum Theologiæ tractandæ , ex quo non exiguus fructus mihi videbatur sperandus. Postea etiam ad publicum inter Academicos docendi munus vocatus , nihil prius vel antiquius habendum putavi , quàm ministerii candidatis in hoc docendi genere præire. Quod enim hæc pars prophetiæ in scholis prophetarum hactenus minus fuerit exculta , hoc inde fuit , quod primipilares nostri perpetuo in acie adversus hostes pugnare , fidem propugnare , & aream Ecclesiæ purgare , necesßitate quadam cogebantur ; ita ut agros & vineas plantare & rigare non potuerint ex voto , sicut bello fervente usu venire solet. Cogitabant interim secum , ut non nemo profitetur* , si nobis adsit simplex ac lucidus ille oculus ex Euangelio , si domus animi puræ fidei lucernam habeat candelabro impositam , minuta ista facilè iri discussa. *Sed experientia tandem docuit , ex agriculturæ hujus neglectu , famem pietatis in multis locis esse secutam & ex illa fame , gravem pestem spiritualem : atque adeo Nehemiæ consilium dignum esse quod in usum hic revocetur , ut scilicet una manu sua*

 quis-

*quisque agat in hoc opere, altera tenente hastam aut missile quo hostium violentiam propulset. Eadem etiam experientia docuit, minuta ista (si modo ita vocanda sint tam necessaria) non minore cum insania contemni, quàm si quis digitos pedum ac manuum præscindi sibi pateretur, ut minuta quædam, sine quibus commode satis incedere & manibus uti se posse speraret.*

*Omnibus igitur benè expensis, aggressus sum Deo (ut persuasum habeo) benè favente, institutiones hasce de conscientiæ jure. Non quod perfecti aliquid in isthoc genere, à me proficisci posse sperarem: plures enim sunt rerum humanarum species quàm ut ad singula possint (à me saltem) dari certa responsa: sed ut aliquid in medium conferrem, quo juvari nonnihil possint imperiti, & melioribus subsidiis destituti; & peritiores excitari ad accuratius aliquid elaborandum. Cujus officii debitores proprii videntur esse pastores illi pii, docti, graves, veterani, quorum negotium quotidianum est, conscientias hominum tractare; quique experientia sua, melius multo didicerunt, quænam sint illæ quæstiones in quibus conscientia maximè solet hæsitare, & ex quibus fundamentis optimè possint explicari, quàm in Academicæ professionis umbratica vita comprehendi facilè potest. Et certè quidem, si in conventibus pastorum Classicalibus talia tractarentur, pro varietate casuum occurrentium, & insigniores decisiones literis consigna-*

*narentur non opus esset ut filii Israëlitarum descenderent ad Philisthæos (id est nostri studiosi ad Pontificios authores) ad poliendum quisque vomerem suum, aut ligonem suum, aut securim suam, aut rutrum suum, sicut olim accidit in maxima angustia populi Dei* 1 *Sam.* 13. *v.* 20. *Si insuper ministerio sacro destinati prius in hisce rebus instituti, de eisdem etiam in examine ordinatione prævio, serio explorarentur, benè sperandum esset, quod tam pastores quam Ecclesias haberemus magis secundum cor Dei & Christi, quam nunc habemus.*

*Multum hic laborarunt Pontificii, ad instructionem suorum Confessariorum: & cum multo luto superstitionum, nonnullas venulas habent argenti: ex quibus non contemnenda quædam eruisse me confido. Verum enimvero, destituuntur illi hujus doctrinæ vita: & mors est in ipsorum olla. Res ipsa postulat ut ab aliis alia & illa eadem alio modo tradantur. Conatus hoc ego sum ex parte: & præstare alii sine dubio idem conabuntur.*

*Methodum hic eandem sequor, quam in Theologiæ Medulla tradenda, in cujus etiam partem secundam, tres posteriores horum librorum justam continent enarrationem, quam forsan exspectarunt illi qui quotidiano quasi convitio efflagitarunt, ut hujus Tractatus editio aliquo modò præcipitaretur. Sed (ut finem tandem faciam præloquendi) multa paucis concludam, idque verbis G. Parisiensis.* De his rebus multa propter imperi-

 tiam

tiam, multa propter occupationes alias, multa propter ignaviam, multa metu prolixitatis, plurima peccatis facientibus, quæ maxime in talibus & nos & alios impediunt, non ſcripſimus. Morſibus detractorum patere nos non dubitamus. Sed facientes quod poſſumus, occaſionem nonnullam dedimus ſapientibus; & ingeniorum exercitationibus, non aridam arenam infructuoſarum diſputationum propoſuimus, ſed paleſtram perutilem, ac ſalubrem.

De

De

# CONSCIENTIA

ET

# EJUS CASIBUS,

## LIBER PRIMUS.

### CAPUT I.

*Definitio Conſcientiæ*

Conſcientia humana (Angelicæ enim explicationem non aggredimur) eſt judicium hominis de ſemetipſo, prout ſubjicitur judicio Dei: Eſai. 5. 3. *Judicate quæſo inter me & vineam meam.* 1 Cor. 11. 31. *ſi noſmetipſos dijudicaremus, non judicaremur.*

IUdicium appello conſcientiam, primo ut ad intellectum eam pertinere oſtendam, non ad voluntatem. Nomen ipſum hoc oſtendit: & inde idem probatur, quia omnes actiones illæ, quæ conſcientiæ hominis in Scripturis tribuuntur, pertinent propriè ad vim & facultatem aliquam rationis. Eſt tamen inclinatio quædam voluntatis, qua apta nata eſt & imperare judicium intellectui, & idem, etiam ſequi: quæ inclinatio à quibuſdam Conſcientia vocatur, ab aliis pars conſcientiæ, ſed minus rectè.

2. Ad judicium etiam dum refertur, distinguitur à nuda veritatis apprehensione. Conscientia enim assensum aliquem, eumque firmum in sese continet semper.

3. Indicatur per determinationem illam, quæ in definitione habetur, conscientiam non esse Judicium theoreticum, quò verum à falso simpliciter discernitur; sed practicum, quo particulariter illa cognitio applicatur ab homine, ad illud quod ipsi vel bonum est, vel malum, ut sit interna regula dirigens voluntatem.

*a* Cum autem Judicii nomen aliquando accipiatur pro potentia seu facultate, aliquando pro habitu, aliquando pro actu: quæstio hinc oritur, ad utrum horum conscientia propriè spectet?

4. Gravissimus Theologus, G. P. qui solus inter nostros edidit singularem tractatum de conscientia, statuit inter facultates, atque adeo ita definit, ut pro genere ponat partem intellectus, id est, ut ipsemet interpretatur, *naturalem potentiam seu facultatem*. Rationem etiam addit suæ sententiæ: quia nempè actus accusandi, consolandi, & perterrefaciendi, non possunt conscientiæ adscribi, si ipsa esset actus, sed planè invalidam: quoniam effecta istiusmodi tribuuntur in Scripturis ipsis cogitationibus, de quibus non potest dubitari quin sint actus. *Rom.* 2. 15. *cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam defendentibus*. Ratio est, quia res motu factæ, non tantum sunt effecta moventis, sed etiam ipsius motus. Præterea D. P. eodem loco & ordine conscientiam ponit cum intelligentia, opinione, scientia, fide ac prudentia: sed nemo hæc ita definiret, ut habeantur pro distinctis animæ facultatibus.

5. Quidam sunt inter scholasticos, qui conscientiam volunt esse habitum. Scot. Bon. Dur. Quod quamvis concedi possit, de aliqua parte vel prin-

a Sit ne facultas, habitus, an actus?

cipio conscientiæ: simpliciter tamen de illo toto, quod conscientiæ nomine propriè designatur, non potest concedi. Habitus enim qua talis, officium *unicum* est, inclinare ad propriè agendum, sed conscientia alias habet operationes, quas immediate exercet.

*6. Per* judicium igitur in definitione Conscientiæ intelligimus maximè propriè cum Scholasticorum optimis, actum judicii practici, ex facultate *intellectus*, vi certi cujusdam habitus promanantem.

7. Judicium actuale cum sit vel noëticum, vel *dianoëticum*, quæritur cujus generis sit conscientia. Resp. est dianoëticum, hoc inde liquet, quod non potest sua munera præstare, accusandi, excusandi, consolandi, &c. nisi per argumentum aliquod tertium, cujus vis in syllogismo tantum per consequentiam apparet.

*8. a* Conscientiæ igitur vis & natura tali syllogismo continetur: *qui vivit in peccato, morietur, ego in peccato vivo: ergo ego moriar.* Vel sic, *qui credit in Christum, non morietur, sed vivet, ego credo in Christum: ergo non moriar, sed vivam.*

9. Conscientia respectu propositionis, dicitur *lumen & lex* respectu assumptionis, & conclusionis, *testis*; sed respectu assumptionis, aptissime vocatur *index* vel *liber*: & respectu conclusionis, maximè propriè *judex*.

10. Propositionem dictat *συντήρησις* quæ à Scholasticis *synteresis* vocatur. Assumptio per appropriationem vocatur *συνείδησις*, Conclusio est ipsa *κρίσις*.

11. Multi alii sunt syllogismi, qui pertinent ad conscientiam, quatenus vel probant antecedentem partem syllogismi, hujusmodi principalis, vel conclusionem ipsam illustrant: sed illo syllogismo tantum conscientiæ ratio tota continetur, cujus

a Syllogismus conscientiæ.

pro-

propositio agit de jure, assumptio de facto vel statu, & conclusio de relatione exurgente ex facto vel statu nostro, ratione illius juris. Quæ conclusio vel in reatu, vel in securitate quadam spirituali consistit.

## CAPUT II.

### *De Synteresi.*

1. SYnteresis illa ex qua fluit propositio hujus syllogismi, maxime proprie est habitus intellectualis, quo assentimur principiis operationum moralium, vel officium nostrum spectantium, in ordine ad Dei voluntatem: unde etiam nomen habet græcè à conservando, quia Dei beneficio multæ notitiæ rerum agendarum & fugiendarum, in mente hominis etiam post lapsum conservantur. Nimis enim dura & absurda est illa Durandi explicatio, qui synteresin græcè *collectionem* sonare somniat.

2. Quia hæc synteresis est habitus, idcirco multi conscientiam appellant habitum: sed hæc est principium tantum conscientiæ, neque partem ejus constituit, nisi quia est in actu exercito.

3. Synteresis ista habitus dicitur naturalis, respectu luminis quo intellectus hominis aptus natus est ad assensum prebendum hujusmodi principiis; dicitur etiam habitus acquisitus respectu specierum vel completæ perceptionis illius, ad quam intellectus aptus naturaliter existit, & quasi in proxima potentia.

4. Synteresis hæc non nisi ratione differt à lege naturæ, vel à lege illa Dei, quæ est omnium hominum cordibus naturaliter inscripta: est enim lex objectum: & synteresis objectum apprehensum, vel apprehensio objecti.

5. Syn-

5. Synteresis ista, quantum ad actum, potest ad tempus impediri: sed non potest planè extingui, vel amitti. Hinc nemo tam perditus est, ut sit omnis conscientiæ planè expers.

6. Ad synteresin latius acceptam referri debent, non tantum conclusiones generales de jure, ex principiis naturalibus, per certam consequentiam deductæ, sed etiam omnes veritates practicæ, quibus per fidei revelationem certum assensum præbemus.

7. *a* Hinc oritur distinctio conscientiæ in naturalem & illuminatam. Naturalis est, quæ agnoscit pro lege principia naturalia & conclusiones ex iis deductas: illuminata est quæ insuper agnoscit quicquid in scripturis præscribitur, hanc aliquando appellat scriptura, ut *Rom.* 6. 3. aliquando vero illam, ut 1 *Cor.* 6. 9.

8. Hinc adæquata regula conscientiæ, est voluntas Dei revelata quâ homini præscribitur & indicatur suum officium: constat enim synteresis latiore sensu, partim ex principiis moralibus innatis, cum eorum conclusionibus, & partim ex iis quæ Deus insuper homini præscripsit: sed utramque partem constituit voluntas Dei revelata, qua homo intelligit sibi suum officium esse præscriptum.

9. *b* Hinc lex Dei sola obligat conscientiam hominis. Per legem autem Dei intelligimus voluntatem illam Dei revelatam, de qua modo dictum est: ita ut contineat etiam illa, quæ in Euangelio homini præscribuntur.

10. Obligare (sensu hoc morali) est illam authoritatem habere, ut conscientia illi subjicere sese debeat: ita ut peccatum sit, si contra illam quidquam fiat.

11. Hinc quamvis ad justas leges humanas justo modo observandas obligentur homines in con-

*a* *Conscientia naturalis, & supernaturalis,* b Quid sit quod obligat conscientiam.

scientiis

ſcientiis ſuis à Deo : ipſæ tamen leges hamanæ quà ſunt leges hominum, non obligant conſcientiam.

12. Conſcientia immediate Deo & ejus voluntati ſubjicitur. Non poteſt ulli creaturæ ſemet ſubjicere ſine idololatria.

13. Internos conſcientiæ motus ſolus Deus novit. Solus igitur poteſt illis legem ponere, aut conſcientiam in illis obligare.

14. Solus Deus poteſt conſcientiam peccantem punire. Solus igitur poteſt aliquid ipſi prohibere.

15. Promiſſio ipſa, quamvis ſancta, & juramento confirmata, quatenus actus eſt humanus, non propriè obligat conſcientiam, propter rationes antè poſitas; quamvis à Deo homines in conſcientiis obligentur ad ſanctam & religioſam ejus obſervationem, ſicut antè dictum fuit de legibus humanis, & poteſt aliquo modo affirmari de omnibus pactis, & aliis conditionibus cunctis, quibus poſitis, officii neceſſitas ſequitur ex conſcientia erga Deum. Tenetur ægrotus ex conſcientia, obtemperare ſalutari conſilio medicorum : ſed medicorum præſcripta non obligant conſcientiam ejus tamen.

Suſceptis liberis, tenentur parentes & ipſi ad officia mutua : accepto beneficio obligatur qui accepit ad gratitudinem præſtandam : & ſimilis eſt ratio in aliis multis : nihil tamen horum obligat conſcientiam.

## CAPUT III.

### *De Officio Conſcientiæ.*

CONſcientiæ, reſpectu ſyntereſis, officium aliud eſt in neceſſariis, aliud in rebus mediis. In neceſſariis duo ſunt actus vel officia, 1. obligare hominem

minem ad voluntatem Dei faciendam. 2. impellere ut faciat.

2. *a* Obligat conſcientia prout informatur voluntate Dei: quia vim in ſeſe habet divinæ voluntatis, atque adeo Dei ipſius vicem gerit.

3. Dei voluntas quatenus intelligitur, vel poteſt intelligi, obligat conſcientiam ad aſſenſum: quatenus verò in conſcientia agnoſcitur, immediatè obligat totum hominem ad obedientiam.

4. Obligatio hæc tam arcta eſt, ut nullius creaturæ imperio poſſit ullo modo ſolvi. *Act.* 4. 19.

5. Hinc homo conſcientiam habens voluntatis Dei, officium aliquod ſibi mandantis, eſt eo reſpectu *debitor*, Rom. 1. 14. *ſervus*, Rom. 6. 16. *vinctus*, Actor. 20. 22. *conſtrictus*, 2 Corinth. 5. 14. *& neceſſitate preſſus*, 1 Corinth. 9. 16. ita ut *non poſſit aliter facere*. Actor. 4. 20.

6 *b* Impellit conſcientia virtute obligationis, quatenus illa obligatio eſt voluntati cauſa impulſiva, ut congruenter conſcientiæ ſeſe gerat.

7. Significatur hic impulſus prædictis locis, ac phraſibus. Vis ejus indicatur Jerem. 20. 9. *ſi dicam, non commemorabo eum, neque loquar amplius in nomine ejus, atque eſt in animo meo quaſi ignis ardens incluſus oſſibus meis, &c.* Amos. 3 *leone rugiente, quis non timeat? Domino Iehova edicente, quis non prophetet?* Actor. 17. v. 16. *irritatus ſpiritu.*

8. Hinc impulſui conſcientiæ, ſi conſentiat in homine voluntatis conſtans diſpoſitio, conſtituunt ſimul conſcientiam moraliter bonam.

9. In rebus mediis actus & officia hujus conſcientiæ ſunt etiam duo, 1. diſcernere, 2. dirigere.

10. *c* Diſcernere; hic eſt neceſſarii & liberi, liciti & illiciti differentias notare & indicare.

11. *d.* Dirigere; eſt pro ratione circumſtantiarum, ordinare actiones licitas ad bonum finem.

a Conſcientia obligat. b Conſcientia impellit. c Conſcientiæ diſcretio. d Conſcientiæ directio.

12. Fines

12. Fines in mediis etiam rebus perpetuo spectandi sunt, Dei gloria, proximi ædificatio, & necessariarum nostrarum actionum adjumentum.

13. Tanta vis est hujus directionis, ut actionem sua natura mediam efficiat bonam, sicut ex adverso, non tantum prava directio, sed bonæ directionis defectus eandem actionem efficit malam.

## CAPUT IV.

### *De Conscientia Errante.*

Circa hanc doctrinam, qua primi actus & officia conscientiæ traduntur, quæstiones variæ moventur, quæ magni cum sint momenti, in omni vita ad actiones nostras recte instituendas, necessariò hic debent paucis expediri.

Q. 1. Quæstio 1. est, An conscientia errans obliget?

Resp. Ut recte solvatur ista quæstio, quinque hæc sunt breviter explicanda. 1. quid sit conscientia errans? 2. circa quæ versetur? 3. unde error in conscientia exoriatur? 4. quænam generales differentiæ sunt errorum istorum? 5. quot sint modi obligandi?

1. a Conscientia errans vel privative opponitur conscientiæ rectæ, ita ut comprehendat omnem conscientiam, quæ non recte judicat cum debet, etiam dubiam & scrupulosam: vel positive opponitur, ita ut illam solam conscientiam designet, quæ aliter judicat quàm res est: quæ per assensum firmùm, quem præbet alteri parti quæstionis, distinguitur à conscientia dubia & scrupulosa. Intelligitur autem in hac quæstione conscientia positive errans.

2. Quædam sunt principia adeo clara, & cordibus

a Error privativus & positivus.

omnium

omnium inſcripta, ut errorem conſcientiæ circa ſe non patiantur, ſi ſcilicet fiant: quale eſt, Deum eſſe diligendum; perjurium eſſe cavendum. Nemo enim in conſcientiæ judicio poteſt in talibus errare, aut eadem facere contra conſcientiam. Conſcientia igitur proprie errat circa concluſiones ex hujuſmodi principiis derivatas.

3. *a* Oritur conſcientiæ error vel ex eo quod à principiis univerſalibus concluſiones particulares, non recte deducantur, vel quod illa quæ Deus in ſcripturis credenda propoſuit, non ſatis percipiantur: vel denique quod præceptis credendis fidei aſſenſus non præbeatur. Cauſa (præter Dei occulta judicia) aut eſt inconſideratio eorum, quæ debent conſiderari: aut prava aliqua diſpoſitio, vel abducens mentem ab inquiſitione debita, vel avertens eam à recte judicando.

4. *b* Error conſcientiæ eſt, vel de facto, vel de jure: error de jure vel eſt poſt factum, vel ante: error de jure ante factum, vel eſt in eo quod judicet illud eſſe licitum, quod eſt illicitum, vel in eo quod illicitum judicet, quod eſt licitum; vel in eo quod debitum judicet, quod vel eſt illicitum, vel tantum licitum.

5. *c* I. Obligare & ligare à quibuſdam diſtinguuntur, ita ut obligare dicatur conſcientia, quando non ſolum peccatur ſi contra eam agitur, ſed etiam ſi non agatur juxta ejus præſcriptum: ligare vero, quando non poteſt quis licite procedere tali conſcientia manente, ita ut peccetur ſi contra eam agatur, & peccetur etiam ſi agatur juxta ejus præſcriptum. diſtinctionis hujus mens & ſententia eſt probanda: de verborum differentia viderint autores. II. Obligare etiam ratione objecti diſtinguitur à quibuſdam: vel enim obligatur aliquis ad faciendum ſecundum conſcientiam errantem, vel

a Cauſæ erroris conſcientiæ. b Error de facto & de jure, c obligare & ligare.

obli-

obligatur ad illam conſcientiam deponendam: ſed iſta diſtinctio non eſt accurata: quia conſcientia non obligat niſi quà dictat, nulla autem conſcientia dum errat, dictat illum errorem eſſe deponendum. III. Alii differentiam ponunt inter obligationem illam qua tenetur quis facere, quod conſcientia præſcribit, & illam qua tenetur non facere contrarium. Sed neque iſta diſtinctio ubique valet. Si enim dictet cuipiam conſcientia ſua, mentiendum eſſe ad vitam conſervandam, vel debet ille mentiri, vel neceſſario faciet contra conſcientiæ dictamen.

6. *a* Ex iſtis fundamentis ita reſpondetur ad quæſtionem. I. conſcientia quamvis errans, ſemper ligat, ita ut ille peccet, qui agit contra conſcientiam. Ratio eſt, quoniam agens contra conſcientiam, agit contra voluntatem Dei, quamvis non materialiter & vere, tamen formaliter & interpretative: quia quod conſcientia dictat, dictat ſub ratione voluntatis Dei. Qui contumeliis afficit privatum aliquem, putans eum regem eſſe, non privatum, ille regem ipſum læſiſſe putatur: ſic qui conſcientiam contemnit Deum ipſum contemnit, quia quod conſcientia dictat, putatur eſſe divina voluntas. Hinc ſemper peccat, qui facit aliquid contra conſcientiam. Si vero conſcientia non errat, tum duplex admittit peccatum, & faciendo quod malum eſt in ſeſe, & malè illud faciendo, ita ut actus hujuſmodi dupliciter malus ſit, videlicet; tam propria ſua malitia, quàm illa quæ ſupervenit ex conſcientiæ contemptu Si autem conſcientia errat, tum non malum eſt quod facit, ſed male illud faciat, ita ut unica malitia ſit illius conſcientiæ nempe contemptus.

7. Conſcientiæ error, qui eſt de facto. i. e. de objecto vel materia circa quam actio debet verſari. eſt vel involuntarius & inculpabilis, vel volunta-

a. Conſcientia errans ligat.

rius & culpabilis. Si ſit involuntarius & inculpabilis, tum conſcientia æque obligat ac ſi non erraret, ad faciendum illud quod dictat. ut, ſi quis rem aliquam ſuam eſſe bona fide judicet, cum ſit aliena, conſcientia dictante poteſt ac debet eadem uti ut ſua. ſi quis bona fide judicet eum eſſe ſuum principem qui eſt tyrannus, vel eum eſſe magiſtratum legitimum, qui titulum illum falſo ſibi vendicat, obedientiam debitam tenetur ipſi præſtare. Exemplum etiam habemus in Jacobo accedente ad Leam non ſuam, quam bona fide putavit ſuam eſſe Rahelem.

8. Si error ſit voluntarius, tum eandem habet rationem cum errore illo, qui eſt de jure.

9. Conſcientia errans de jure poſt factum, ita ut credat illud quod bene fecit eſſe peccatum, vel contra, nullam vim ligandi habet reſpectu actionis illius præteritæ: quia ligatio & obligatio reſpiciunt ſemper actionem futuram: & actio moralis, ſicut ipſa voluntas, informatur ſemper ab appreheníione præcedente, non à ſequente. Hinc nulla actio fit melior aut pejor propter conſcientiam illam quæ poſt eam habetur. Ligat tamen iſta conſcientia, ex occaſione facti illius præteriti, ita ut non poſſit quis rectè procedere in actionibus futuris eodem ſpectantibus, tali conſcientia manente.

10. Conſcientia per errorem judicans illud eſſe licitum, quod eſt illicitum, ut quæ judicat licitum eſſe mentiri ad conſervationem vitæ propriæ, vel proximi, ligat quidem, ſed non obligat; ligat, quia talem conſcientiam habens, obſtrictus tenetur, ita ut neque mentiri poſſit, neque abſtinere à mendacio ſine peccato, non mentiri, quia hoc eſt ſimpliciter illicitum: non abſtinere à mendacio, cum tali conſcientia, quia talis modus abſtinendi eſt à Deo prohibitus, quamvis ipſum abſtinere ſit imperatum. Deus enim poſtulat non tantum ut faciamus bonum & abſtineamus à malo, ſed etiam ut animo bono,

bono, non malo utrumque præstemus. Non obligat conscientia talis. 1 quia nulla est obligatio ad illicita. 2. quia conscientia non obligat nisi virtute præcepti alicujus divini: nullo autem præcepto nititur talis conscientia, lex enim Dei non potest ullo modo inclinare vel obligare quenquam ad peccatum. 3. quia error iste semper est vitium: vitium autem non obligat. 4. quia talis conscientia nunquam tam firmum habet fundamentum, quin postulet ampliorem inquisitionem. 5. quia obligatur homo ad talem conscientiam deponendam. quamvis enim non satis accurate dicatur, quod quidam affirmant, talem conscientiam obligare hominem ad se deponendum; certissimum tamen est, hominem teneri talem conscientiam deponere: est enim pars Veteris illius hominis, quem exuere jubemur. *Eph.* 4. 22.

11. Conscientia judicans illud esse illicitum, quod est licitum, obligat ad abstinendum ab illo licito. *Rom.* 14. 23. Ratio est, quoniam à licitis potest quis absque peccato abstinere.

12. Conscientia judicans illud esse debitum, quod est illicitum, ligat, non obligat, ob rationes positas thesi nona.

13. Conscientia judicans illud esse debitum, quod tantum est licitum, obligat ad illud faciendum, ut, si dictet conscientia alicui necessarium esse nudare semper manus, cum solemniter orat. Ratio est, quia licita possunt constanter observari sine peccato.

*a* Obj. Si conscientia errans ita ligat, ut illam neque sequi possimus, neque non sequi sine peccato, tum necessitas peccandi imponitur sic errantibus, quod non potest consistere cum æquitate legis Dei.

Sol. 1. Necessitas hæc peccandi qua implicatur aliquis à consciantia sua errante, non est utrinque

a De perplexitate conscientiæ errantis.

respectu

respectu ejusdem: sed ab altera parte respectu facti, & ab altera, respectu modi faciendi.

2. Non est absoluta necessitas, sed ex suppositione: si nempe retineat talem conscientiam, quam potest ac debet exuere.

3. Necessitas hæc non fluit ex natura legis Dei, sed hominis peccato contrahitur simul, & continuatur. Nemo enim sine sua propria culpa est ad hunc modum perplexus.

a Q. Utrum gravius sit peccatum, facere contra conscientiam talem errantem, an vero præscriptum ejus in operando sequi?

Resp. De gravitate peccati judicandum est ex qualitate rei faciendæ, vel omittendæ, prout est in sua natura, & prout à nobis apprehenditur. Si quis per conscientiæ errorem, illicitum judicaret interesse cœtui ecclesiæ, cui aliàs tenetur adesse, quia ministrum illius ecclesiæ improbum hominem esse novit; & se communicaturum putat cum ejus improbitate, ille magis peccat abstinendo, quam si adesset: quia gravius est peccatum, negligere cultum Dei, quam communicare cum alterius personali improbitate in illo cultu. Si vero illicitum judicaret adesse sacris, propter idololatriam, quam judicat ibi admittendam, ille gravius peccaret si adesset: quia peccatum idololatriæ gravius est, quam neglectus veri cultus. Ibi gravius peccat, qui sequitur conscientiam, quam qui contra agit. Hic vero gravius peccat, qui contra agit. Una igitur certa & universalis regula constitui hac in re non potest.

a Utrum gravius peccatum sit, facere secundum, an contra conscientiam errantem?

## CAPUT V.

### *De Conscientia Opinante & Dubitante.*

Q. 1. AN quis acquiescere possit in consc. opinante? a R. Ad explicationem hujus quæstionis

a Opinio quid?

nis notandum est, *opinionem* aliquando significare judicium, non ex sensu, scientia, aut fide divina, sed ex ratione ita certum, nullam habens ambiguitatem annexam: aliquando vero magis stricte sumitur, pro illo judicio, quo assentimur quidem sententiæ alicujus veritati, sed non sine suspicione, formidine, vel dubitatione partis oppositæ.

Hac distinctione posita respondeo. I. In iis, quæ sunt ad salutem & cultum necessaria, opinio nulla sufficit; quamvis certitudinem habeat summam: sed requiritur fides, quæ nititur certissimo Dei verbo. II. In iis, quæ à principiis illis sunt remotiora, diligentia est adhibenda, ut certam etiam fidem ex Scripturis comparemus: sed si non possit acquiri, opinionem certam & ad regulam Scripturæ examinatam, sequi licet in operando. III. Posita etiam diligentia debita, licet in multis opinionem sequi maxime probabilem. IV. Nunquam licet contra propriam opinionem, vel certam, vel probabilem, agere, propter aliorum hominum authoritatem. V. Duas probabiles opiniones oppositas de eadem quæstione, nemo potest simul habere, ita ut licite possit relinquere unam, & sequi alteram.

Q. 2. Quid sit agendum, cum conscientia est dubia? Resp. Ad explicationem hujus quæstionis, advertendum est.

1. Dubia dicitur conscientia latiore sensu, etiam cum assensus fidei, vel opinionis prævalet, quamvis dubitationem aliquam habeat annexam. Sed stricte ac proprie illa conscientia dubia vocatur, quæ in quæstione de qua agitur, neutri parti assentitur, sed plane hæret ac hæsitat inter assensum & dissensum. De dubitatione priore; partim dictum est in quæstione præcedente, & partim dicetur quæstione sequente; agitur hic de conscientia illa, quæ proprio & stricto sensu dubia vocatur.

2. *a* Du-

a 2. Dubitatio eſt vel ſpeculativa, vel practica. Speculativa eſt illa, quæ immeditate non verſatur circa praxin, vel actionem peragendam, ut cum dubitat quis, an hoc vel illud ſit ſuum; nec ne. Practica eſt, quæ immeditate verſatur circa ſingularem aliquam operationem, an hic & nunc ſit peccatum, vel non peccatum; licitum, vel illicitum?

R. His conſtitutis, reſpondetur. 1. In omnibus illis dubiis, quæ nullo modo pertinent ad noſtram praxin, diligens inquiſitio eſt adhibenda, ut veritatem perſpectam habeamus, ac dubitatio pellatur. Ratio eſt, quia dum in dubio eſt animus, actio non poteſt non deſtitui illa perfectione, quam explorata veritas ſecum adfert.

Quo certiorem enim cognitionem habemus de iis, quæ agimus, eo fidentiores ſumus in agendo, & cum egimus, lætiores.

2. Ageret ſæpe, licet manente dubitatione ſpeculativa. Ratio eſt, quia ſic faciens, non neceſſario agit contra conſcientiam dubiam, neque ſine conſcientia certa: poteſt enim, non obſtante illa dubitatione ſpeculativa, certo apud ſe ſtatuere, illud quod egit, eſſe faciendum. Exempli cauſa, poſſidet quis bona fide aliquem fundum, & incipit dubitare an ſit ſuus, ſi tamen non ſciat eſſe alienum, jure poteſt retinere, quia cæteris paribus, melior eſt conditio poſſidentis.

3. Contra dubitationem practicam non licet quicquam agere. Ratio eſt. 1. quia non poteſt facere ex fide. *Rom*.14 *ult*.2. quia ſic agens non ſatis abhorret à peccato: ſciens enim & volens, exponit ſeſe periculo peccandi. 3. quia non ſatis deditus eſt Dei voluntati faciendæ. Sicut enim contra amicitiæ legem agit, qui id ultro facit, de quo dubitat, an ſit amico gratum? ita contra legem charitatis in Deum facit is, qui id agit de quo dubitat, an ſit Deo gratum nec ne?

a Dubitatio ſpeculativa & practica.

4. In dubiis tutior pars est eligenda. Tutior autem pars est illa, in qua sequenda, certum est, nullum inesse peccatum. e. g. dubitat quis an usura sit licita, necne? tutissimum est abstinere: in hoc enim nullum est periculum peccandi.

Hujus regulæ æquitatem viderunt ex parte Philosophorum nonnulli, quorum hac de re judicium refert ac probat Cic. offi. lib. 1. *bene præcipiunt* (inquit ille) *qui vetant quidquam agere quod dubites æquum sit, an iniquum? æquitas lucet ipsa per se: dubitatio cogitationem significat injuriæ.*

## CAPUT III.

### De *Conscientia scrupulosa.*

QUid sit agendum, cum conscientia est scrupulosa?

*a* Resp. Ad hujus quæstionis intelligentiam, advertendum est. 1. Scrupulum esse formidinem animi, circa suam praxin, quæ conscientiam vexat, instar lapilli exigui in calceo latentis, qui pedem excruciat. 2 Quamlibet formidinem non proprie dici scrupulum, sed illam quæ exoritur ex levibus argumentis, vel nullis. 3. Scrupulosum aliquem esse, vel in discutiendis actionibus præteritis, vel in futuris instituendis. 4. Oriri scrupulos Deo sic ordinante, vel ut puniat, vel ut probet, aliquando ex diaboli suggestione, alias ex scientiæ defectu, alias ex melancholia, vel simili aliqua corporis constitutione, alias ex consortio hominum scrupulosorum. 5. Scrupulosam conscientiam in eo differre à dubia, quod conscientia dubia neutri parti quæstionis assensum præbet; scrupulosa vero uni parti assentitur, sed in alteram partem cum vexatione quadam sollicitatur.

His constitutis respondetur ad quæstionem. 1. Gratia Dei instanter implorata, diligentia est, adhibenda,

a Scrupulus quid?

hibenda, ut scrupuli illi, qui ratione possunt eximi, justo examine removeantur. Tum enim conscientia maxime quieta redditur, cum certa nititur cognitione. 2. Juvat multum, vitare (si commode fieri possit) cogitationem de illis rebus unde scrupuli oriuntur. Quando semel enim movetur phantasia, multi motus consequuntur, qui sine magna difficultate non possunt compesci, sicut in lateribus ordine contextis, uno cadente, cæteri sequuntur: & hinc multiplicantur scrupuli in conscientiis (ut loquuntur) timoratis. 3. Multi scrupuli cum non possunt commodè tolli contraria ratione, deponi debent quasi violentia quadam, dum excluduntur ab omni consultatione. Scrupuli enim, dum actu non applicantur, non sunt molesti. Et quidam sunt adeo molesti, ut imbecilliores & minus periti non possint alia ratione ab ipsis liberari. Attentio enim ad scrupulum ratione tollendum, scrupulum sæpe vel parit, vel auget. Exempli causa, norunt omnes Dei nomen esse quotidie invocandum, potest quis tamen ita vexari impiis cogitationibus, ut inde scrupulus exoriatur ipsi, an debeat orare? non tutum hic semper est examinare istas cogitationes, neque diu de ista quæstione disputare, sed quasi violenter abjicere debet istam formidinem: & ad præces, ut potest, se accingere. 4. Si non possint amoveri quin adhuc sint molesti, licitum, & consultum est agere contra istiusmodi scrupulos. e.g. si quis sit, cui suæ indignitatis consideratio sit adeo molesta, ut vix audeat ad mensam Domini accedere, quamvis sentiat in semetipso synceram fidem & resipiscentiam, potest, ac debet, hoc scrupulo non obstante, accedere ad cœnam Dominicam. Neque hoc est agere contra conscientiam, sed secundum conscientiam. Scrupulus enim est formido temeraria, & sine fundamento, atque adeo non potest obligare: Imo ex consuetudine agendi contra hujusmodi scrupulos, conscientia ipsa redditur firmior.

## CAPUT VII.

### *De Attentione Conscientiæ ad sua facta.*

Hactenus de synderesi vel propositione illa, qua conscientia dictat sententiam juris: sequitur secunda pars hujus judicii, qua secundo in loco, conscientia hominis testatur de suo facto secundum illud jus.

Ratione hujus actus conscientia dicitur *testis*, & in proverbio communi *mille testes*, dicitur etiam *liber*. *Rev*.20.12. quoniam in mente hominis quasi in tabulis obsignatis, conscriptum relinquitur, quid fecit, & quo animo, quod etiam tandem à conscientia legitur & pronunciatur.

Assumptio igitur syllogismi illius practici, in quo conscientia consistit, nihil aliud est, quam recognitio facti vel status nostri, prout respicit jus Illud, quod ipsa conscientia dictavit. Hujus natura ut melius intelligatur, quædam declaranda sunt de facto, quod recognoscitur, & quædam de ipsa recognitione.

Factum vel congruit conscientiæ dictamini, vel adversatur illi.

Dictamen autem conscientiæ, ad quod exigitur factum aliquod, aliquando antecedit & comitatur ipsum factum, aliquando verò sequitur.

Exemplum facti adversus dictamen conscientiæ antecedens & comitans habemus in iis, de quibus Apostolus loquitur, *Rom*. 1.32. qui Dei jure agnito (nempe eos, qui talia faciunt, dignos esse morte) tamen non solum ea faciunt, sed etiam facientibus consentiunt ultrò.

Exemplum facti adversus judicium conscientiæ factum ipsum consequens, habemus in Judæis illis, qui Christum interfecerunt per ignorantiam, *Act*. 3.17. 1 Cor. 2.8. postea tamen melius instituti, longe

longe aliter de ſuo facto judicabant, quam tum cum illud patrabant. *Actor*. 2. 37.

*a* Q. Exoritur hic quæſtio ſatis difficilis, quomodo quis poſſit quidquam agere contra præcedens, & concomitans judicium conſcientiæ ſuæ? Ratio dubitandi ex eo ſurgit, quod voluntas (ut multis videtur) non poteſt velle aut nolle aliquid, niſi fuerit prius dictatum à ratione, illud eſſe volendum, aut nolendum: neque poteſt non ſequi ultimum judicium practicum, illud faciendo quod ratio dictat eſſe faciendum: & per conſequens non poteſt movere ſeſe voluntas, contra dictamen conſcientiæ.

R. Ad hujus rei explicationem, concluſiones iſtæ videntur ponendæ.

1. Contra conſcientiam ut habitum, vel contra ſynderesin & poſſe agere, & agere etiam multos, ita manifeſtum eſt, ut de eo nemo poſſit dubitare. Hi autem omnes aliquo ſenſu agunt contra conſcientiam.

2. Contra conſcientiam ut actum, illi omnes agunt, qui aliquid faciunt contra judicium, quod actu habuerunt, & adhuc in ipſis virtute manet, quamvis non actu.

3. Non poteſt voluntas aliquid velle, appetere, eligere, proſequi, ſine apprehenſione ſpeculativa præcedente. Ratio eſt, quia objectum voluntatis eſt bonum ab intellectu apprehenſum. Ignoti nulla cupido.

4. Apprehenſio objecti ſimplex, abſque ullo judicio practico, quod hic & nunc ſit proſequendum, vel fugiendum, ſufficere poteſt ad voluntatis actum eliciendum. Satis hoc apparet in amentibus & infantibus, ac omni voluntatis motu non deliberato. Ratio eſt, quia bonum apprehenſum omnes conditiones habet, quæ in objecto voluntatis requiruntur. Voluntas autem non minoris virtu-

*a* Quomodo peccat homo contra conſcientiam ſuam?

tis est circa suum objectum, quam appetitus sensitivus est circa suum, qui tamen excitatur per simplicem apprehensionem sui objecti.

5. Potest voluntas suo nutu suspendere suum actum circa objectum apprehensum, & judicatum, sine ullo judicio præeunte. Si enim ad suspendendum actum, & ut cessemus ab opere, necessario requiritur judicium, tum ad suspendendum illud judicium, requiritur aliud judicium, & sic erit processus in infinitum.

6. Voluntas potest avertere intellectum à consideratione alicujus objecti jam apprehensi, & judicati, & convertere ad considerationem alterius alicujus objecti ante apprehensi. Hujus imperii ratione, voluntas est prima causa incogitantiæ & erroris culpabilis in intellectu. Cum autem voluntas primo incipit avertere intellectum ab eo, quod judicavit, facit hoc ex propria sua inclinatione, sine judicio: alias duo hæc simul adessent judicia, hoc est prosequendum: hoc non est considerandum: quod est absurdum.

7. Ad objectum apprehensum sub aliqua ratione boni, utilis, vel jucundi, movere sese potest voluntas, quamvis ratio judicet illud non esse honestum, sed turpe. Ratio est, 1. quia quodcunque bonum intellectus proponit voluntati, in hac vita, proponit illud cum indifferentia quadam judicii, ut non habens necessariam connexionem cum bono in communi ad quod naturaliter determinatur voluntas. Unde libertas hominis in operando, radicaliter fundari dicitur in judicio rationis. 2. voluntas, quamvis determinetur ab intellectu quoad specificationem, quia nihil vult, nisi id quod intellectus prius apprehendit; quoad exercitium tamen & semetipsum, & intellectum una cum cæteris potentiis efficaciter movet. Hinc libertas formaliter est in ipsa voluntate: quod verum non esset si ab intellectu necessario determinaretur. 3 si stante judicio

judicio recto in intellectu, voluntas non potest non recte velle, tum ad primum peccatum angelorum & hominis præriquirebatur necessario error in intellectu: & sic ante primum peccatum fuit pœna peccati. Error enim practicus in intellectu, vel est peccatum, vel pœna peccati. 2. si voluntas necessario sequeretur judicium intellectus, tum nullum esset peccatum, proprie loquendo ex malitia, dinstinctum ab illis peccatis, quæ ex ignorantia vel ex perturbatione aliqua admittuntur. Sed palam est in diabolis, & quibusdam etiam hominibus, istiusmodi peccatum reperiri. 5. si voluntas necessario sequeretur, tum in hominis regeneratione non opus esset, ut ipsa voluntas interne & in sese renovaretur per gratiam, illuminatio enim intellectus ad omnia sufficeret. Sed hoc est alienum à fide & pietate.

8. Voluntas, quamvis non semper sequitur judicium rationis, semper tamen sequitur imperium illud, cui subjicitur, quod sæpe cum judicio consentit. Sed hoc imperium quamvis quoad directionem pertinet ad intellectum, tamen quoad vim & efficaciam pertinet ad voluntatem. Hinc vere dicimus, & ex omnium gentium consensu, volo velle.

## CAPUT VIII.

### *De Conscientiæ examine ac recognitione factorum.*

DEinceps agendum est de recognitione illa, quæ versatur circa facta, vel statum nostrum.

1. Recognitionem appello potius quam cognitionem. I. quia simplex perceptio non sufficit ad istum actum conscientiæ, sed requiritur iterata perpensatio. II quia cognitio quædam antecedit sæpe & comitatur factum, sed hæc recognitio sequitur.

2. Recognitio hæc est actus reflexus intellectus,

ſpectu malefactorum, in Scripturis notatur aliquando eſſe ante comminationem aliquam Dei. 2 *Sam.*24.13. aliquando poſt comminationem; ſed ante judicii executionem. *Mal.* 2. 2. aliquando verò judiciis Dei jam illatis. *Hag.*1. 5. ſed quò citius inſtituitur hæc recognitio, eo Deo gratior eſt, & nobis utilior. Hinc iſta meditatio de iis, quæ ſingulis diebus faciunt, eſt inter quotidiana exercitia piorum. *Job.* 1. 5.

6. Ex defectu hujus recognitionis, generatur 1. impœnitentia in graviſſimis peccatis. *Eſa.*44.18. *Eccl.* 4.8.2. præſumptio in maxima miſeria. *Rev.* 3. *v.* 17.& 3. ſtupiditas tanta, ut qui alia multa ſciunt, ſemetipſos & ſua facta prorſus ignorant. Hinc non deſunt temere jurantes quidam, qui de illo peccato moniti, eodem fere ſpiritu jurato ſolent affirmare, ſe non juraſſe.

7. Singularia effecta hujus recognitionis viarum noſtrarum ſunt. 1. reſpectu Dei, rectum judicium de ejus viis. *Ex.*19.25, & gratitudo. 2. reſpectu noſtri, humilitas & 3. reſpectu aliorum, æquitas & lenitas. *Tit.* 3. 34.

## CAP. IX.

*De Applicatione juris, ex facto agnito, quam Conſcientia facit ad perſonam.*

1. TErtius actus conſcientiæ ſequitur, quo concluſio infertur ex præmiſſis. Concluſio hæc eſt actus conſcientiæ, quo homo ſibimetipſi applicat jus illud Dei, quod factum vel ſtatum ſuum attingit.

2. Pendet igitur iſta concluſio, partim ex generali illo jure, quod in propoſitione ſynderesis dictat, & partim ex recognitione illa facti vel ſtatus, quæ in aſſumptione continetur: ita ut recolligat vim antecedentium actuum, & totum conſcientiæ judicium perfectum reddat.

3. Sicut igitur in propositione, conscientia est *lex*. *Rom*. 2 14 & in assumptione *testis*, *Rom*. 2. 15. sic in ista conclusione, eadem conscientia est maxime proprie *judex*. 1 *Ioh* 3. 20. Ratio est, quia sicut in propositione, lex Dei declaratur: & in assumptione, factum vel status hominis, secundum illam examinatur: sic in conclusione sententia pronunciatur de homine, secundum suum factum vel statum, virtute legis declaratæ.

4. Recte igitur per applicationem definitur, quia in hujusmodi conclusione, jus Dei, & factum hominis inter se conjunguntur, & quasi complicantur cum homine, dum in ipsum feruntur judiciali virtute.

5. *a* Applicatio ista quamvis sua natura sequitur ex antecedentibus actibus conscientiæ, sicut conclusio syllogismi ex præmissis dicitur necessario sequi: hominis tamen vitio sæpe fit, ut intercisionem ad tempus conscientia patiatur in istoc actu: ita ut propositione, & assumptione positis, nequaquam tamen concludatur. e. g. potest quis in genere intelligere & concedere, omnem hominem qui Deum non colit, esse maledictum: & sibimetipsi etiam conscius esse potest, quod ipse non sit verus Dei cultor: & abstinere tamen à sententia maledictionis de semetipso pronuncianda. Potest quis etiam satis intelligere, pœnitentiam agenti de suis peccatis, veniam paratam esse apud Deum; & sibimetipsi etiam conscius esse de sua resipiscentia: ita tamen ut non possit statim applicare sibi veniam, & misericordiam Dei.

6. Usitatior est hæc retardatio conclusionis, in judicio faciendo de malefactis: sed accidit aliquando etiam in iis, quæ bene fiunt.

7. Exemplum prioris generis habemus in Judæis illis, de quibus loquitur Apostolus ad *Rom*. 2. 18, 20, 21, *&c*. & in ipso etiam Davide. 2. *Sam*. 12. 5, 6

*a* Tarditas conscientiæ in applicatione facienda.

qui

qui quid juris esset, de pessimo suo facto, satis intellexit: quid fecerat etiam non potuit ignorare: sed in conclusionis applicatione claudicabat.

8. Exemplum poster. generis habemus in iis omnibus fidelibus, qui veram pœnitentiam agentes, diu tamen ita retinentur, ut gratiam, & misericordiam Dei sibimet non possint applicare.

In peccatoribus, causæ sunt, 1. quod non satis serio cogitant de jure Dei, & suis factis: conclusio enim fluit ex vi & efficacia illa, quæ est in præmissis, 2. quod suis animis infixas habent conclusiones planè contrarias. *Deut.* 29.19. 3. quod reformidant & fugiunt istas conclusiones, tanquam sibi & suis propositis inimicissimas. *Joh.* 3.20. 4. quod oscitantes & obliviosi sunt hujusmodi rerum. *Jac.* 1.23, 35. Ex istiusmodi causis falso ratiocinari solent impii, & fallere semetipsos. *Jac.* 1.22.

9. Quod fideles & pii non concludant sæpe ad propriam suam consolationem, causæ sunt, 1. tentatio aliqua prævalida. 2. reliquiæ infidelitatis, quæ in renatis etiam permanent. 3. exuperantia illius gratiæ quam debent sibi applicare. Et 4. conscientia propriæ suæ indignitatis, præsertim post gravius aliquod peccatum admissum.

10. Ex ista tarditate hominum in concludendo, & applicando, necessitas imponitur fidelibus omnibus ministris, non tantum voluntatem Dei generaliter proponere, sed etiam juvare homines, quantum possint, tam publicè, quam privatim in ejusdem applicatione, prout conditio & conscientiæ eorum postulabunt.

## CAPUT X.

### *De Effectis applicationis in ipsa Conscientia.*

EX conclusione conscientiæ sequuntur effecta quædam, ipsius judicio congruentia.

2. Effecta hæc vel ſunt actus ipſius conſcientiæ, qui virtualiter continentur in ipſa concluſione, vel ſunt affectus & actus voluntatis, qui ex illis oriuntur.

3. Actus conſcientiæ alii reſpiciunt benefactum, alii peccatum.

4. Qui benefactum reſpiciunt, ſunt *excuſatio*, & *abſolutio*, & *approbatio. Rom.* 2. 15.

*a* 5. Excuſatio eſt actus conſcientiæ, quo homo, reſpectu ſui facti, liberatur à peccati reatu. Excuſatio enim hic non ſtrictiore illo ſenſu accipitur, quo diminutionem, vel attenuationem culpæ deſignat, ſed illo quo plenam culpæ, & reatus amotionem notat.

*b* 6. Abſolutio eſt actus conſcientiæ, quo hominem, reſpectu ſui facti, à pœnæ metu pronunciat immunem.

7. Hi duo actus, tam arcto, & inſolubili nexu inter ſe conjunguntur, ut ratione ſola differant, non re ipſa. Excuſatio enim reatum reſpicit maxime proprie: & abſolutio pœnam: ſed neq; reatus tollitur, pœna manente, neque manet reatus, pœna ſublata.

*c* 8. Approbatio eſt actus conſcientiæ, quo pronunciat hominem in ſuo facto Deo placuiſſe.

9. Abſolutio, & approbatio in eo differunt ab excuſatione, quod in excuſatione, conſcientia legis partes propriè agit, & reſpicit Deum, tanquam judicem, coram cujus tribunali hominem ut teſtis excuſat: in abſolutione vero, & approbatione, conſcientia Dei partes propriè agit, & reſpicit hominem, quem ut judex, abſolvit, & probat.

10. Actus conſcientiæ, qui reſpiciunt peccatum, ſunt *accuſatio & condemnatio*.

*d* 11. Accuſatio eſt actus conſcientiæ, quo hominem, ratione culpæ, arguit reatui affinem.

*e* 12. Condemnatio eſt actus conſcientiæ, quo

*a* Excuſatio. *b* Abſolutio. *c* Approbatio. *d* Accuſatio. *e* Condemnatio.

homi-

hominem reum adjudicat pœnæ mortis æternæ

13. Accuſatio & condemnatio eodem gradu, & modo inter ſeſe differunt, quo excuſatio differt ab abſolutione, & approbatione.

14. Accuſatio & condemnatio iſta aliquando ſtatim ſequitur poſt factum ut in Davide, 1 *Sam.* 24. *v.* 10. aliquando poſt aliquod ſpatium, ut in Juda, *Matth.* 27. 3. aliquando etiam poſt longum intervallum, ut in fratribus Joſephi, *Gen.* 42. 21, 22. numquam enim longitudine temporis amoventur, ſed reſipiſcentia ſola.

## CAPUT XI.

### *De Affectibus ex Conſcientiæ judicio oriundis.*

1. PRimus qui in corde oritur ratione excuſationis, abſolutionis, & approbationis conſcientiæ, eſt gaudium, quo in benefacto ſuo, ut in vero bono ſibi conjuncto acquieſcit. *Prov.* 15. 15. 2 *Cor.* 1. *v.* 12. *a* Hoc autem gaudium à riſu & lætitia vana multum differt. 1. quia intimè afficit hominem in ipſo cordis receſſu. 2. quia ſeria eſt diſpoſitio cordis, non levis commotio. 3. quia ſolidum fundamentum habet, atque adeo ex meditatione juſtâ magis magiſque invaleſcit. 4. quia ſolidos etiam, & pios fructus profert. Quæ omnia de riſu & lætitia vulgari negantur. *Eccleſ.* 2. 2.

*b* 2. Secundus affectus eſt fiducia, qua animum habet à mali metu & infirma ſpe boni confirmatum. *Prov.* 10. 9. & 28. 1. Ratio eſt, quia omnis miſeria oritur ex culpa, & benè viventibus omnia bona promittuntur. 1 *Tim.* 4. 8.

*c* 3. Affectus primus ab accuſatione & condemnatione conſcientiæ oriundus, eſt pudor, quo peccator ſibimetipſi diſplicet, in eo quod fecit. Ratio eſt, quia peccatum ſemper commutationem homini adfert in pejus. *Geneſ.* 5. 7. Pudor autem iſte ſi cul-

*a* Gaudium, *b* Fiducia. *c* Pudor.

pam

pam respiciat, ita ut pariat ejus fugam, est inter signa resipiscentiæ, *Rom.*6.21 sicut impudentia peccatis adjuncta, semper est impœnitentis & perditi hominis nota.

4. *a* Secundus affectus est mœror vel tristitia cordis, qua animus turbatur ex conjunctione mali. 1 *Sam.*25.31. *Act.*2.2,37. Ratio est, quia accusatio, & condemnatio conscientiæ, non peccatum tantum, & reatum ejus, sed ipsam pœnam etiam reddit aliquo modo præsentem.

5. *b* Tertius affectus est timor, quo animus refugit à malo imminente, & à Deo ipso, tanquam à judice severo. *Gen.* 3.10. *Prov.*28.1. *Apoc.*6 16. Ratio est, quia consummatio mali adhuc expectatur. Timoris hujus intensiores gradus dicuntur tremor & horror.

6. *c* Quartus affectus est desperatio, qua omnis spes relevationis abjicitur. *Hebr.* 10. 26.

7. *d* Quintus & ultimus est angor, & vexatio animi, propter miseriam opprimentem. Hic est vermis ille spiritualis, qui perpetuo cruciat damnatos in inferno. *Marc.*9.44. *Esa.*66.24.

a Mœror. b Timor. c Desperatio. d Angor.

## CAPUT XII.

### DE CONSCIENTIA BONA.

**Hactenus de naturâ conscientiæ, prout in definitione fuit explicata: distributio conscientiæ sequitur, quæ petitur ab adjunctis.**

1. Conscientia vel bona est, vel mala.

2. Conscientia bona dicitur vel quoad honestatem, & integritatem, vel quod quietem, & pacem.

3. *a* Con-

3. [a] Conscientia honestè bona est, quæ judicium fert omni ex parte rectum, & efficax.

4. Ad Conscientiam igitur honestè bonam, requiritur. 1. ut rectè ac syncerè judicet illud bonum esse, quod Dei judicio est bonum: & illud malum esse quod Dei judicio est malum. Hoc autem requiritur primò in illo judicio, quod est de jure, & pertinet ad propositionem syllogismi, quo actus conscientiæ continetur: & secundo in illo judicio, quod est de facto, & pertinet ad assumptionem.

5. Requiritur 2. ad conscientiam honestè bonam, ut excuset, absolvat, & probet hominem de eo, quod benè fecit, & accuset etiam atque condemnet de male facto.

6. De priore illo officio, quod versatur in excusando, absolvendo, & approbando, nulla est controversia inter Theologos. De secundo vero, quod in accusando & condemnando versatur, movent nonnulli quæstionem, qui putant bonitatem conscientiæ nullo modo in accusando consistere, sed in excusando tantum.

7. Rationes adferunt duas. 1. quod conscientia Adami ex ordine creationis excusavit tantum, non accusavit. 2. quod conscientia bona offenditur & sauciatur, cum peccatum committitur, & accusandi occasio præbetur. Sed prima ratio non valet: quia conscientia in statu innocentiæ, quamvis actu non accusabat, potentiam tamen accusandi habuit, siquidem occasio foret. Neque magis vitio verti potuit conscientiæ postea cùm justè accusavit & condemnavit, quam ipsi legi, & judici summo, qui idem fecit post ingressum peccati, non antè.

8. Tantum vero abest conscientiæ accusatio justa ab omni justa reprehensione, ut à peccatoribus imprimis requiratur, tanquam unica via pœnitentiam agendi de peccatis admissis. Tenetur enim peccator, ut judicium Dei effugiat, semetipsum judicare,

[a] Conscientia honestè bona.

id est,

id est Deo in quem peccavit, judicium & justitiam facere de semetipso. 1 *Cor.* 11. 31. Hoc autem facit, causam Dei agendo contra seipsum, id est, accusando se, testificando, allegando, & confitendo, vel jus Dei contra sese recognoscendo, revelando cordis sui occulta, & turpitudines absconditas in sui ignominiam & pudorem: deinde condemnando se, id est, declarando supplicium & pœnam, quæ ex justo Dei judicio possit ipsi irrogari, vel proclamando se reum esse mortis æternæ. Ad hoc autem judicium conscientiæ, affectus excitans congruentes, si (per gratiam Dei) mutatio animi accedat, cum fiduciali appellatione ad tribunal misericordiæ divinæ in Christo, tum verum sensum habet (quod à quibusdam dici solet) judicium hoc pœnitentiale evacuare judicium pœnale; accusationem, testificationem, & condemnationem iræ futuræ, per vicarios istos actus declinari; imo Deum ipsum in Christo, advocatum, testem, & judicem futurum pro eis qui pro Deo contra semetipsos has partes egerunt in conscientiæ foro pœnitentiali.

9. Neque tantum sub ratione medii tenemur ad istam accusationem, & condemnationem nostrûm ipsorum, sed etiam ratione justitiæ naturalis. Si enim in hominem peccaverimus, debemus ipsi judicium de nobis facere, cum accusatione & condemnatione culpam agnoscendo; tum multo magis tenemur hoc facere Deo. Huc etiam accedit officium servorum, cujus obligatione tenemur à Dei partibus stare in omni controversia, lite, aut contentione, quam habet adversus injustitiam, & maxime adversus propriam nostram injustitiam, quæ maximè nobis nocet, & adversus quam multo plus possumus, quam adversus alienam. Adde istis considerationem illius æquitatis: Si fratri adesse tenemur, quandocumque sine incommodo fieri potest, in qualibet parte litis & judicii ejus justi, ut testis vel accusatoris partes in ejus gratiam agamus;

mus; quanto magis tenemur hoc facere pro Deo? Tenetur enim quisque incomparabiliter magis adhærere Deo, quam sibimetipsi: Et Deo, etiam in causa quam habet adversus ipsum, assistere, accusando, testificando, judicando, &c. Practicas hasce illustrationes (quas ex alia occasione proponit & urget G. Par.) visum est huc referre, tam propter lucem quam adferunt quæstioni præsenti; quam propter egregium usum, quem habent in exhortationibus ad pœnitentiæ praxin.

10. Secunda ratio, qua objicitur offensio conscientiæ accusationi adjuncta, est etiam invalida: quia illa offensio & sauciatio, vel est ipsa accusatio, vel affectus consequens accusationem. Idem etiam judex, qui rectè & justè condemnat, potest ac solet ægrè ferre, quod habeat occasionem ita faciendi: multo enim libentius absolvit bonos, quam malos condemnat.

11. Quod ad rem ipsam attinet, accusationis actus ex peccato quidem sequitur, non sub ratione culpæ sed pœnæ. Conscientia igitur accusans, qua accusat recte, est honeste bona, quamvis respectu molestiæ, quam adfert, dici soleat mala, ut cæteræ omnes pœnæ: & possit etiam vocari mala, quia semper versatur circa malum culpæ ante admissum.

12. Requiritur 3. ad conscientiam honeste bonam, ut recti judicii virtute, efficaciter excitet ad benè faciendum, & retrahat ab eo, quod est malum, *Hebr*. 13. 18. Hoc autem à sola conscientia non efficitur, sed requiritur etiam honesta dispositio, & intentio voluntatis, conscientiæ judicio respondens.

13. Conscientia pacatè bona est, quæ excusat, absolvit, consolatur. *Actor*. 24. 6. Hinc etiam ad conscientiam isto respectu bonam, pertinent affectus *gaudii, fiduciæ, securitatis, & libertatis*.

14. Conscientia simul honestè & pacate bona, est

est illa, quæ ab Apostolo vocatur *καθαρὰ munda vel pura.* 2 Tim. 1.3 *καλὴ pulchra.* Hebr. 13.18. *ἀπρόσκοπος inoffensa* : quæ est consolatio & *gloriatio* fidelium 1 *Cor.* 1.12. Et ad quam conservandam, omnes injustas molestias parati sunt ferre. 2 *Petr.* 2.19.

15. *a* Conscientia post lapsum efficitur bona, 1. Per sanguinem Christi fide applicatum, quo reatus, accusatio & condemnatio tollitur. *Hebr.* 9.13, 14. & 10.22. 2. Per virtutem ejusdem sanguinis in resipiscentia & sanctificatione spiritus. 1 *Tim.* 1.5. *Act.* 15.8, 9 qua constituuntur fideles in firmo proposito bene vivendi. 3. Per testificationem Spiritus, qua non tantum gratia Dei pro tempore præsenti, sed & ejusdem continuatio, ad opus bonum, obsignatur, *Eph.* 1.13, 14. *Rom.* 8.35. *&c.* 1 *Petr.* 1.5, 6.

16. *b* Conservatur conscientia bona per *exercitium* illud, de quo loquitur Apostolus *Act.* 2.16. Exercitium autem hoc in istis præcipuè consistit. 1. ut reverentia Dei in cordibus nostris perpetuo possit vigere. *Psal.* 36.2. Hæc enim respicere non facit ad judicium Dei in omnibus. *Psal.* 119.6. 2. ut de lege Dei meditemur interdiu ac noctu. Psal. 1. v. 2. Hoc enim pertinet ad propositionem conscientiæ stabiliendam. 3. ut cum acri judicio proprias nostras vias examinemus. *Psal.* 4.5. Hoc enim applicationem legis infert in assumptione. 4. ut per assiduam resipiscentiæ ac fidei renovationem sordes contractas expurgemus. 1 *Joh.* 3.3. in eo etenim efficacia ponitur conclusionis.

a Quomodo efficitur conscientia bona? b Quomodo conservatur conscientia bona?

## CAPUT XIII.

### *De Conscientia infirma & firma.*

1. CONscientia bona gradus quosdam admittit, quorum ratione, distinguitur ab Apostolo Paulo, in *infirmam, & firmam.* Rom. 15.1.

2. Con-

2. Conscientia infirma est, quæ ex syncera fide quidem est emendata, sed imperfectionibus iis præpeditur, quæ temporis progressu à plerisque omnibus fidelibus solent superari.

3. Fides vera præsupponitur in conscientia infirma. Infirmus enim est *frater*. Rom. 14. 15, 21. *non damnandus*, *aut pro nihilo habendus*, *vers.* 10. *propter quem Christus est mortuus*. 1 *Corinth.* 8. 11. Hæc igitur conscientia cum sit bona, toto genere distat ab illa, quæ vel malitia, vel arrogantia, vel superstitione informatur.

4. *a* Imperfectiones, quibus laborat conscientia hæc infirma, sunt 1. inscientia, quod nondum satis intelligat, quid sit licitum, ac purum. 1 *Cor.* 8, 7. *Rom.* 14. 14. hæc autem scientiæ infirmitas, appellatur etiam infirmitas *fidei*. Rom. 14. 1.

5. Secunda imperfectio, ex priore pendens est in affectu, quod facilè contristatur, & inquietatur, cum videt alios id facientes, quod ipse non probat. *Rom.* 14. 15. *propter escam frater tuus tristitia afficitur.*

6. Tertia imperfectio est, in judicio, quod facilè judicet ac damnet aliorum libertatem. 1 *Cor.* 10. 29. *Rom.* 14, 3, 15. *cur enim libertas mea damnatur ab alia conscientia? qui non edit, edentem ne condemnato.*

7. Quarta imperfectio est in animi proposito ac statu, quod facilè impellitur ad malam partem, 1 *Cor.* 8. 10. *Etenim si quis viderit te illa cognitione præditum, in idoleio accumbere, nonne conscientia ipsius qui infirmus est, instruetur ad edendum ea, quæ sunt idolis mactata?* unde etiam maximè propriè dicitur *offendi*, *scandalizari*, *vulnerari*, & *perdi*. Rom. 14. 21. 1 *Cor.* 8. 9, 12. *Rom.* 14. 15.

8. Conscientia firma est, quæ stabilitur in veritate. *Rom.* 14. 5. *Unusquisque in animo suo plene certus esto.* 2 Petr. 1. 12. *peritos & stabilitos in præsente veritate.*

*a* Imperfectiones conscientiæ infirmæ.

9. Sta-

9. Stabilitas hæc est 1. inscientia, & non tam in ejus claritate, quam in certitudine consistit. 1 *Corinth.* 8. 4. 7. *Scimus idolum nihil esse in mundo, sed non in omnibus est ea cognitio: & conscientia earum, infirma quum sit, inquinatur.* Certitudo enim magis pertinet ad fidem, quæ per conscientiam hic intelligitur, quam claritas illa, quæ est scientiæ propriè dictæ: 2. in affectu illo quo parata semper est tolerare, ac portare infirmitates aliorum. *Rom.* 15. *v.* 1. *debemus nos, qui firmi sumus infirmitates imbecillorum portare.* 3. in judicio, ne fratri proponat quidpiam, ad quod impingat vel offendat. *Rom.* 14. 13. *Hic potius adhibete judicium, ut ne fratri proponatis quidpiam, ad quod impingat, vel offendat.* 4. in proposito ac statu animi, quo ita roboratur in veritate ac pietate, ut non facile dimoveantur. *Hebr.* 13. 9. *Bonum enim est gratia constabiliri cor.*

## CAPUT XIV.

## DE CONSCIENTIA MALA.

*Sic fuit Conscientia bona.*

1. Conscientia mala dicitur, vel respectu vitii, vel respectu molestiæ ac doloris.

2. Conscientia vitiosè mala est, quæ rectum & efficax judicium non fert. Talis est conscientia omnium hominum non renatorum. Non minus late enim extenditur in genere humano, quàm corruptio ipsa originalis, cujus pars non minima est *conscientia polluta.* Tit. 1. 15.

3. Primum vitium conscientiæ malæ, est cœcitas, qua non aliter judicat de bono ac malo, quam corporaliter cœcus de coloribus solet judicare. *Bonum appellat malum, & malum bonum.* Es. 5. 20.

4. Secun-

4. Secundum vitium, est torpor quidam spiritualis, quo neque excitat efficaciter ad illud quod bonum esse videt, neque retrahit ab eo, quod agnoscit esse malum. *Rom.* 1. 18. *qui veritatem in injustitia detinent.*

5. Tertium vitium, est testimonium falsum, quod præcipuè apparet in excusatione, & accusatione falsa.

6. Excusatio falsa conscientiæ malæ duplex est: vel enim non accusat ubi oportet: vel absolvit & approbat ubi debet accusare, & condemnare.

7. Prioris generis vitium, religionis loco colitur à pestifera secta libertinorum, qui summam perfectionem in eo collocant, si peccati sensus extinguatur.

8. Prævalet etiam in iis omnibus, qui cum sint à crassioribus peccatis immunes, sibimetipsis videntur quasi perfecti & nullius peccati accusandi. *Luc.* 18. 20. Marc. 10. 20. *Hæc omnia observavi à juventute mea.*

9. Secundi generis excusatio falsa, qua approbat conscientia mala, ubi debet condemnare, præcipuè reperitur in iis, qui superstitione prava sunt imbuti. *Putant fore ut sua illa loquacitate audiantur.* Joh. 16. 2. *Veniet tempus, quum quisquis vos interemerit, putet se cultum præstare Deo.* Rom. 10. 2. *Testor de ipsis, eos zelum Dei habere, sed non ex notitia.*

10. Accusatio falsa conscientiæ malæ est, cum ibi accusat & condemnat, ubi debet excusare, id est, ob bene facta. Rom. 14. 22. *Beatus; qui non condemnat seipsum in eo quod approbat.*

11. Conscientia moleste & ærumnose mala est, quæ accusat & condemnat. 1 Joh. 3. 20. *Si cor nostrum nos condemnet, &c.*

12. Hinc ad conscientiam isto respectu malam, pertinent affectus tristitiæ, timoris, angoris, &c.

13. Ista

13. Ista conscientia est honestè bona, si rectè accusat: est vitiose mala, si immerito id faciat.

14. Conscientia ~~moleste mala & honeste bo~~na, æque in fidelibus & infidelibus reperitur: sed in nondum credentibus præparationis vim habet ad veram resipiscentiam & fidem. *Actor*. 2. 17.

15. Conscientia moleste simul & vitiose mala, est etiam communis infidelibus cum fidelibus. Sed in credentibus principium illius gratiæ adest, cujus virtute sustentantur, contraluctantur, & paulatim sanantur.

## CAPUT XV.

### *De Variis gradibus & modis conscientiæ malæ.*

1. Conscientia mala secundum varios gradus distingui potest, 1. respectu defectus in hebetatam, stupefactam, cauteriatam. 2. respectu excessus in perturbatam & desperatam.

2. *a* Hebetata conscientia est, quæ in officio suo est adeo obtusa, ut efficax motus inde non sequatur. Talem conscientiam qui habent, opprimuntur somno quodam spirituali, quo ita ligatur conscientiæ sensus, ut non magis afficiatur illa, quam homo dormiens suis insomniis.

3. Hebetudo ista apparet 1. in segni stimulatione ad bonum. Exemplum habemus in Agrippa. Actor. 26. 28. *propemodum persuadet mihi*,

4. Apparet secundo in segni accusatione ob malum admissum. Exemplum habemus in Saule. 1 *Sam*. 24. 18.

5. Causa hebetudinis istius, in multis non planè impiis, est carnalis quædam securitas, quæ obrepere solet ex pace, ac prosperitate diuturna, *Ier* 48. 11.

9. *b* Stupefacta conscientia, quæ non omnino facit officium in accusando, & condemnando, nisi ob gravissima peccata, & cum urgetur gravissimis plagis. Sicut enim lethargici homines non solent ex-

*a* Conscientia hebetata: *b* Conscientia stupefacta.

citari,

citari, nisi magno strepitu facto, sic ista conscientia non movetur, nisi ex tonitru judiciorum Dei. Exemplum habemus in Pharaone *Exod.* 8. 9.

7 Causa stuporis hujus, est & infidelitas, & consuetudo peccandi, quæ tollit sensum peccati.

8. *a* Cauteriata conscientia, est quæ nulla ratione commovetur, nec in atrocissimis quidem flagitiis. 1 Tim. 4. 2. *quorum conscientia est cauterio resecta.* Hoc genus conscientiæ in iis præcipuè reperitur, qui postquam fuerunt illuminati, contra propriam suam conscientiam, sceleratæ vitæ sese dediderunt.

9. In istis impeditur, & ad tempus quasi extinguitur ipsa synderesis. Judæ 10. *quæcunque naturaliter, ut animantia rationis expertia, sciunt in iis sese corrumpunt.* Suppressio illa naturalium notionum practicarum communiter omnibus insitarum, à Philosophis quibusdam vocatur ἀπολίθωσις, quia tales homines vertuntur quasi in lapides, sicut in Scripturis cor durum, & lapideum habere dicuntur. Ab aliis Philosophis θηριότης & θηριωδεία vocatur, quia tales homines obbrutescunt planè, 2 *Pet.* 2. 12. vel potius diaboli naturam induunt. *Johan.* 8. 44.

10. Hujusmodi conscientiæ signa sunt 1. si quis lætetur de malo. *Prov.* 2 14. 2. si cum peccavit, non possit corrigi. *Prov.* 27. 22. 3. si certatim se dedat manifestis peccatis. *Eph.* 4. 19.

11. Conscientiæ huic malæ, vel cordi duro, opponitur *b* conscientia tenera, quæ facile afficitur à verbo Dei: cujus exemplum habemus in Josia. 2 Regum 22. 19. *Quia mollitus est animus tuus, & demisisti te à facie Jehovæ, quum audivisses ea, quæ loquutus sum, &c.*

12. *c* Conscientia perturbata, est quæ sic accusat, ut animum non sinat esse quietum.

a Conscientia cauteriata. b Conscientia tenera. c Conscientia perturbata.

13. Infert

13. Infert secum timorem consternentem, & dolorem opprimentem,

14. Appellatur in Scripturis tristitia, dejectio, afflictio vel conturbatio animi, & spiritus fractus, *Prov*. 18. 14.

15. Conscientiæ perturbatio aliquando est honestè bona: aliquando vero vitiosè mala.

16. Honesta bona est, quandò rectè accusat. Hoc autem fit propriè in iis, qui nondum credunt in Christum; sed accidit etiam in iis, qui verè credunt.

17. In iis, qui nondum credunt, conscientia molestè quidem mala, sed honestè bona, istiusmodi format syllogismum: qui non credit in Christum, iræ Dei subjicitur. Sed ego non credo in Christum. Ergo ego subjectus sum iræ Dei. Hic argumentatio tota est concedenda. Unica vero ratio istiusmodi conscientiæ pacandæ est, si qui hunc in modum afficitur, adduci possit in alium statum, per veram conversionem ac fidem. Tum enim assumptio illius syllogismi, quæ antea vera fuit, incipit esse falsa, & jure potest negari.

18. In verè credentibus, post gravia peccata, quæ vastant conscientiam, conscientia molestè quidem mala, sed honestè bona, istiusmodi format syllogismum: Qui graviter peccavit, & non idoneam egit pœnitentiam, is non potest ex vera fiducia consolationem habere in Deo. Ego talis sum. Ergo, ego non possum ex vera fiducia consolationem habere in Deo. Hic etiam credendum est conscientiæ accusanti, & resipiscentia seria quærenda, ut qui sic afficitur, possit tandem jure suo, assumptionem illam negare.

19. Conscientia perturbata, vitiose mala, est maximè propria in vere fidelibus. Quamvis enim infideles etiam in eo gravissime peccant, quod cum conscientia recte accusat, non quærunt verum remedium in Christo, sed vel plane succumbunt

cumbunt oneri, vel cordis duritie, repellunt vel ex vanissimis rebus, & quasi foliis ficulneis, quærunt levamen; peccatum tamen non est propriè in ipso judicio conscientiæ, sed in conclusionibus, quæ ex eo deducuntur.

20. Fidelium autem conscientia vitiose perturbatur multis modis. Hic argumentatio conscientiæ diligenter est examinanda. Semper enim vel propositio, vel assumptio potest ac debet negari & refutari, ut conscientia sanetur. Sic est in accusationibus iis, quæ oriuntur ex gratia Dei non percepta: ex sensu iræ Dei, ex afflictionibus externis, ex horrendis tentationibus ad peccandum, & ex variis peccatis.

21. *a* Desperata conscientia est, quæ sic accusat & condemnat, ut non tantum quietem, sed spem quietis vel remedii tollat.

22 Desperatio illa, quæ tollit omnem spem, quæ ex nostris meritis, aut viribus oriri potest, est honestè bona.

23. Illa autem desperatio, quæ in hac vita tollit omnem spem, quæ ex Dei gratia potest oriri, non tantum est moleste ac ærumnose mala, sed etiam vitiose.

24. *b* Desperatio autem damnatorum, quæ prorsus tollit omnem spem remedii, est ipsa miseriæ abyssus.


25. Hinc est, quod conscientia plane desperata, (plenè representans omnia peccata, una cum eorum summo ac indelebili reatu, & horrendam Dei iram super peccatores manentem, una cum miseria inde sequente, nunquam finienda) sit efficacissimum Dei instrumentum, ad damnatos torquendos: instar vermis corda ipsorum accerrimè mordentis ac rodentis in æternum. *Marc 9. 46. Vermis eorum non moritur.*

26. Perturbationi, & desperationi adversatur

a Conscientia desperata. b Vermis spiritualis.

plena pax, tranquillitas, & gaudium conſcientiæ bonæ: quod propriè oritur ex perfectione ſpei divinæ: qua apprehenditur immobilis poſſeſſio ſummi boni.

27. Hinc eſt, quod conſcientia bona, perfectè tranquilla, & læta, (quatenus intimè repræſentat plenam liberationem à malo culpæ ac pœnæ, & immobilem ac non perturbandam vitam Deo vivendam, per unionem, & communionem cum ipſo, in pace & gaudio ſummo) ſit formalis, & eſſentialis beatitudo ſanctorum in vita futura. *Matth.* 25. 21, 23. *Ingredere in gaudium Domini tui.* Joh. 15. 11. *Ut gaudium illud meum in vobis maneat, & gaudium veſtrum impleatur.* 1 Petr. 1. 8. *gaudio ineffabili & glorioſo.*



BRE-

# BREVIS RECOLLECTIO TRACTATIONIS PRÆCEDENTIS.

Prout in disputatione publica proposita fuit ad Theologiæ studium practicum excitandum.

# THESES THEOLOGICÆ De CONSCIENTIA.

1. *Scientia inflat; Charitas ædificat: Conscientia vero maxima cum Religione est ædificanda.* 1 Cor.8. v. 1, 10.

2. *Conscientia est judicium hominis de semetipso, prout subjicitur judicio Dei,* Esai.5 3.

3. *Est inclinatio quædam voluntatis, qua apta nata est, & excitare intellectum ad hujusmodi judicium & idem etiam sequi: quæ inclinatio à nonnullis conscientia vocatur, ab aliis pars conscientiæ, sed minus rectè. Neque enim conscientiæ nomen, neque actus ejus in Scripturis commemorati, vim aut facultatem aliam designant, quam intellectum.* Rom.2.15.

4. *Nec tamen quilibet intelligendi actus pertinet ad conscientiam: sed illi soli, qui tale judicium practicum constituunt, quale anteà thesi secunda fuit explicatum.*

5. *Per judicium autem actus judicandi maximè propriè notatur, non tantum habitus, aut facultas.* Rom. 2. 5.

6. *Tota conscientiæ ratio non continetur alio judicio, quam dianoëtico; quoniam accusatio, excusatio, consolatio & similia conscientiæ officia non possunt exerceri, nisi per medium, vel argumentum aliquod tertium, cujus vis in Syllogismo tantum per consequentiam apparet.* Rom. 6. 11. ὕτω καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε. Ita etiam vos colligite. Luc.19.22.

7. *Syllogismi illius, in quo integrum conscientiæ judicium explicatur, propositio semper agit de jure; assumptio de facto vel statu, & conclusio de relatione exurgente ex facto vel statu nostro, ratione illius juris: quod vel in reatu, vel in securitate quadam spirituali consistit.* E. gr. qui vivit in peccato, morietur.

Ego

Ego in peccato vivo. Ergo, ego moriar. v. ſ. qui credit in Chriſtum non morietur, ſed vivet. Ego credo in Chriſtum. Ergo non moriar, ſed vivam. *Rom.* 8.13,33,34. 1 *Joh.* 3.19,20.

8. *Conſcientia reſpectu propoſitionis, dicitur* Lex: *reſpectu aſſumptionis & concluſionis*, teſtis: *ſed reſpectu aſſumptionis, maxime proprie* judex, *vel* liber: *& reſpectu concluſionis maxime proprie* judex. Rom. 2. v. 14,15. Apoc. 20.12. 1 Joh 5.10.

9 *Propoſitionem dictat* συντήρησις, *quæ à Scholaſticis ſynderesis nominatur. Aſſumptio per appropriationem vocatur* συνείδησις. *Concluſio eſt ipſa* κρίσις.

10. *Synderesis propriè eſt habitus intellectualis, quo aſſentimur principiis operationum moralium. Non differt igitur à Lege naturæ, omnium cordibus naturaliter inſcripta, niſi ratione ſola.*

11. *Quamvis igitur, quantum ad actum, poteſt ad tempus impediri; non poteſt tamen planè extingui, vel omitti. Unde nemo reperitur tam projectæ nequitiæ, ut ſit omnis conſcientiæ ſimpliciter expers: ne Libertini quidem, qui peſtiferam ſuam perfectionem in eo collocant, ſi peccati conſcientia prorſus extinguatur.*

12. *Ad ſyndereſin latius acceptam referri debent omnes veritates practicæ, quibus certum aſſenſum præbemus; ſive illæ ſint è principiis naturalibus per conſequentiam deductæ, ſive communicatæ per revelationem divinam.*

13. *Hinc oritur diſtinctio, inter conſcientiam* naturalem *&* illuminatam. *Nunc hanc rogando appellat Scriptura, ut* Rom. 6 3. *Nunc vero illam; ut* 1 Cor. 6.9. & 11. 14.

14. *Hinc adequata regula Conſcientiæ eſt, voluntas Dei patefacta, qua homini præſcribitur & indicatur ſuum officium.*

15. *Conſcientia igitur ſolius Dei voluntati, & autoritati ſubjicitur proprie.* Jac. 4.12. *Neque poteſt ulli creaturæ ſemet proprie ſubjicere ſine Idololatria.*

16. *Hinc quamvis ad juſtas leges humanas juſto mo-*

*do observandas obligentur homines in conscientiis suis à Deo.* Rom. 13. 5. *ipsæ tamen leges humanæ, quæ sunt leges hominum, non obligant conscientiam.*

17. *Obligat hominem conscientia, in iis omnibus, quæ judicat ad officium suum ex Dei voluntate pertinere. ita ut nullius creaturæ imperio possit laxari.* Act. 4. 19. *unde ita sibi conscius, eo respectu, dicitur;* debitor. Rom. 2. 14. servus Rom. 6. 16. vinctus. Actor. 20. 22. constrictus. 2 Cor. 5. 14. & necessitate pressus. 1 Cor. 9. 17. *ita ut* non possit aliter facere. Act. 4. 20.

18. *Tanta vis est conscientiæ, ut actionem sua natura mediam efficiat vel bonam vel malam: & sua natura bonam, reddat malam: quamvis illam, quæ natura mala est, non possit convertere in bonam.*

19. *Nulla tamen actio fit vel melior, vel pejor, propter conscientiam illam, quam habet quis post illam actionem consummatam.*

20. *Conscientia errans, hactenus semper ligat, ut ille peccet, qui agit contra conscientiæ dictamen. Agit enim formaliter, & interpretatione contra voluntatem Dei.*

21. *Conscientiæ error de facto, (i.e. de objecto vel materia, circa quam actio debet versari) si sit inculpabilis, nihil mutat, vel minuit obligationem illam, qua recta conscientia tenetur.*

22. *Conscientia per errorẽ judicans illud esse licitum vel debitum, quod est illicitũ, ita ligat, ut peccet quis, si contra eam agat: & peccet etiã, si agat, juxta ejus præscriptum.*

23. *Hæc tamen peccandi necessitas, qua implicantur nonnulli, non pugnat cum æquitate legis divinæ.* 1. *Quia non est utrimq; respectu ejusdem, sed ab una parte respectu facti, & ab altera respectu modi faciendi.* 2. *Quia non est absoluta necessitas, sed ex hypothesi tantum: si nempe retineant talem conscientiam, quam debent exuere.* Eph. 4. 22. 3. *Quia non fluit ex natura legis, sed hominis peccato contrahitur simul & continuatur. Nemo enim, sine sua propria culpa, est hunc in modum perplexus.*

24. *Conscientia judicans illud esse illicitum, quod est licitum, obligat ad abstinendum ab illo licito,* Rom. 14. 14, 15.

14. 15. *Iudicans etiam illud esse debitum, quod tantum est licitum, obligat ad illud faciendum. Ratio est: quoniam à licitis potest quis abstinere: & potest etiam talia constanter observare, sine peccato.*

25. *Contra practicam conscientiæ dubitationem, non licet quicquam agere.* Rom. 14. ult.

26 *In dubiis tutior pars est eligenda. Tutior autem pars est illa, in qua sequenda, certum est, nullum inesse peccatum.*

27. *Licitum & consultum est aliquando, agere contra scrupulum aliquem conscientiæ.*

28. *Recognitio facti vel status nostri, prout respicit jus illud, quod ipsa conscientia dictavit, assumptionem constituit Syllogismi illius practici, quem conscientia format. Appellatur in scripturis.* Intuitus animi. Psal. 119. 15. Intelligentia. Psal. 50. 20. Reputatio viarum. Psal. 119. 59. Appositio cordis ad illas. Hag. 1. 5 Dictio cum corde, *vel*, dictio cordi, *de ipsis*. Hos 7.2. Reditus in cor. 1 *Reg*. 8. 47. Repositio earum in corde. Jer. 12. 11. Malac. 2. 2. Examen *denique vel* probatio nostrum ipsorum. 2. Cor. 13. 5.

29. *In conclusione ejusdem Syllogismi applicat homo ad semetipsum, jus illud Dei, quod factum vel statum suum attingit: & sententiam pronuntiat de semetipso: unde sequitur necessario, vel excusatio, absolutio & approbatio, vel accusatio & condemnatio, una cum affectibus congruis.* Rom. 2. 15.

30. *Applicatio ista, quamvis sua natura sequatur ex antecedentibus actibus conscientiæ, ut conclusio ex præmissis: hominum tamen pravitate sæpe fit, ut propositione firmiter agnita, & assumptione aliquo modo subjuncta, conclusio nihilominus & applicatio rursus negligatur.* Rom. 2. 18, 20, 21. 2 Sam 12. 5. 6.

31. *Hinc necessitas imponitur fidelibus omnibus pastoribus, non tantum voluntatem Dei generaliter proponere, sed etiam juvare homines, quantum possunt, tam publicè, quam privatim, in ejusdem applicatione, prout judicia eorum & conscientia postulabunt.* Rom. 12. 7. Matth. 14. 4.

32. *Conscientia honeste bona est, quæ judicium fert rectum & efficax*, Hebr. 13, 12. *quæ contra facit, est vitiose mala*. Esa. 5, 20. Rom. 1, 18.

33. *Pacatè bona est, quæ excusat, absolvit, consolatur*, Actor. 24, 16.

34. *Conscientia post lapsum, non est honestè simul & pacate bona, nisi per sanguinis Christi aspersionem*. Hebr. 9, 13, 14, & 10, 22. *& per virtutem ejus in sanctificatione Spiritus*, 1 Tim. 1, 5. Actor. 15, 8, 9

35. *Conscientia pacatè bona, potest esse vitiose mala: & illa quæ moleste est mala, vel accusans, potest nihilominus esse honeste bona*.

36. *Conscientia infirma toto genere differt ab illa, quæ vel malitia, vel arrogantia, vel superstitione informatur*.

37. *Conscientiæ merito perturbatæ, hæc unica est ratio pacandæ: si, qui sic afficitur adduci possit in illum statum, per veram fidem & resipiscentiam, ut assumptio Syllogismi illius, quo turbatus fuit, merito incipiat esse falsa, & jure negetur*.

38. *Cum fidelium conscientiæ vitiose perturbantur, tum in argumentatione illa, quæ perturbationem infert, vel propositio, vel assumptio semper potest negari, ac refutari: quæ etiam unica est ratio talis conscientiæ sanandæ*.

## COROLLARIA.

1. Maxima violatio conscientiæ est maximum peccatum.

2. Maximus angor conscientiæ est maxima pœna.

3. Et incertitudo illa gratiæ, quam Pontificii statuunt, & incertitudo illa perseverantiæ in gratia quam docent alii, adversatur planè solido illi gaudio & fiduciæ firmæ, quæ fluit ex conscientia verè bona.

4. Interpretatio scripturæ, vel judicium discernens voluntatem Dei, pertinet ad quemlibet, in foro conscientiæ, pro semetipso.

FINIS LIBRI PRIMI.

De

# DE CONSCIENTIA ET EJUS CASIBUS,

## LIBER SECUNDUS.

In quo agitur de casibus iis, qui statum hominis concernunt.

### CAPUT I.

*De Casu Conscientiæ, & hominum statu in genere.*

Hactenus explicata fuit conscientiæ natura: deinceps tractandi veniunt conscientiæ casus.

1. CAsus conscientiæ est quæstio practica, de qua conscientia potest dubitare.

2. Quæstio dicitur, quia non est axioma per se manifestum, sed opus habet illustratione, & probatione per tertium aliquod argumentum.

3. Est etiam quæstio practica, quia alia dubia quæ immediatè non spectant ad praxin, non immediate pertinent ad conscientiæ judicium, vel actum. Quod non satis ab aliis observatur, qui sub titulo casuum conscientiæ multa tractant, quæ non magis ad conscientiam spectant, quam quodlibet aliud caput Theologiæ, certo consilio ab ipsis omissum.

4. Casus dicitur, quia cadere solet in hominum

vita: & casus conscientiæ, quia cum cadit, conscientia debet de eo cum maxima cura judicium ferre.

5. Hujus generis quæstiones sunt omnes illæ in quibus (supposita fidei ac obedientiæ doctrina generali) officium exquiritur ex incidente occasione.

6. De istis quæstionibus vere dixit ille (supra laudatus.) *Quum lex naturæ indita & inscripta, continens regulas honestatis, ac justitiæ naturalis, originali corruptione pene tota sepulta, & consuetudinali penè tota cumulata, tanquam aggere malarum cupiditatum superposito; quia etiam lex ipsa interioris visus, multiplicibus tenebris involuta est, & obscurata; ita ut nec liber mentis inscriptas regulas honestatis, plenè, ac planè exhibeat legibiles; nec intellectus noster in eodem legere possit distincte & aperte. Hinc est, quod tria nobis adminicula divinæ providentiæ miseratio nobis adhibuit: vide lucernam Scripturæ, spiraculum gratiæ, & adjutorium doctrinæ.* Huic autem ultimo præsens opera navatur.

7. Quæstio verò vel casus conscientiæ (rei ipsius natura & experientia dictante) vel est circa statum hominis coram Deo, vel circa actiones, quas in illo statu exerit & exercet.

8. Status hominis pertinet ad primam partem Theologiæ, quæ est de *fide*: actiones vero ad secundam partem, quæ est de *observantia*.

9. Status hominis coram Deo, est relatio illa, quam habet homo ad Deum, qua est principium spiritualis vitæ, ac felicitatis.

10. Conscientia de statu hoc 1. decernere debet; qualis sit & 2. judicare illum vel fugiendum esse, si malus fuerit: vel si bonus fuerit, conservandum illum & promovendum esse.

11. De statu hominis in genere, tres occurrunt quæstiones. Prima est, an possit homo certo cognoscere in quo statu sit?

Resp.

Resp. Potest: 1. quia sine hac cognitione non potest habere conscientiam accusantem, aut excusantem, respectu sui status: sed talem conscientiam possunt ac solent homines habere, *Rom*. 2. 15. 2. quia statum ignotum non possunt, vel fugere, vel appetere. Sed statum unum fugere, & alterum quærere debent, *Matth*. 3. 7. 8.

12. Q. 2. An debent homines inquirere in suum statum?

Resp. Debent hoc facere cum maxima diligentia. 1. quia Deus hoc postulat, 2 *Cor*. 13. 5. 2. quia sine hac cognitione non possunt habere pacem aut conscientiam tranquillam. *Rom*. 5. 1. *&* 8. 1. 3. quia alia ratione non possunt parare sese, ad Deum rite colendum. 1 *Cor*. 11. 28.

13. Q. 3. *a* Quibus mediis cognoscitur status hominis?

Resp. 1. Ex actibus externis & internis, *Matth* 7. *v*. 17. 2. ex inclinationibus, aut dispositionibus, ex quibus actus illi promanant, *Rom*. 7. 15, 16, 17. 3. per actum illum reflexum qui proprius est hominis, quo potest homo percipere quid sit in semetipso. 1 *Cor*. 2. 11. 4. per sensum quendam spiritualem. *Luc*. 24, 32. *Rom*. 7. 21. 23.

14. Quæst. 4. Quid impedit istam cognitionem?

Resp. 1. *b* Impiæ ac profanæ cognitiones in multis, *Psal*. 14. 1, 2. 2. præsumptio. *Apoc*. 7. 17. *Matth*. 7. 21, 23, *&c*. 3. gravatio cordis ex concupiscentiis carnis, & sollicitudinibus hujus vitæ. *Luc*. 21. *v*. 34. 4. conscientia mala. *Iohan*. 3. 20. 5. segnities vel ignavia spiritualis. *Esai*. 64. 11. 6. ignorantia. *Rom*. 6. 11.

*a* Unde cognoscatur status hominis?
*b* Impedimenta hujus cognitionis.

# CAPUT II.

## *De Statu Peccati.*

STatus hominis post lapsum Adami duplex est: status peccati, & status gratiæ. *Actor.* 26. 18. 1 *Ioh* 3. 10. 14.

2. Status peccati est, privatio spiritualis vitæ ac fœlicitatis. Fugiendum est igitur ab isthoc statu, tanquam à morte, ac summo malo. De hoc statu peccati, prima quæstio est; Quomodo discernere quis possit se in tali statu adhuc manere?

3 Resp. *a* Signa vel argumenta, quibus hic status certo discerni potest, in genere, sunt illa omnia, quæ opposité sese habent ad statum gratiæ, & vitæ spiritualis. Ex uno enim horum statuum negato, alter necessario affirmatur.

4. Primum signum est, ignorantia crassa eorum, quæ pertinent ad vitam spiritualem. *Eph.* 4, 18. per hanc enim alienantur homines à vita Dei. Ratio est, quia fieri non potest, ut absque fide quisquam Deo sit gratus, *Hebr.* 11. 6. fidem autem nemo potest habere, sine cognitione voluntatis Dei, quæ ex prædicatione & auditione verbi comparatur. *Rom.* 10. *v.* 14.

5. Secundum signum est, perversa dispositio voluntatis, quia subjicitur planè regno peccati. *Rom.* 6. 12. Ratio est, quia illi, qui sistunt se servos ad obediendum peccati regno, sunt in statu servitutis erga peccatum ad mortem. *Rom.* 6. 16.

6. *b* Peccati autem regnantis hæc sunt indicia. 1. Si quis non serio opponat sese concupiscentiis peccati, sed tradit sese ipsis. *Rom.* 6. 13. 2. si in consilio deliberato, vel utile, jucundum, plus valeat apud eum, quam honestum & pium. *Philip.* 3. 19. 3. si peccati perpetratio lætitiam ipsi potius, quam

a Signa status peccati. b Signa peccati regnantis.

dolorem

dolorem soleat adferre. *Prov.* 2. 14. 4. si delectetur consortio impiorum, *Psal.* 50. 18 2 *Cor.* 6.14.&c.

7. Tertium signum, quo discernitur quis in statu peccati manere, est illa dispositio voluntatis, qua quis opponit sese voluntati Dei. *Rom.* 8. 7.

8. Hujus autem perversæ dispositionis indicia sunt, 1. rejectio cognitionis viarum Dei. *Iob* 21.14. 15, 16. 2. odium correctionis. *Psal.* 59. 17. 3. contemptus minarum & judiciorum Dei. *Psal.* 36.1,2. *Deut.* 29. 19.

9 Quartum signum est, affectuum perversitas, qua avertunt sese à Deo, & penitus inhærent rebus mundanis. 1 *Ioh.* 2. 15.

10. Aversio hominis à Deo manifesta fieri solet, 1. per alienationem, quam habet à verbo Dei, præsertim cum efficaciter ipsi prædicatur. 1 *Tim.* 4.3.4. 2. per invocationis vel cultus neglectum. *Psal.* 14.3. 4. *Psal.* 79.6. *Ier.* 10.25. 3. per alienationem à servis Dei, *Prov.* 29, 27. 1 *Ioh.* 3. 10.

11. Hominis inhærentis & immersi rebus mundanis, indicia sunt, 1. si præcipuam curam, ac sollicitudinem collocet in istis. *Matth.* 6.25, 31.32. Ratio redditur *v.* 21. & 24.2. si Deum & justitiam ejus potius deserere velit, quam ista mundana, *Matt.* 10. 37, 39. 3. si fælices judicet eos, qui mundanis bonis abundant. *Prov.* 11.28. & 18. 11.

12. Quintum signum est vitæ vel operum vitæ corruptio. *Rom.* 8. 13. Hæc autem corruptio vitæ, non in iis peccatis consistit, quæ ex infirmitate solent à piis etiam admitti: sed in perpetuo cursu, ac tenore peccandi. Appellatur in Scripturis, via peccati, *Psal* 1. 1. operatio peccati, *Mat.* 7.23. ambulatio vel incessus in peccatis, *Ps.* 1. 1 *Prov.* 1. 15. cōsectatio peccati, *Ier.* 9. 14. & consuetudo peccandi, *Ier.* 12.23. Opera hæc carnalia sunt per se manifesta. *Gal.* 5.19.

13. Sextum signum, & maxime deploratum, est pertinacia in malo, qua occludit quis viam omni reformationi, *Esa.* 6. 9, 10. *Ier.* 6. 10.

CA-

# CAPUT III.

## *De Procrastinatione conversionis.*

Quæstio secunda est, an quis tuto possit in hoc statu peccati, ad tempus aliquod permanere, præsertim si apud se constituat, postea vitam suam emendare?

1. R. Nefas est vel per minimum spatium temporis, differre studium conversionis. Rationes sunt. 1. Quia Deus hoc postulat in præsenti. *Psal.* 95. 7. *Hebr.* 4.7. Cum autem peccatum debitum est, & injuria Deo irrogata, manifestum est, quod emendatio ejus non debeat, nisi ex assensu & voluntate Dei, vel ad momentum differri. Quam cito igitur à Deo exigitur vitæ correctio & conversio, tam cito debet repræsentari. Præterea, furem, latronem, aut hostem publicum apud se tenere nemo subditorum potest, præter voluntatem superioris judicis, & crimine gravi carere. Peccatum autem est fur, ac latro, & hostis gloriæ divinæ. Quisquis igitur apud se retinet, ac fovet peccatum, contra voluntatem Dei, quamvis ad tempus tantum id facere decreverit, ille eo ipso nomine gravem reatum incurrit.

2. 2. Quia omnis dilatio resipiscentiæ duritiem cordis auget, *ibid.* Consuetudinem peccandi producit, & resipiscentiam reddit difficiliorem, *Jer.* 19. *v.* 23. Ratio est, quia habitus pravi magis obfirmantur intellectus magis obscuratur, *Eph.* 4.18. voluntas magis obduratur & addicitur peccatis, *Heb.* 4.7. omnes facultates magis quasi vinciuntur catenis, & stringuntur nodis, *Act.* 8. 33. Novella planta facilius eradicatur, quam cum profundius radices egerit. Clavus quo sæpius malleo pulsatur, eo firmius infigitur, & difficilius extrahitur.

3. 3. Quia

3. 3. Quia perſiſtentia in peccatis peccatorum numerum, reatum noſtrum, & iram Dei adauget. *Pſal.* 95.10, 11. Peccatum enim, quod per reſipiſcentiam non tollitur, ex ſua naturali inclinatione, & maledictione divina, ſimile quid habet illius, quod in bonis provenit à benedictione Dei; *creſcit & multiplicatur.* Suo etiam pondere trahit ad alia peccata, quemadmodum abyſſus abyſſum dicitur invocare.

4. 4. Quia vitæ noſtræ duratio eſt maximè incerta. *Jac.* 4.13, 14. Periculum eſt in mora. Stulte, hac nocte animam tuam repetent abs te: quam vero diſtuliſti converſionem, ubi erit? Nempe igitur dum opportunum tempus habemus, hoc agamus.

5. 5. Quia reſipiſcentia eſt donum Dei, quod ipſe etiam largitur tempore ſuo præſtituto, non arbitrio noſtro. 2 *Tim.* 2.25. 2 *Chron.* 6.2. *Luc.* 13.9. nulla igitur occaſio ejus eſt prætermittenda, ſed *hodie*, convertendum. Juſtum autem hoc eſt coram Deo, ut ſi negligamus officia hujuſmodi, eaque dum poſſumus aggredi nolimus, ex ejus judicio & deſertione fiat, ut cum vellemus, non poſſumus.

6. 6. Quia propoſitum differendi reſipiſcentiam, non poteſt ſimul conſiſtere cum ſyncero propoſito reſipiſcendi. 1 *Petr.* 4.3. Cavillatio eſt & fraus mali nominis, vel debitoris deſperati, qui, quia pecuniam ſibi creditam refundere non vult, de die in diem extrahit ſolutionem.

7. 7. Quia reſipiſcentia ſera eſt rariſſimè vera & ſemper ferè ſuſpecta. Latronis exemplum unicum exſtat in Scripturis. Neque de ipſo tamen legitur, aut de alio quoquam poſtea converſo, quod reſipiſcentiam ſuam diſtulerit. Imo contrarium planè tali homini denuntiatur. *Matth.* 24 48. *&c.*

8. 8 Quia ſi certi eſſe poſſimus de reſipiſcentia vera futura, indignum tamen foret, ſic agere cum Deo, quomodo non licet cum hominibus agere. *Levit.* 19. 13. *Prov.* 3. 18. & quomodo nolimus ut Deus nobiſcum agat, *Pſal.* 13.2, 3. & 102.3.

9. Pro-

9. Procrastinatores isti, ex sensu & usu communi, stultitiæ ac insaniæ convincuntur. Insanus enim ab omnibus haberetur, qui extinctionem incendii in domum suam grassantis vel ad horam unam differret: aut qui venenum ex corpore suo non statim expellere conaretur: aut qui vulneris gravis curationem non cum primis accelerarct, &c. In peccati autem incendio, veneno, morte negligenda, prout periculum est majus, ita stultitia multo magis perniciosa.

## CAPUT IV.

*De Præparatione ad conversionem peccatoris.*

Quæstio tertia, quid homini agendum, ut possit transire ex statu peccati, in statum gratiæ?

R. EX iis quæ necessario requiruntur, alia pertinent ad evulsionem à statu peccati: & alia ad constitutionem in statu gratiæ. Quæ pertinent ad evulsionem à statu peccati, sunt illa, quæ excutiunt homini securitatem carnalem, cui antea indormivit: & incutiunt ipsi maximam sollicitudinem de sua salute. *Actor.* 2, 37. & 16, 33. Hoc ut efficiatur, multa sunt necessaria.

1. Requiritur enim imprimis, introspectio seria in legem Dei, & examen vitæ ac status nostri, secundum sententiam ejus. *Jac.* 1. 23, 24, 25.

2. Requiritur ut ex illa comparatione legis Dei, ac status nostri, evictio conscientiæ sequatur, quæ in Scripturis dicitur ἀναπολογία. *Rom.* 1. 20. & 2. 1. & conclusio sub peccato. *Rom.* 11. 32. *Rom.* 2. 20. & 7. 7.

3. Requiritur, ut ex hac evictione conscientiæ, desperatio salutis consequatur, & respectu nostrarum virium, & omnis etiam auxilii quod à creaturis potest haberi. *Rom.* 7. 9, 11, 13.

4. Requiritur, ut ex istis omnibus, humiliatio vera

vera sequatur in corde, quæ consistit in dolore, ac timore, propter peccata, & confessionem congruam producit. *Matth.* 9. 12.

5. Ad humiliationem istam procurandam, necessaria semper est distincta singularium quorundam peccatorum consideratio. Generalis enim apprehensio confusum stuporem adfert, non humiliationem ullam genuinam. *Rom.* 7. 7.

6. Excitatur sæpè ex intuitu unius alicujus peccati, *Actor.* 2.23,37.

7. Promovetur aliquando per graviorem aliquam afflictionem, ut in Manasse, 2 *Chron.* 33.12 Humiliationis hujus gradus, non est idem in omnibus illis, qui convertuntur. Alii enim graviorem sentiunt perturbationem, alii vero leviorem. Sed omnes, qui verè convertuntur, verè etiam humiliantur. Ad constitutionem in statu gratiæ promissionum requiritur. 1. apprehensio illa Euangelii, qua possibile quis judicat, ut sibi remittantur peccata. *Rom.* 12 23. *Psal.* 133. 4. 2. vehemens desiderium illam gratiam assequendi: quod in Scripturis esuries, & sitis dicitur spiritualis. *Esa.* 55. 1 *Ioh.* 7.37. *Luc.* 1.5.3.3. actualis unio cum Christo, quæ consistit in fide, per vocationem efficacem ingenerata, *Ioh.* 15.4. resipiscentia vera, qua peccatum omne deserentes, Deo in Christo nos totos dedimus & dicamus. *Actor.* 2.38. & 3. 19. Sed de resipiscentia postea suo loco.

## CAPUT V.

### *De Vocatione Efficaci.*

PEr vocationem efficacem primum introitum habemus in statum gratiæ salutaris. Hic autem (in genere) quatuor occurrunt quæstiones, quæ intimè pertinent ad conscientiam. [a] Prima quæstio est, an fidelis possit ordinariis mediis pro certo scire, quod sit à Deo efficaciter vocatus, in statu gratiæ.

[a] Fideles possunt esse certi de sua vocatione.

Resp.

Resp. Potest & solet verè fidelis certo cognoscere, quod sit in statu gratiæ. Rationes hujus assertionis, præter illas, quæ antea exposita fuerunt in quæstionibus de statu hominis in genere, variæ possunt adferri.

1. 1. Officium & operatio spiritus Dei est, quem fideles acceperunt, certiores illos facere de iis, quæ Deus est ipsis gratificatus. 2. *Cor*. 2. 12. *Rom*. 8. 15.

2. 2. Jubentur fideles certam reddere suam vocationem & electionem. 2. *Petr*. 1. 10. Neque legalis est hæc præceptio, sed euangelica.

3. 3. Gratia illa quam recipimus habet naturam ac vim arrhabonis respectu hæreditatis nobis promissæ, *Eph*. 1. 14. & 4. 30. 1. *Cor*. 13, 14. 2. *Cor*. 21, 22. Cum igitur aliud adhuc futurum certum nobis reddit, non debet ipsa esse incerta. Nihil enim certum redditur, per illud, quod est incertum.

4. 4. Certa cognitio gratiæ Dei communicatæ, ut necessarium fundamentum requiritur ad gaudium & gratitudinem illam, quam Deus à nobis postulat ratione illius gratiæ. 1 *Petr*. 1. 6, 8.

5. 5. Conscientia emundata à mortuis operibus necessario infert certam cognitionem gratiæ, *Hebr*. 10. 20. *Rom*. 8. 16, & 9. 2.

6. 6. Expresse affirmatur hoc de fidelibus, idque ex illis rationibus, quæ sunt omnium fidelium communes. 2 *Cor*. 13, 5. 1 *Ioh*. 14. & 4. 16 & 5, 20.

*a* Quæstio secunda est, quibus signis, certitudo ista vocationis, & gratiæ efficacis, possit firmari?

7. Resp. Primum signum est, constans inclinatio voluntatis in Deum, tanquam in summum bonum. *Psal*. 119. 57. Nemo enim summum suum bonum verè collocat in Dei fruitione, nisi à Deo sit vocatus è mundo, & conversus à suis idolis, quæ antea sibimet erexerat in corde suo.

8. Secundum signum est, propositum & promptitudo animi ad auscultandum Deo in omnibus.

*a* signa vocationis efficacis.

1 *Sam*.

1 *Sam.* 3. 10. *Act.* 9. 6. *Psal.* 40 8, 9. Sic enim homo respondet vocanti Deo, & fit vocatus *Psal.* 27. 8.

9. Tertium signum est, vehemens desiderium erga verbum Dei 1 *Pet.* 2. 2 Per hoc verbum enim vocantur & regenerantur fideles. 1 *Petr.* 1 23.

10. Quartum signum est, singularis quædam dilectio eorum, qui ex eodem semine & sanguine regenerantur. 1 *Joh.* 3. 14.

*a* Tertia quæstio est, quid homini agendum sit, ut particeps fiat hujus gratiæ?

11. R. Quamvis Deus ex abundanti sua gratia, inveniatur sæpe à non quærentibus eum, varia tamen sunt officia, quæ homini incumbunt, circa suam vocationem, & quæ ordinarie debent ac solent præstari, antequam certitudo ista gratiæ possit acquiri.

12. Qui applicare sese cupit ad vocationem *Dei*. 1. Debet æstimationem habere de verbo Dei, supra omnes opes. *Psal.* 119. 14. Ratio est, quia nunquam, ut par est, quæret Regnum Dei, nisi tanti illud æstimet, ut omnia judicet ipsi postponenda. *Matth.* 10. *v.* 37. *Luc.* 14. 26.

13. 2. Debet præcipuam suam curam, operam & laborem in istud negotium impendere. *Joh.* 6. 27. *Prov* 24 & 8. 17. Ratio est, quia æstimatio illa non potest esse seria & solida, nisi conatus congruus consequatur.

14. 3. Debet cum omni diligentia, sollicitudine & constantia, applicare sese ad usum eorum omnium mediorum, quæ sanctificavit Deus ad communicationem suæ gratiæ. *Prov.* 8. 14. Ratio est, quia solus Deus, qui est author gratiæ, potest media ejus constituere & efficacia reddere. Imitari debet ægros illos, qui decumbebant ad piscinam. *Ioh.* 5. 3, 4, 7.

15. 4. Debet ita se comparare, ut vendat omnia alia, ut istam gemmam acquirat. *Proverb.* 23. 23.

*a* Officia vocati, ad suam vocationem promovendam, eamque certam reddendam.

*Matth.*

*Matth.* 13.43,44. Quamvis enim Deus nihil à nobis accipit, sed gratis donat vitam. *Esa.* 55.1,2. Nos tamen illicita omnia relinquere debemus actu, & externa, ac naturalia etiam bona, in proposito ac dispositione animi, ut gratiam Dei acquiramus.

Quarta quæstio est, quibus argumentis excitari homo possit ad vocationem Dei amplectandam?

16. Resp. 1. Si serio multumque apud se perpendat, quis ille sit à quo vocatur. Est enim Deus omnipotens, cui in omnibus auscultare tenemur, quamvis nesciamus quid inde sequetur. *Hebr.* 11. 8.

17. 2. Si cum attentione magna sæpè consideret, quid illud sit ad quod vocatur à Deo. Non est enim res aliqua exigua, & aliis curis postponenda, sed felicitas ac gloria æterna. 1 *Petr.* 5. 10. *Ephes.* 1. 18.

18. 3. Si pariter etiam cogitet, quid illud sit ex quo vocatur. Ad nihil enim deserendum impellitur, præter peccatum & mortem, *Actor.* 26. 18. *Luc.* 3 7.

19. 4. Si consideret causam hujus vocationis instituendæ, quam nullam aliam inveniet, præter incomprehensibilem Dei gratiam erga suum inimicum. *Rom.* 8. 10. 2 *Cor.* 5. 20. ferreus sit oportet, qui istiusmodi bonitate non movetur: ut videre est in Saul. 1 *Sam.* 24. 17, 18, 19.

20. 5. Si humiliter comparet semetipsum cum aliis, quibus vocationis gratia denegatur. 1 *Corinth.* 1. 26.

21. 6. Si ad animum revocet quanta sit offensa, vocationem istam Dei negligere, nedum aspernari, *Matth.* 22. 7, 8. *Luc.* 4. 24.

22. 7. Si simul etiam cogitet de miseria illa, quam ex lege talionis sibimet hoc peccato accerseret. *Prov.* 1. 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31.

CA-

## CAPUT VI.

### DE FIDE.

EFficacis vocationis opus est ingenerare homini veram fidem in Christum, & resipiscentiam erga Deum.

*a* De fide prima quæstio est, quid agendum sit homini, ut possit ad veram fidem in Christum pervenire?

I. Resp. Præter illa, quæ antea fuerunt proposita, requiritur 1. ut exeat planè ex semetipso, propriam suam justitiam abnegando. *Rom.* 10 3. *Phil.* 3. 9. Ratio est, quia nemo quæret justitiam extra semetipsum per fidem, nisi prius agnoscat se omni justitia destitutum esse in semetipso.

II. 2. Debet ut metam & scopum præcipuum proponere sibi justitiam Christi, ita ut omnia contemnat respectu Christi. *Phil.* 3. 9. 12. Ratio est, quia Christus non rectè quæritur, nisi cæteris omnibus rebus anteponatur, ut medium unicum salutis æternæ.

III. 3. Debet mentis oculos defigere in Euangelii promissiones. Euangelium enim est ministerium spiritus, justitiæ, & vitæ. 2 *Cor.* 3. 6, 8. Ratio est, quia Christus non offertur à Deo, nec apprehendi potest ab homine, nisi in promissionibus Euangelii.

IV. In promissionibus autem Euangelii intuendis; advertendum est 1. Christum solum in illis proponi, eumque crucifixum. 1 *Cor.* 1. 23, 24. & 2. 2. in Christo omnem sufficientiam esse redemptionis ac salutis, paratam omnibus eis qui in eum credunt. *Joh.* 3. 16. unde etiam in Scripturis appellatur *dives, pretiosa, abundans, & copiosa gratia*. *Eph.* 1. 6, 7. & 2. 4. *Rom.* 5. 20. 1 *Tim.* 1. 14. 3. gratiam istam singulariter offerri omnibus iis quibus prædicatur. *Marc.* 16. 13.

*a* Aspiratio ad fidem.

a Quæ

*a* Quæstio secunda, quibus argumentis excitari quis possit ad credendum in Christum?

V. Resp. 1. Si consideret hoc esse mandatum Dei, ut credat in Christum, 1 *Joh*.3.23. 2. Si cogitet de miseria illa, cui subjiciuntur omnes illi, qui non credunt. *Joh*.3.18.

VI. 3. Si meditetur de felicitate eorum, qui verè credunt. 1 *Joh*.3.16.

VII. 4. Si consideret, nullum aliud esse medium, quo miseriam illam fugere, aut felicitatem istam assequi possit, præter fidem in Christum. *Act*.4.12. *Hebr*. 11.6.

VIII. 5. Si cogitet de injuria, quam Deo facit ille, qui non credit. 1 *Joh*.5.10.

IX. 6. Si perpendat etiam honorem eum, quem Deo tribuunt illi, qui credunt. *Rom*.4.20. *Joh* 3.33.

X. 7. Si nubem exemplorum intueatur, eorum scilicet, qui crediderunt, & per fidem salvati fuerunt. *Hebr*. 12.1. sunt enim exemplaria eorum qui credituri sunt 1 *Tim*. 1. 16.

Quæstio tertia est, quibus signis vera fides possit discerni?

Resp. 1. Fides respectu adjunctorum distingui potest in languidam & vividam.

XI. *b* Languida fides est, quæ tentationibus & corruptionibus premitur & impeditur, ita ut exerere sese non possit, in iis fructibus, qui conscientiæ adferunt pacis, lætitiæ, & gaudii sensum. *Eph*.3.30. exemplum habemus in Davide. *Psal*.51.14.

XII. *c* Vivida fides est, quæ liberè exercet suos actus, ita ut cum summa consolatione ab ipso fideli sentiantur, 1 *Petr*. 1. 8.

XIII. Fides etiam respectu graduum distinguitur in infirmam & firmam.

XIV. *d* Infirma fides est, cujus cursus facilè retardari potest. *Rom*.14.1. *Gal*. 6.1. Vocatur in Scripturis ὀλιγοπιστία, *Matth*. 16. 8.

*a* **Motiva ad fidem.** *b* **Fides languida.** *c* **Fides vivida.** *d* **Fides infirma.**

**XV. Fir-**

XV. Firma fides est, quæ superans omnes difficultates, liberè pergit in suo cursu. Appellatur in Scripturis πληροφορία. *Luc.* 1 1. *Rom* 4.21. 1 *Thes.* 1.5. *Col.* 2 2.

XVI. *a* Fides vivida & firma satis est manifesta & cognita iis, quibus inest, quia 1. testimonium ejus habent in seipsis, 1 *Ioh.* 5.10. Spiritum scilicet Dei testificantem una cum spiritu suo, quod sint filii Dei. *Rom.* 8. 16. quem habent ut arrhabonem hæreditatis *Eph.* 1. 13, 14. & obsignantur in diem redemptionis. *Eph.* 4. 30. 2. charitatem Dei effusam habent in suis cordibus per eundem spiritum. *Rom.* 5. 5. unde pacem & gaudium habent, cum exsultatione gloriosa. *Rom.* 5. 1, 2. 1 *Petr.* 1. 6 8. 3. fructus illos habent & proferunt, quibus fides vera solet ostendi, & ad finem perduci. *Iacob.* 2. 18. *Gal.* 5.6

XVII. *b* Fides languida & infirma, discernitur esse vera & genuina, præcipuè ex istis notis.

Primo, si adsit sincerum desiderium unionis & communionis cum Christo. 2 *Cor.* 8.12. Hoc autem desiderium distinguitur ab eo, quod in irregenitis reperitur: 1. quod non est conditionalis optatio, aut velleitas, quomodo improbi multi optarent etiam spiritualia ista bona, si simul etiam retinere possent peccati fruitionem: sed est absoluta electio, *Hebr.* 11. 25. 2. quod non tantum fertur in ista spiritualia tanquam in sua commoda: sed etiam ut in ea, quæ sunt honestè simpliciter, & in sese bona; quæque debent ab omnibus desiderari, *Psal.* 73 25. *&* 43. 3. 3. quod in totum Christum fertur: id est, tam in sanctificationem, quam in justificationem & redemptionem, quæ est in ipso. 1 *Cor.* 1 30 4 quod pluris facit Christum, quam cætera omnia. 1. *Pet.* 2. *v.* 6. 5. quod conjunctum habet sensum peccati conscientiam prementis, & displicentiam seriam de illo, *Matth.* 11.28. 6. quod non vagum & volitans est, sed constans. *Luc* 18.1. 7. quod non sit pigrum, sed satagens. *Prov.* 21. 26. *&* 25. 15.

a Fides firma, b Notæ fidei veræ.

XVIII. Ap-

XVIII Apparet etiam synceritas fidei, si per efficax ministerium verbi generetur, conservetur, & excitetur. *Rom.* 10.4. unde etiam erga verbum afficitur, tanquam erga cibum suum spiritualem. 1 *Pet.* 2. 2. Ratio est quoniam hujusmodi desiderium cum sit motus vitæ spiritualis, vitam ipsam, quæ in fide consistit, necessario præsupponit & arguit. Præsumptio enim carnalis, & sine verbi ministerio consistit, & abhorret maxima ex parte, ab eorum efficaci applicatione, quæ pertinent ad vigorem pietatis, 1 *Tim.* 4. 3. Sed fides adhæret verbo tanquam principio & fundamento suo.

XIX. Apparet 3. ex eo, quod quamvis justificationem in suo Christo quærat, amplectitur tamen cum syncero assensu & subjectione cordis totum Dei verbum, id est, præceptiones, prohibitiones, & comminationes omnes, quæ à Deo proficiscuntur. *Psal.* 119. 6. *Iac.* 2. 10. 14. multis assentiebatur Herodes, *Marc.* 6. 20. Ratio est, quia fides abundat, & tradit vel dedit cor hominis Deo simpliciter, sine exceptione.

XX. Apparet 4. ex eo, quod quoad propositum animi, & conatum congruum purificat cor hominis ab omni peccato. *Act.* 15. 9. *Matth.* 5, 7. Ratio est, quia fides in Deo singulariter & imprimis quærit omnimodam peccatorum ablationem.

XXI. Apparet 5. ex eo, quod excitat in corde synceræ charitatis affectum erga Deum, quo fit ut maximi faciamus Dei nomen ac gloriam. 1 *Ioh.* 4. 19. Hinc est quod fideles in Scripturis describi solent per dilectionem illam, quam habent erga Deum, *Rom.* 2. 28. 1 *Cor.* 16. 22. *Eph.* 6. 23, 24. Ratio est, quia summum bonum collocant & apprehendunt in Deo.

XXII. Apparet 6. ex eo, quod excitat etiam in corde synceram charitatem erga fratres. 1 *Ioh.* 3. 14. & 5. 1. Ratio est, quia Dei imago in ipsis apparet.

CA-

## CAPUT VII.

### *De tentationibus, quæ militant adversus fidem.*

QUoniam tota ſpiritualis vita hominis pendet ex ſua fide. *Hebr.* 10. 38. & per fidem tanquam ſcutum tutus homo conſervatur adverſus omnes diaboli, mundi, & carnis tentationes. *Eph.*6.16. 1 *Petr.* 5. 9 *Hebr.*11.25. idcirco maximè impugnatur fides à diabolo, mundo, & carne. Utile igitur erit præcipuos hoſtium noſtrorum inſultus, quibus fidem impetere ſolent, bene cognitos habere, una cum mediis idoneis, quibus illos Dei gratiâ repellere poſſimus, ne fidem nimis labefactent.

*a* Prima igitur quæſtio eſt, quomodo fidelis poſſit ſemetipſum ſuſtentare adverſus illas tentationes, quæ petuntur ex eo, quod fides & illuſtres ejus fructus non poſſunt ſentiri?

I. Reſp. Debet 1. conſiderare, quod fides in ſua natura eorum ſit, quæ non cernuntur, neque ſentiuntur. *Hebr.* 11. 1. & in iſthoc differat à viſione. *Rom.* 8. 24. 1 *Corinth.* 13. 12. atque adeo ſufficiat ad fidei *eſſe*, ſi quis toto corde eligat Chriſtum, pro Servatore ſuo, & corde toto adhæreat ipſi. Cætera pertinent ad *bene eſſe* fidei, non ſimpliciter ad *eſſe*. *Col.*2. 7.

II. Debet 2. conſiderare, defectum multorum fructuum arguere poſſe fidem languidam, aut infirmam, non autem nullam, ſicut antea fuit explicatum. 2 *Petr.*1.8.

III. Debet etiam 3. conſiderare, multum aliquando ſuſtentari conſcientiam, ſenſu præterito, quamvis in præſentia non appareat. *Pſal.* 77. 6, 7, 12. & aliorum piorum ac peritorum de nobis judicio, cum noſtrum proprium perturbatur. *Hebr.* 6.9. 2 *Cor.*2.7,8.

*a* De ſenſu gratiæ defectus.

a Secunda quæstio est, Quomodo sustentare sese possit adversus illas tentationes, quæ petuntur ex eo, quod sentit signa iræ Dei?

IV. Resp. Debet 1. considerare, quod multa signa iræ Dei consistere simul possunt cum ejus favore. *Psal.* 99. 8.

V. Debet 2. meminisse, Christum ipsum, qui filius fuit dilectionis Dei, iram Dei hunc in modum gustasse. *Matth.* 27. 46.

VI. Debet etiam 3. considerare, quod à fidelibus requiritur, ut contra spem sub spe credant. *Rom.* 4. 18. & ut cum ipso Deo per fidem quasi luctentur: *Gen.* 32. 24. *Hos.* 12 4, 5.

b Tertia quæstio est, Quomodo sustentare sese possit adversus tentationes, quæ petuntur ex eo, quod fides ejus non crescit? *Rom.* 1. 17.

VII. Resp. Considerare 1 debet, quod fides (ut planta & animalia) facilius percipiatur crevisse, quam crescere. 2. quod incrementum fidei non est in singulis momentis ac tempestatibus vitæ. *Hebr.* 5. 12; sed. præcipuè tum, cum sol justitiæ propius accedit ad nostrum horizontem, per benigniorem suæ gratiæ communionem. *Actor.* 9. 31. 2 *Petr* 1. 2, 3. Tentationes ipsas, quæ impediunt augmentum fidei in præsenti, promovere idem in futurum: sicut hyems in plantis, & ægritudines variæ in corporibus hominum juniorum.

Quarta quæstio est, Quomodo sustinet sese adversus terrores propriorum suorum peccatorum, præsertim si sunt graviora?

VIII. Resp. Meminisse debet 1. ex fidei defectu contingere, ut in tentationes hujusmodi inducatur: *Rom.* 6. 11. *Eph.* 6. 16. 1 *Petr.* 5. 9. non igitur fidem propter hæc peccata esse abjiciendam, sed eo magis corroborandam. *Luc.* 22. 32.

IX. Debet. 2. considerare, fidelis officium esse non propter peccata fugere à Deo, sed propter

a De sensu iræ Dei. b De accretionis & progressus defectis.

Deum

Deum fugere peccata, & Deo in Christo adhærere, ad remissionem & abolitionem omnis peccati *Ioh*.3.14.cum *Num*.21.19.

a Quinta quæstio est, Quomodo substentare sese possit adversus afflictiones confertim ingruentes?

X. Resp. Cogitare debet. 1. quod istiusmodi probationes sunt fructus amoris Dei. *Hebr*. 12. 6. 2. Convertentur in ejus bonum. *Rom*. 28. 8.3. Gratia Dei in istis omnibus sufficere debet. 2. *Cor*. 12. 9. Sed de afflictionibus sequetur postea dicendi locus.

a De reatu gravium peccatorum

## CAPUT VIII.

### DE RESIPISCENTIA.

De resipiscentia quæstio prima est, Quid homini sit agendum, ut possit resipiscere?

I. Resp. Debet. 1. cum omni attentione peccata sua considerare, secundum illam naturam quam habent maximè detestandum. *Esai* 1.4. *Apoc*. 3. 17. Sicut enim consideratio peccati sub falsa aliqua specie rei prosequendæ, inducit in peccatum: sic vera consideratio peccati, ut rei abominandæ, ac omnimodo aversandæ, reducit animum denuo à peccato per veram resipiscentiam. In hac autem consideratione plurimum valet. 1. Majestatem illam Dei contemplari, quæ nostris peccatis est gravissime læsa. 2. Infinitam, & multiplicem illam obligationem perpendere, qua Deo placere tenemur, quam non cessavimus nefarie violare. 3. De horrenda illa ira Dei cogitare, quæ tanquam ignis consumens manet super peccatores impœnitentes. 4. Divina illa bona, quibus peccata nos privant, ob oculos habere. 5. Ingentia illa mala ad animum revocare, quæ peccatis nostris creantur, nobis, proximis, & nomini etiam divino. Singularem autem hic locum & vsum habet religiosa meditatio de summis illis cruciatibus,

morte, & maledictione, quam peccata nostra Christo Domino crearunt.

II. Debet. 2. obedientiam erga Deum ante oculos suos ponere, ut rem absolutè quærendam; & necessario prosequendam. *Luc.*13. 3.*Luc.* 10.42. Qui ad aliud quidquam feruntur, tanquam absolutè necessarium, illo ipso affectu demerguntur in exitium. 1 *Tim.*6.9.

III. Debet 3. confiteri sua peccata coram Deo. 1. *Ioh.* 1.9. *Psal.* 32.5. & 51. 5. confessio enim reatum & pudorem omnem homini adscribit, & omnem gloriam Deo. *Dan.* 9.

IV. Debet 4. per fidem in Christum expectare & petere commutationem cordis, secundum promissionem illam, quæ habetur. *Ezech.* 36. 26. 32. Qui enim suis viribus nixi, ad conversionem tendunt, nihil solidi præstant. 2. *Cor.* 3. 5.

V. Debet 5. in loco, in virtute illa Dei, avertere se toto corde ab eo, quod malum est, & convertere se ad illud, quod bonum est in conspectu Dei. *Psal.*34. 15. Adversio autem à malo consistit, primo in odio mali. *Psal.*45. 8. quod respectu præteritorum peccatorum necessario parit dolorem serium. *Zachar.* 12.10. una cum pudore ac fastidio. *Rom.*6.21. & conversio ad bonum, primo consistit in desiderio & proposito benè faciendi *Psal.*11. 9. 30. & 106.

a Quæstio secunda est, quibus argumentis excitari aliquis possit ad resipiscentiam veram?

VI. Si consideret 1 hanc resipiscentiam summopere Deo placere. *Psal.* 51. 19. Vis argumenti in eo est, quod qui per fidem deditus est Deo, non potest non omnibus illis studere, quæ placent Deo. 2. Planè necessarium esse ad salutem. *Luc.* 13. 3. Consequentiæ ratio in eo ponitur, quod qui vult finem, vult etiam illa media, quæ necessariam connexionem habere videt cum illo fine. 3. Peccatum causam esse separationis nostræ

a Motiva ad resipiscentiam.

ſtræ à Deo. *Eſai.* 59. 2. Idcirco ſequitur iſta atio quia fidelis per ſuam fidem adhæret Deo, atque adeo avertit ſe ab iis, quæ ſeparant à Deo. 4. Maximam repugnantiam eſſe inter peccata, & vocationem, fidem ac vitam noſtram. 2 *Cor* 6. 15, 16. 1. *Theſſ.* 4. 7. Valet argumentum: quia ex uno oppoſitorum affirmato, alterum negatur. 5. Maxima eſſe Dei erga ſe beneficia, quibus deducitur ad reſipiſcentiam. *Rom.* 2. 4. *Rom.* 2. 5. *Ier.* 8. 4. 5. 12. 5. Chriſtum dolores graviſſimos perpeſſum eſſe propter noſtra peccata. *Zach.* 12. 13. Ex quibus docemur quam ſint horrenda ac deteſtanda. 7. Impœnitentiam eſſe graviſſimum peccatum in ſeſe, & continuationem, obſignationem & amplificationem cæterorum omnium peccatorum. 8. maxima promiſſa fieri, & regnum Dei patere omnibus iis, qui reſipiſcunt. *Eſa.* 1. 18. 1. *Reg.* 8. 48, 49, 50.

*a* Quæſtio tertia, quænam ſint ſigna veræ reſipiſcentiæ?

VII. Reſp. 1. Dolor de peccatis, quatenus per ipſa Deum offendit, non tantum reſpectu pœnæ. Ratio eſt, quia reſipiſcentia avertit hominem à peccato, quatenus eſt peccatum: eſt autem peccatum, quatenus violat Dei voluntatem revelatam, atque adeo ipſum offendit, & provocat ad iram. Dolor etiam iſte debet eſſe maximus omnium dolorum. *Zachar.* 12. 10, 11. intellectivè ſaltem, quoad diſplicentiam voluntatis, quamvis ſenſitivè ſæpe alii dolores magis appareant intenſi. Dolor vel triſtitia eſt offenſio animæ, ex eo orta, quod patitur aliquid, a quo diſſentit, tanquam ab eo, quo lædi ſe ſentit. Dolor igitur de peccatis neceſſario comittatur converſionem à peccatis: quia anima dum ſeſe convertit à peccato, incipit nolle peccatum, aut ab eo diſſentire. Sentiens igitur adhærere ſibi illud, à quo maximè diſſentit, non poteſt non offendi ut læſa. Qua etiam ratio primaria, quare anima converſa diſſentit à

a Signa reſipiſcentiæ.

peccato, est repugnantia illa, quam peccatum habet ad Dei voluntatem, cui anima conversa jam est conjuncta: idcirco dolor iste de peccatis, si sit genuinus, magis oritur ex eo, quod Deus per illa sit offensus, quam quod miseriam secum adferunt.

VIII. Odium peccati, ut supra omne detestabile. *Apoc.* 3. 6. Odium autem hoc si sit syncerum, 1. fertur in omne peccatum cognitum sine exceptione. 2. constans est, sine intermissione. 3. implacabile est, sine reconciliatione. 4. vehemens est, sine toleratione.

IX. Tertium signum est ingens desiderium & fixum propositum, 1. vitandi omnia peccata, & benè vivendi in futurum. Ratio est, quia qui detestationem vel odium peccati consecutus est, sub illa ratione, quia est peccatum, & divinam offendit majestatem, is tam à futuris quam à præteritis peccatis abhorret: non minus enim hæc quam illa divinam majestatem offendunt: nemo autem potest fugere futura, nisi proponat, & statuat apud se, quàm potest firmissimè, peccata sua nunquam ex ulla conditione iterare. Hoc autem si sincerum sit, separationem infert, quantum fieri potest à peccatis præsentibus, & ab occasionibus futurorum. 2. omne bonum intendit. 3. efficaciter id quærit in assiduo conatu, & usu mediorum. 4. impedimenta omnia tam interna quam externa sollicite studet removere.

*a* Quæstio quarta. Quomodo quis resipiscere possit de peccatis incognitis?

X. Resp. Qui formaliter & distincte pœnitentiam agit de peccatis omnibus cognitis, virtualem & confusam resipiscentiam habet de iis etiam peccatis, quæ non novit. *Psal.* 19. 1.

*b* Quæstio quinta est, An sufficiat semel resipuisse?

XI. Resp. 1. Peccata præterita non sunt oblivioni tradenda. *Deut.* 9. 7. ne vetera quidem & in

a resipiscentia de peccatis ignotis, b Continuatio, & renovàtio resipiscentiæ.

juven-

juventute admissa. *Psal.* 25. 7. 2. utilis est hæc recordatio peccatorum præteritorum, 1. ad humiliationem. *Deuter.* 9. 6. & 7. 2. ad gratitudinem erga Deum, 1 *Tim.* 1. 12. & 13. 3. ad commiserationem & lenitatem erga alios peccatores. *Tit.* 3. 2. & 3. Quotiescunque autem memoriæ occurrunt, toties pudore ac dolore de illis affici debemus. *Gen.* 41. 9. *Ezech.* 16. 61, 63. 1 *Cor.* 15. 9. Horror quidem ille, qui percellere animum solet in prima conversione, non redit fidelibus ex recordatione veterum peccatorum, propter misericordiam illam Dei, quam in Christo sunt consecuti: sed pudor & erubescentia maximè decet sanctos. *Rom.* 6. 21. adeo ut nota hæc sit hominis impii, qui nondum de peccatis suis pœnitentiam egit, si illa cum lætitia possit recordari. *Job* 20. 12. *Prov.* 2. 14.

XII. 2. Renovanda est resipiscentia quotidie, prout peccata renovantur. 2 *Tim.* 1. 6. *Jerem.* 8. 6. Quemadmodum candela recens extincta, & adhuc fumans, exiguo flatu rursus accenditur & reviviscit, sic anima liberatur ordinariis angustiis & periculis, per tempestivam, i. e. quotidianam resipiscentiæ renovationem. Membrum luxatum debet quam primum restitui. 3. in extraordinariis peccatis extraordinaria etiam resipiscentia est necessaria. *Psalm.* 51. 1 *Corinth.* 5. 2. & 2 *Corinth.* 7. 9. & 12. 21.

## CAPUT IX.

## DE ADOPTIONE:

EX fide in Christum sequitur justificatio, & adoptio. Quia autem justificatio in relatione proprie consistit, idcirco nihil habet singulare, quod spectat ad conscientiam, præter illa, quæ vel antea fuerunt explicata, in quæstionibus de fide, vel postea sunt explicanda, in iis quæ pertinent ad sanctificationem, glorificationem & obedientiam.

Si quis certus de sua fide in Christum, & tamen

*a* Quæstio secunda, quibus argumentis excitari quis possit ad credendum in Christum?

V. Resp. 1. Si consideret hoc esse mandatum Dei, ut credat in Christum, 1 *Joh*.3.23. 2. Si cogitet de miseria illa, cui subjiciuntur omnes illi, qui non credunt. *Joh*.3.18.

VI. 3. Si meditetur de felicitate eorum, qui verè credunt. 1 *Joh*.3.16.

VII. 4. Si consideret, nullum aliud esse medium, quo miseriam illam fugere, aut felicitatem istam assequi possit, præter fidem in Christum. *Act*.4.12. *Hebr*. 11.6.

VIII. 5. Si cogitet de injuria, quam Deo facit ille, qui non credit. 1 *Joh*.5.10.

*b* IX. 6. Si perpendat etiam honorem eum, quem Deo tribuunt illi, qui credunt. *Rom*.4.20. *Joh* 3.33.

X. 7. Si nubem exemplorum intueatur, eorum scilicet, qui crediderunt, & per fidem salvati fuerunt. *Hebr*. 12.1. sunt enim exemplaria eorum qui credituri sunt 1 *Tim*. 1. 16.

Quæstio tertia est, quibus signis vera fides possit discerni?

Resp. 1. Fides respectu adjunctorum distingui potest in languidam & vividam.

XI. *b* Languida fides est, quæ tentationibus & corruptionibus premitur & impeditur, ita ut exerere sese non possit, in iis fructibus, qui conscientiæ adferunt pacis, lætitiæ, & gaudii sensum. *Eph*.3.30. exemplum habemus in Davide. *Psal*.51.14.

XII. *c* Vivida fides est, quæ liberè exercet suos actus, ita ut cum summa consolatione ab ipso fideli sentiantur. 1 *Petr*. 1. 8.

XIII. Fides etiam respectu graduum distinguitur in infirmam & firmam.

XIV. *d* Infirma fides est, cujus cursus facilè retardari potest. *Rom*.14.1. *Gal*. 6.1. Vocatur in Scripturis ὀλιγοπιστία, *Matth*. 16. 8.

*a* **Motiva ad fidem.** *b* **Fides languida.** *c* **Fides vivida.** *d* **Fides infirma.**

**XV. Fir-**

XV. Firma fides eſt, quæ ſuperans omnes difficultates, liberè pergit in ſuo curſu. Appellatur in Scripturis πληροφορία. *Luc.* 1 1. *Rom* 4.21. 1 *Theſ.* 1.5. *Col.* 2 2.

XVI. *a* Fides vivida & firma ſatis eſt manifeſta & cognita iis. quibus ineſt, quia 1. teſtimonium ejus habent in ſeipſis, 1 *Ioh.* 5.10. Spiritum ſcilicet Dei teſtificantem una cum ſpiritu ſuo, quod ſint filii Dei. *Rom.* 8. 16. quem habent ut arrhabonem hæreditatis *Eph.* 1. 13, 14. & obſignantur in diem redemptionis. *Eph.* 4. 30. 2. charitatem Dei effuſam habent in ſuis cordibus per eundem ſpiritum. *Rom.* 5. 5. unde pacem & gaudium habent, cum exſultatione glorioſa. *Rom.* 5. 1, 2. 1 *Petr.* 1. 6 8.3. fructus illos habent & proferunt, quibus fides vera ſolet. oſtendi, & ad finem perduci. *Iacob.* 2. 18. *Gal.* 5.6

XVII. *b* Fides languida & infirma, diſcernitur eſſe vera & genuina, præcipuè ex iſtis notis.

Primo, ſi adſit ſincerum deſiderium unionis & communionis cum Chriſto. 2 *Cor.* 8.12. Hoc autem deſiderium diſtinguitur ab eo, quod in irregenitis reperitur : 1. quod non eſt conditionalis optatio, aut velleitas, quomodo improbi multi optarent etiam ſpiritualia iſta bona, ſi ſimul etiam retinere poſſent peccati fruitionem: ſed eſt abſoluta electio, *Hebr.* 11. 25. 2. quod non tantum fertur in iſta ſpiritualia tanquam in ſua commoda : ſed etiam ut in ea, quæ ſunt honeſtè ſimpliciter, & in ſeſe bona; quæque debent ab omnibus deſiderari, *Pſal.* 73 25. & 43. 3. 3. quod in totum Chriſtum fertur : id eſt, tam in ſanctificationem, quam in juſtificationem & redemptionem, quæ eſt in ipſo. 1 *Cor.* 1 30 4 quod pluris facit Chriſtum, quam cætera omnia. 1. *Pet.* 2. *v.* 6. 5. quod conjunctum habet ſenſum peccati conſcientiam prementis, & diſplicentiam ſeriam de illo, *Matth.* 11.28. 6. quod non vagum & volitans eſt, ſed conſtans. *Luc* 18.1. 7. quod non ſit pigrum, ſed ſatagens. *Prov.* 21. 26. & 25. 15.

a Fides firma, b Notæ fidei veræ.

XVIII. Ap-

XVIII Apparet etiam ſynceritas fidei, ſi per efficax miniſterium verbi generetur, conſervetur, & excitetur. *Rom.* 10.4. unde etiam erga verbum afficitur, tanquam erga cibum ſuum ſpiritualem. 1 *Pet.* 2. 2. Ratio eſt quoniam hujuſmodi deſiderium cum ſit motus vitæ ſpiritualis, vitam ipſam, quæ in fide conſiſtit, neceſſario præſupponit & arguit. Præſumptio enim carnalis, & ſine verbi miniſterio conſiſtit, & abhorret maxima ex parte, ab eorum efficaci applicatione, quæ pertinent ad vigorem pietatis, 1 *Tim.* 4. 3. Sed fides adhæret verbo tanquam principio & fundamento ſuo.

XIX. Apparet 3. ex eo, quod quamvis juſtificationem in ſuo Chriſto quærat, amplectitur tamen cum ſyncero aſſenſu & ſubjectione cordis totum Dei verbum, id eſt, præceptiones, prohibitiones, & comminationes omnes, quæ à Deo proficiſcuntur. *Pſal.* 119. 6. *Iac.* 2. 10. 14. multis aſſentiebatur Herodes, *Marc.* 6. 20. Ratio eſt, quia fides abundat, & tradit vel dedit cor hominis Deo ſimpliciter, ſine exceptione.

XX. Apparet 4. ex eo, quod quoad propoſitum animi, & conatum congruum purificat cor hominis ab omni peccato. *Act.* 15. 9. *Matth.* 5, 7. Ratio eſt, quia fides in Deo ſingulariter & imprimis quærit omnimodam peccatorum ablationem.

XXI. Apparet 5. ex eo, quod excitat in corde ſynceræ charitatis affectum erga Deum, quo fit ut maximi faciamus Dei nomen ac gloriam. 1 *Ioh.* 4. 19. Hinc eſt quod fideles in Scripturis deſcribi ſolent per dilectionem illam, quam habent erga Deum, *Rom.* 2. 28. 1 *Cor.* 16. 22. *Eph.* 6. 23, 24. Ratio eſt, quia ſummum bonum collocant & apprehendunt in Deo.

XXII. Apparet 6. ex eo, quod excitat etiam in corde ſynceram charitatem erga fratres. 1 *Ioh.* 3. 14. & 5. 1. Ratio eſt, quia Dei imago in ipſis apparet.

CA-

## CAPUT VII.

### *De tentationibus, quæ militant adversus fidem.*

QUoniam tota spiritualis vita hominis pendet ex sua fide. *Hebr*. 10. 38. & per fidem tanquam scutum tutus homo conservatur adversus omnes diaboli, mundi, & carnis tentationes. *Eph*.6.16. 1 *Petr*. 5. 9 *Hebr*.11.25. idcirco maximè impugnatur fides à diabolo, mundo, & carne. Utile igitur erit præcipuos hostium nostrorum insultus, quibus fidem impetere solent, bene cognitos habere, una cum mediis idoneis, quibus illos Dei gratiâ repellere possimus, ne fidem nimis labefactent.

*a* Prima igitur quæstio est, quomodo fidelis possit semetipsum sustentare adversus illas tentationes, quæ petuntur ex eo, quod fides & illustres ejus fructus non possunt sentiri?

I. Resp. Debet 1. considerare, quod fides in sua natura eorum sit, quæ non cernuntur, neque sentiuntur. *Hebr*. 11. 1. & in isthoc differat à visione. *Rom*. 8. 24. 1 *Corinth*. 13. 12. atque adeo sufficiat ad fidei *esse*, si quis toto corde eligat Christum, pro Servatore suo, & corde toto adhæreat ipsi. Cætera pertinent ad *bene esse* fidei, non simpliciter ad *esse*. *Col*.2.7.

II. Debet 2. considerare, defectum multorum fructuum arguere posse fidem languidam, aut infirmam, non autem nullam, sicut antea fuit explicatum. 2 *Petr*.1.8.

III. Debet etiam 3. considerare, multum aliquando sustentari conscientiam, sensu præterito, quamvis in præsentia non appareat. *Psal*. 77. 6, 7, 12. & aliorum piorum ac peritorum de nobis judicio, cum nostrum proprium perturbatur. *Hebr*. 6.9. 2 *Cor*.2.7,8.

*a* De sensu gratiæ defectus.

a Secunda quæstio est, Quomodo sustentare sese possit adversus illas tentationes, quæ petuntur ex eo, quod sentit signa iræ Dei?

IV. Resp. Debet 1. considerare, quod multa signa iræ Dei consistere simul possunt cum ejus favore. *Psal.* 99. 8.

V. Debet 2. meminisse, Christum ipsum, qui filius fuit dilectionis Dei, iram Dei hunc in modum gustasse. *Matth.* 27. 46.

VI. Debet etiam 3. considerare, quod à fidelibus requiritur, ut contra spem sub spe credant. *Rom.* 4. 18. & ut cum ipso Deo per fidem quasi luctentur. *Gen.*32.24. *Hos.*12 4, 5.

b Tertia quæstio est, Quomodo sustentare sese possit adversus tentationes, quæ petuntur ex eo, quod fides ejus non crescit? *Rom.* 1. 17.

VII. Resp. Considerare 1 debet, quod fides (ut planta & animalia) facilius percipiatur crevisse, quam crescere. 2. quod incrementum fidei non est in singulis momentis ac tempestatibus vitæ. *Hebr.* 5. 12, sed. præcipuè tum, cum sol justitiæ propius accedit ad nostrum horizontem, per benigniorem suæ gratiæ communionem. *Actor.* 9. 31. 2 *Petr.* 1. 2, 3. Tentationes ipsas, quæ impediunt augmentum fidei in præsenti, promovere idem in futurum: sicut hyems in plantis, & ægritudines variæ in corporibus hominum juniorum.

Quarta quæstio est, Quomodo sustinet sese adversus terrores propriorum suorum peccatorum, præsertim si sunt graviora?

VIII. Resp. Meminisse debet 1. ex fidei defectu contingere, ut in tentationes hujusmodi inducatur: *Rom.* 6. 11. *Eph.* 6. 16. 1 *Petr.* 5. 9. non igitur fidem propter hæc peccata esse abjiciendam, sed eo magis corroborandam. *Luc.*22. 32.

IX. Debet. 2. considerare, fidelis officium esse non propter peccata fugere à Deo, sed propter

a De sensu iræ Dei. b De accretionis & progressus defectis.

Deum

Deum fugere peccata, & Deo in Christo adhærere, ad remissionem & abolitionem omnis peccati *Ioh*.3.14.cum *Num*.21.19.

a Quinta quæstio est, Quomodo substentare sese possit adversus afflictiones confertim ingruentes?

X. Resp.Cogitare debet. 1.quod istiusmodi probationes sunt fructus amoris Dei. *Hebr*. 12. 6. 2. Convertentur in ejus bonum. *Rom*.28. 8.3. Gratia Dei in istis omnibus sufficere debet. 2. *Cor*, 12. 9. Sed de afflictionibus sequetur postea dicendi locus.

a De reatu gravium peccatorum

## CAPUT VIII.

## DE RESIPISCENTIA.

De resipiscentia quæstio prima est, Quid homini sit agendum, ut possit resipiscere?

I. Resp. Debet. 1. cum omni attentione peccata sua considerare, secundum illam naturam quam habent maximè detestandum. *Esai* 1.4. *Apoc*. 3. 17. Sicut enim consideratio peccati sub falsa aliqua specie rei prosequendæ, inducit in peccatum: sic vera consideratio peccati, ut rei abominandæ, ac omnimodo aversandæ, reducit animum denuo à peccato per veram resipiscentiam. In hac autem consideratione plurimum valet. 1. Majestatem illam Dei contemplari, quæ nostris peccatis est gravissime læsa. 2. Infinitam, & multiplicem illam obligationem perpendere, qua Deo placere tenemur, quam non cessavimus nefarie violare. 3. De horrenda illa ira Dei cogitare, quæ tanquam ignis consumens manet super peccatores impœnitentes. 4. Divina illa bona, quibus peccata nos privant, ob oculos habere. 5. Ingentia illa mala ad animum revocare, quæ peccatis nostris creantur, nobis, proximis, & nomini etiam divino. Singularem autem hic locum & usum habet religiosa meditatio de summis illis cruciatibus,

morte, & maledictione, quam peccata nostra Christo Domino crearunt.

II. Debet. 2. obedientiam erga Deum ante oculos suos ponere, ut rem absolutè quærendam; & necessario prosequendam. *Luc.* 13. 3. *Luc.* 10. 42. Qui ad aliud quidquam feruntur, tanquam absolutè necessarium, illo ipso affectu demerguntur in exitium. 1 *Tim.* 6. 9.

III. Debet 3. confiteri sua peccata coram Deo. 1. *Ioh.* 1. 9. *Psal.* 32. 5. & 51. 5. confessio enim reatum & pudorem omnem homini adscribit, & omnem gloriam Deo. *Dan.* 9.

IV. Debet 4. per fidem in Christum expectare & petere commutationem cordis, secundum promissionem illam, quæ habetur. *Ezech.* 36. 26. 32. Qui enim suis viribus nixi, ad conversionem tendunt, nihil solidi præstant. 2. *Cor.* 3. 5.

V. Debet 5. in loco, in virtute illa Dei, avertere se toto corde ab eo, quod malum est, & convertere se ad illud, quod bonum est in conspectu Dei. *Psal.* 34. 15. Aversio autem à malo consistit, primo in odio mali. *Psal.* 45. 8. quod respectu præteritorum peccatorum necessario parit dolorem serium. *Zachar.* 12. 10. una cum pudore ac fastidio. *Rom.* 6. 21. & conversio ad bonum, primo consistit in desiderio & propositio benè faciendi *Psal.* 11. 9. 30. & 106.

*a* Quæstio secunda est, quibus argumentis excitari aliquis possit ad resipiscentiam veram?

VI. Si consideret 1. hanc resipiscentiam summopere Deo placere. *Psal.* 51. 19. Vis argumenti in eo est, quod qui per fidem deditus est Deo, non potest non omnibus illis studere, quæ placent Deo. 2. Planè necessarium esse ad salutem. *Luc.* 13. 3. Consequentiæ ratio in eo ponitur, quod qui vult finem, vult etiam illa media, quæ necessariam connexionem habere videt cum illo fine. 3. Peccatum causam esse separationis no-

a Motiva ad resipiscentiam.

stræ

ſtræ à Deo. *Eſai.* 59. 2. Idcirco ſequitur iſta atio quia fidelis per ſuam fidem adhæret Deo, atque adeo avertit ſe ab iis, quæ ſeparant à Deo. 4. Maximam repugnantiam eſſe inter peccata, & vocationem, fidem ac vitam noſtram. 2 *Cor* 6. 15, 16. 1. *Theſſ.* 4. 7. Valet argumentum: quia ex uno oppoſitorum affirmato, alterum negatur. 5. Maxima eſſe Dei erga ſe beneficia, quibus deducitur ad reſipiſcentiam. *Rom.* 2. 4. *Rom.* 2. 5. *Ier.* 8. 4. 5. 12. 5. Chriſtum dolores graviſſimos perpeſſum eſſe propter noſtra peccata. *Zach.* 12. 13. Ex quibus docemur quam ſint horrenda ac deteſtanda. 7. Impœnitentiam eſſe graviſſimum peccatum in ſeſe, & continuationem, obſignationem & amplificationem cæterorum omnium peccatorum. 8. maxima promiſſa fieri, & regnum Dei patere omnibus iis, qui reſipiſcunt. *Eſa.* 1. 18. 1. *Reg.* 8. 48, 49, 50.

*a* Quæſtio tertia, quænam ſint ſigna veræ reſipiſcentiæ?

VII. Reſp. 1. Dolor de peccatis, quatenus per ipſa Deum offendit, non tantum reſpectu pœnæ. Ratio eſt, quia reſipiſcentia avertit hominem à peccato, quatenus eſt peccatum: eſt autem peccatum, quatenus violat Dei voluntatem revelatam, atque adeo ipſum offendit, & provocat ad iram. Dolor etiam iſte debet eſſe maximus omnium dolorum. *Zachar.* 12. 10, 11. intellectivè ſaltem, quoad diſplicentiam voluntatis, quamvis ſenſitivè ſæpe alii dolores magis appareant intenſi. Dolor vel triſtitia eſt offenſio animæ, ex eo orta, quod patitur aliquid, a quo diſſentit, tanquam ab eo, quo lædi ſe ſentit. Dolor igitur de peccatis neceſſario comittatur converſionem à peccatis: quia anima dum ſeſe convertit à peccato, incipit nolle peecatum, aut ab eo diſſentire. Sentient igitur adhærere ſibi illud, à quo maximè diſſentit, non poteſt non offendi ut læſa. Qua etiam ratio primaria, quare anima converſa diſſentit à

a Signa reſipiſcentiæ.

peccato, est repugnantia illa, quam peccatum habet ad Dei voluntatem, cui anima conversa jam est conjuncta: idcirco dolor iste de peccatis, si sit genuinus, magis oritur ex eo, quod Deus per illa sit offensus, quam quod miseriam secum adferunt.

VIII. Odium peccati, ut supra omne detestabile. *Apoc.* 3. 6. Odium autem hoc si sit syncerum, 1. fertur in omne peccatum cognitum sine exceptione. 2. constans est, sine intermissione. 3. implacabile est, sine reconciliatione. 4. vehemens est, sine toleratione.

IX. Tertium signum est ingens desiderium & fixum propositum, 1. vitandi omnia peccata, & benè vivendi in futurum. Ratio est, quia qui detestationem vel odium peccati consecutus est, sub illa ratione, quia est peccatum, & divinam offendit majestatem, is tam à futuris quam à præteritis peccatis abhorret: non minus enim hæc quam illa divinam majestatem offendunt: nemo autem potest fugere futura, nisi proponat, & statuat apud se, quàm potest firmissimè, peccata sua nunquam ex ulla conditione iterare. Hoc autem si sincerum sit, separationem infert, quantum fieri potest à peccatis præsentibus, & ab occasionibus futurorum. 2. omne bonum intendit. 3. efficaciter id quærit in assiduo conatu, & usu mediorum. 4. impedimenta omnia tam interna quam externa sollicite studet removere.

*a* Quæstio quarta. Quomodo quis resipiscere possit de peccatis incognitis?

X. Resp. Qui formaliter & distincte pœnitentiam agit de peccatis omnibus cognitis, virtualem & confusam resipiscentiam habet de iis etiam peccatis, quæ non novit. *Psal.* 19. 1.

*b* Quæstio quinta est, An sufficiat semel resipuisse?

XI. Resp. 1. Peccata præterita non sunt oblivioni tradenda. *Deut.* 9. 7. ne vetera quidem & in

a resipiscentia de peccatis ignotis, b Continuatio, & renovàtio resipiscentiæ.

juven-

juventute admissa. *Psal.* 25. 7. 2. utilis est hæc recordatio peccatorum præteritorum, 1. ad humiliationem. *Deuter.* 9. 6. & 7. 2. ad gratitudinem erga Deum, 1 *Tim.* 1. 12. & 13. 3. ad commiserationem & lenitatem erga alios peccatores. *Tit.* 3. 2. & 3. Quotiescunque autem memoriæ occurrunt, toties pudore ac dolore de illis affici debemus. *Gen.* 41. 9. *Ezech.* 16. 61, 63. 1 *Cor.* 15. 9. Horror quidem ille, qui percellere animum solet in prima conversione, non redit fidelibus ex recordatione veterum peccatorum, propter misericordiam illam Dei, quam in Christo sunt consecuti: sed pudor & erubescentia maximè decet sanctos. *Rom.* 6. 21. adeo ut nota hæc sit hominis impii, qui nondum de peccatis suis pœnitentiam egit, si illa cum lætitia possit recordari. *Job* 20. 12. *Prov.* 2. 14.

XII. 2. Renovanda est resipiscentia quotidie, prout peccata renovantur. 2 *Tim.* 1. 6. *Jerem.* 8. 6. Quemadmodum candela recens extincta, & adhuc fumans, exiguo flatu rursus accenditur & reviviscit, sic anima liberatur ordinariis angustiis & periculis, per tempestivam, i. e. quotidianam resipiscentiæ renovationem. Membrum luxatum debet quam primum restitui. 3. in extraordinariis peccatis extraordinaria etiam resipiscentia est necessaria. *Psalm.* 51. 1 *Corinth.* 5. 2. & 2 *Corinth.* 7. 9. & 12. 21.

## CAPUT IX.
## DE ADOPTIONE:

Ex fide in Christum sequitur justificatio, & adoptio. Quia autem justificatio in relatione proprie consistit, idcirco nihil habet singulare, quod spectat ad conscientiam, præter illa, quæ vel antea fuerunt explicata, in quæstionibus de fide, vel postea sunt explicanda, in iis quæ pertinent ad sanctificationem, glorificationem & obedientiam.

Si quis certus de sua fide in Christum, & tamen

inen hæsitat in conscientia de sua justificatione coram Deo, contingit hoc ex defectu sapientiæ, qua ex præmissis conclusionem debet inferre. Cui etiam defectui medicinam facilè adfert institutio recta de natura justificationis. Omnes enim promissiones Euangelii de remissione peccatorum, justificatione, & salute æterna, æquè pertinent ad quemlibet fidelem, & æquè possunt ac debent ab illo apprehendi, & applicari, ac si proprio suo nomine fuisset in Scripturis ipsis designatus & compellatus. Ratio est, quia quicquid promittitur fidei, aut fidelibus in genere, promittitur expresse omnibus & singulis verè credentibus.

Eadem etiam est ratio adoptionis, nisi quod huic benedictioni peculiari quadam ratione tribuitur, ut adjunctum Spiritus operatio quædam, cujus ratione dicitur Spiritus adoptionis. Quamvis enim idem sit Spiritus, qui 1. arguit homines de peccato, justitia, & judicio. *Joh.* 16. 8. 2. illuminat salvifica cognitione Christi. 1 *Corinth.* 1. 10, 13. *Ephes.* 1. 17, 18. 3. inserit in Christum. *Ephes.* 3. 6. & 4. 4. 4. insertos vivificat. 2 *Cor.* 3. 6. 5. vivificatos ducit in omnem veritatem, quæ est ad salutem necessaria. *Ioh.* 14. 17. & 16. 13. *Joh.* 4. 16. Quia tamen adoptio primarium locum obtinet inter omnia illa beneficia, quæ per Spiritum sanctum nobis obsignantur, idcirco denominationem singularem inde accepit, & vocatur Spiritus adoptionis. *Rom.* 8. 15.

*a* De isthoc autem Spiritu quæritur 1 quid sit homini agendum, ut possit eum vel ejus vividum actum & sensum acquirere?

I. Resp. Debet 1. diligenter attendere ad prædicationem Euangelii. 2 *Cor.* 3. 6, 8. Ministri novi pacti vocantur ministri Spiritus, & ministerium ejus ministerium Spiritus, quia per hoc medium Deus offert & communicat Spiritum suum. *Gal.* 3.

*a* **Quomodo adspirandum ad spiritum adoptionis.**

2. *Spi-*

2. *Spiritum accepistis ex fide per auditum percepda* Ephes.1.13. *Audito Euangelio salutis vestræ: per quo etiam postquam credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto.*

II. Debet 2. petere Spiritum hunc à Deo. *Luc.* 11.13. P*ater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus ab ipso.*

III. 3. Aperire portas sui cordis, ut Spiritus possit intrare. P*sal.* 24. 7. *Apoc.* 3 20. id est, avocare animum à rebus terrenis, erigere sursum, & comparare sese omni modo, ad Spiritus impulsus admittendos.

Quæstio secunda est, quænam sint signa Spiritus adoptionis?

*a* IV. Resp. Primum signum est, Spiritus precationis, quo invocatur Deus tanquam Pater. *Zach.* 12. 10. *Rom* 8. 15, 26: *Gal.* 4. 6. Genuinus enim filiorum affectus, & fiducia non contingit cuiquam, nisi ex communione ejusdem Spiritus.

Hoc autem illa ratione proprium quodammodo est temporis Euangelii, vel novi Testamenti, quia Deus præcipuè, manifestè, & præstantiore ratione quàm antea, Patrem se nostrum esse declaravit.

V. Secundum signum, est magna æstimatio dignitatis hujus, quæ est in adoptione. *Ioh.* 1. 12. *Ioh.* 3. 1. Spiritus enim non tantum obsignat nobis adoptionem, sed ostendit etiam, quanta sit benedictio, & quanti facienda.

VI. Tertium signum, est reverentia & honor Dei. 1 P*etr.* 1. 1. *Mal.* 1. 6. Reverentia enim genuina sequitur ex apprehensione maximæ benignitatis, cum maxima potestate conjunctæ.

VII. Quartum signum est obedientia filialis. 1 P*etr.* 1. 14. quæ non tam oritur ex mercedis exspectatione, quam ex amore & studio placendi. *Rom.* 8. 14. Obedientia enim oritur ex religiosa reverentia.

VIII. Quintum signum est confirmatio ad

*a* Notæ adoptionis.

imaginem Dei Patris, & Christi fratris primogeniti. *Matth.* 5.48. *Rom.* 1. 29.1. *Iob.* 3.9 filius enim gignitur ad similitudinem & imaginem sui Patris.

IX. Sextum signum est erecta spes hæreditatis æternæ. *Rom.* 8. 17. Hæreditas enim & eius exspectatio est propria filiorum, non servorum aut alienorum.

Quæstio tertia est, quomodo quis conservare possit Spiritus hujus testimonium?

X. Resp. 1. Si non extinguat per contemptum vel neglectum mediorum gratiæ. 1. *Thess.* 5.19.20. Ratio est, quia verbum, cum similibus gratiæ mediis, sunt vitæ supernaturalis pabulum, quo adhibito Spiritus in nobis confortatur, quo etiam deficiente, Spiritus quoad habitationem suam in nobis deficit, atque adeo dicitur extingui.

XI. 2. Si non tristitia afficiat per fœditatem peccatorum, *Eph.* 4. 30. Ratio est, quia sicut tristitia naturalis exoritur ex præsentia vel repræsentatione objecti repugnantis & ingrati, quod incumbit ac prævalet, sic aliquo modo afficitur Spiritus ex peccato prævalente, quod maximè ipsi ingratum est & repugnans.

XII. 3. Si exuscitet per conatus pios. 2. *Tim.* 1.6. Ratio est, quia sicut ignis in ligno viridi non accenditur, nisi ope follium, & sufflationis, sic neque spiritualis ardor in cordibus peccatorum persistit, nisi congruis mediis excitetur.

## CAPUT X.

## DE SANCTIFICATIONE.

DE sanctitatione, quæstio prima est quid homini agendum sit, ut possit esse sanctus?

I. Resp. Debet 1. subjicere se totum verbo Dei *a* Verbum enim est veritas Dei sanctificans. *Ioh.* 17.17.

a Quomodo adspirandum ad sanctitatem.

17.17. *Jer*.31.33. Efficax autem eſt ad ſanctificandum, 1. quatenus oppoſitionem maximam habet ad peccatum, atque adeo expellit illud ex eo corde, in quo recipitur. 2. quatenus eſt potens Dei organon ad regenerationem hominum. 1 *Petr*. 1.23.

II. Debet 2. per fidem applicare ſibi Chriſtum, ut ſuam ſanctificationem. 1 *Cor*. 1. 30. Debet igitur 1. ex Chriſto quaſi fugere ſanctitatem. Impetrando, id eſt, cognoſcens Chriſtum eſſe fontem omnis vitæ ſpiritualis, & omnis gratiæ ſanctificantis. *Joh*. 1.16. *Coloſſ*. 1.19. & 2. 9. debet ita in Chriſtum recumbere & confidere, ad ſanctitatem veram conſequendam, ut hauriat eam ex illo fonte. *Eſa*. 12.3. Debet etiam 2. eandem ſibimet perſuadere per meditationem Chriſti, id eſt, contemplans & ſerio perpendens benedictiones Dei in Chriſto, ſemetipſum debet ſedulo excitare ad ſtudium illud ſanctitatis, quod illis beneficiis congruit.

III. Quia vero duæ ſunt partes noſtræ ſanctificationis, mortificatio nempe, qua exuitur peccatum aut vetus homo, & vivificatio, qua induitur gratia aut novus homo. *Eph*. 4.22, 24. & *Col*. 3.8, 10. idcirco duæ etiam ſunt partes applicandi Chriſti ad ſanctificationem, quarum prima eſt applicatio mortis Chriſti: ſecunda eſt applicatio reſurrectionis ejus & vitæ. *Rom*. 6.

IV. Applicatio autem mortis Chriſti ad mortificationem peccati fit, cum fides efficaciter colligit hanc mortificationem peccati ex morte Chriſti. *Rom*. 6. 11.

V. Ex hac applicatione peccatum dicitur crucifigi. *Rom*. 6.6. *Gal*. 5.24. mortte mulctari. *Rom*. 6.2. & ſepeliri. *Rom*. 6. 4.

VI. Clavi quibus peccatum in hac applicatione affigitur cruci, iidem planè ſunt, qui Chriſtum ipſum cruci affixerunt. Nihil enim eſt efficacius, quam ſi quis ſerio conſideret. 1. naturam & meritum ſuorum peccatorum. Qui enim ſerio cogitat peccata ſua mereri & moliri ſibi mortem, non

potest non studere, ut hanc perniciem antevertat, per peccati istius mortificationem: vel enim peccato, vel peccatori necessario est moriendum. *Rom.* 8. 13. 2. charitatem & misericordiam Dei Patris erga se peccatorem, qui misit Christum ad illa peccata tollenda. Charitas enim Dei cogit nos illud quærere pro nobismetipsis, quod Deus tam impense pro nobis quæsivit. *1 Iohan.* 4. 11. 3. gratiam Jesu Christi, quia omnia subivit & perfecit, ad eadem peccata delenda. Charitas enim & gratia hæc Christi si nobis sit cordi, constringet corda nostra ad hujusmodi studium. 1 *Cor.* 5. 14, 15. Isti ipsi veri fuerunt clavi, quibus Christus affixus fuit cruci, non materiales illi, quos interfectores Christi ad illum finem adhibebant.

VII. Applicatio resurrectionis & vitæ Christi ad vivificationem gratiæ fit, cum fides efficaciter colligit hanc vitam gratiæ ex resurrectione & vita Christi. *Rom.* 6. 11. Efficaciter autem colligitur per meditationem causæ efficientis, finis, & fructuum resurrectionis Christi. *Col.* 3. 1. Efficientis causæ meditatio hoc argumentum suppeditat: si idem Spiritus, qui excitavit Christum à mortuis habitat in me, excitabit etiam animam meam à morte peccati ad vitam gratiæ. *Rom.* 8. 11. Finis meditatio, hoc: sicut Christus excitatus fuit, ut mors ipsi postea non dominaretur, sed in perpetuum viveret Deo, sic etiam nobis est studendum. *Rom.* 6. 9, 10. Fructuum meditatio, hoc: sicut Christus excitatus, sedet ad dexteram Patris in cœlis, sic etiam nos vivere insuper debemus, tanquam municipes cœlorum. *Phil.* 3. 20.

VIII. Debet tertio, fide viva non tantum salutis promissiones generales apprehendere, sed illas etiam particulares, quæ singulariter pertinent ad ipsam sanctificationem. *Ezech.* 30. 25. *&c.*

IX. Debet 4. Spiritui sancto sese tradere totum, ut ab eo agatur & ducatur in omnibus. *Rom.* 8. 13, 14.

Quæ-

Quæſtio ſecunda, quænam ſunt argumenta, quibus incitari quis poſſit ad ſtudium ſanctitatis?

*a* X. Reſp. Si conſideret 1. neminem abſque ſanctimonia unquam viſurum Deum. *Hebr.* 12. 14. *Math.* 5. 20. 2. ſanctimoniam eſſe imaginem Dei, & perfectionem illam, in qua creati fuimus ab initio. *Eph.* 4. 24. 3. ſanctimoniam eſſe finem electionis, redemptionis & vocationis. *Epheſ.* 1. 4. 1 *Tim.* 4. 7. *Tit.* 2. 14. 1 *Corinth.* 1. 2. 4. eſſe etiam non minimam partem gloriæ felicitatis æternæ. *Epheſ.* 5. 27. 5. nullam fidem veram, juſtificationem, aut adoptionem conſiſtere poſſe ſine ſanctificatione *Jac.* 2. 26. 2 *Petr.* 1. 10. 1 *Cor.* 6. 11.

Quæſtio tertia, quænam ſunt ſigna veræ ſanctificationis?

*b* Reſp. 1. Reformatio omnium virium & facultatum hominis. 1 *Theſſ.* 5. 23. 2. reſpectus ad omnia præcepta Dei. *Pſal.* 119. 6. *Iac.* 2. 10. 3. perpetua cura vitandi peccata. *Prov.* 28. 14. 4. ambulatio coram Deo, *Gen.* 17. 1. *Actor.* 24. 16. 1 *Cor.* 10. 31. *Col.* 3. 23. 5. lucta Spiritus adverſus carnem.

*a* Motiva ſtudii ſanctificationis. *b* Notæ ſanctificationis.

## CAPUT XI.

### *De Lucta Spiritus & Carnis.*

Q. QUomodo diſtingui poteſt lucta ſpiritus adverſus carnem in regenitis ab illa pugna, quæ ſæpe in irregenitis, dum peccant, reperiri ſolet?

Reſp. Differunt 1. cauſis. Nam 1. Reluctatio improborum vel ex horrore, & ſervili pœnæ metu provenit, vel ex civiliore quadam diſpoſitione, quæ facilè ſuperatur: ſed lucta ſpiritualis eſt ex nova quadam natura, quæ ſua ſponte fertur in illa, quæ Deo placent, & contraria firmiter & conſtanter averſatur. 3. pugna & reluctatio illa, quæ in improbis reperitur, non ſolet ha-

bere locum, nisi in crassioribus illis sceleribus, quæ vel à naturæ luce condemnantur, vel ab omnibus iis, qui paululum illuminantur, abominationi maximæ solent haberi: spiritualis autem lucta regenitorum, est adversus omnem pravitatem, quamvis nunquam in crimine aliquo perficiatur.

II. 2. Differunt objectis, quia pugna illa, quæ in improbis reperitur, est, vel inter conscientiæ dictamen, & voluntatis inclinationem: vel inter voluntatis etiam leviorem inclinationem: ad moralia quædam bona, & improbos affectus, qui prædominantur: sed lucta illa, quæ est propria regenitorum, consistit in oppositione & concertatione novæ cujusdam, & suspernaturalis qualitatis, aut vitæ spiritualis, in voluntate præcipuè suam sedem habentis, adversus corruptas inclinationes, cohabitantes quidem, sed non prædominantes.

III. 3. Differunt effectis. Nam 1. pugna illa naturalium hominum, consistere potest ac solet, cum quotidiano & usitato peccatorum exercitio: sed lucta spiritus id semper efficit, ut quamvis in multis impingatur, tamen vitæ cursus & series, instituatur, & transigatur secundum Dei voluntatem. 1 *Johan.* 3. 9, 10. 2. pugna illa naturalium hominum, quamvis in causa sit aliquando, ut quod bonum est agatur, non tamen constituit bonum principium, bonum finem, & bonum modum agendi: spiritus vero luctans adversus carnem, hæc omnia secum adfert. 3. pugna hominum naturalium admittit ordinariè facta, quoad substantiam ipsam mala: sed spiritus ita prævalet maxima ex parte, ut peccatum non admittat in ipso facto, quamvis deficiat in modo & gradu. 4. in malis, quæ committuntur, pugna hominum irregenitorum non impedit, quin peccatum sit omni ex parte consummatum, quoad consultationem & proposi-

tum

tum antecedens, allubeſcentiam comitantem, & pertinaciam vel impœnitentiam conſequentem: ſpiritus autem ſua lucta minuit vim peccati, partim ante commiſſionem, partim dum committitur, & poſtea planè frangit. 5. pugna illa naturalium hominum non amplius aliquid quærit, quam repreſſionem peccati: ſed ſpiritus in ſua lucta contendit ſemper ad mortificationem ipſam peccati, & ad ſummam gratiæ perfectionem, quamvis ante mortem non poſſit illam adipiſci.

## CAPUT XII.

### *De Progreſſu in Sanctificatione facienda.*

QUæſtio quinta, an in eo acquieſcere debeamus, ſi principia ſanctificationis habemus?

I. Reſp. Duo adhuc officia nobis incumbunt, quorum alterutrum ſi negligatur, totus labor periit.

II. Primus eſt ſtudium ſanctitatis illius, quam habemus, retinendæ, 1. *Tim.* 1. 19. Ratio eſt, quia multi gradum aliquem fecerunt ad pollutiones mundi effugiendias, qui illis rurſum implicati ſuperantur, quorum ultima conditio deterior eſt priore. 2. *Petr.* 2. 20 21. 22.

III. Sanctitatem autem retinebimus. 1. ſi memores ſimus fœderis cum Deo initi, *Ioh.* 31. 1. & redemptionis, 1 *Cor.* 6. 19. 20. 2 ſi caveamus ſedulo, ne pœniteat nos alicujus pœnitentiæ, *Ierem.* 34. 11. id eſt, ſi diligenter nobis caveamus, ne ullum peccatum approbemus, quod antea improbavimus; aut officium ullum improbemus, quod antea probavimus: idque in illis rebus, quæ minutulæ habentur in mundo.

IV. Secundum officium eſt ſtudium augeſcendi in ſanctitate Dei, augmento Dei, *Coloſſ.* 2. 19. 2. *Petr.* 1. 5. *Phil.* 1. 9. 1. *Tim* 4, 15.

V. Ratio 1. quia talis eſt natura gratiæ, ut excitet ſemper deſiderium magis copioſæ fruitionis,

nis. 1. *Petr*. 2. 2, 3. ita ut quamvis sitis illa, quæ est totalis indigentiæ, excludatur per gratiam. *Joh*. 4. 14. illa tamen, quæ est copiosioris fruitionis non tollitur, sed augetur. 2. quia sicut calor noster vitalis nunquam permanet in uno statu, sed vel crescit, vel decrescit semper, sic in vita ista gratiæ, nisi opera detur incremento, consumptio aliqua necessario sequetur per impugnationem illam, quam patitur à carne.

VI. In sanctitate autem magis magisque proficiemus, 1. si exerceamus nos indies ad pleniorem abnegationem peccati, mundi, ac nostrûm ipsorum: & ad Deum, ejusque regnum perfectius quærendum. 2. si finem perpetuo ante oculos habemus. *Phil*. 4. 24. 3. si diligenter observemus corda nostra, *Prov*. 4. 25. 4. si invigilemus sancto usui mediorum illorum, quæ faciunt ad sanctitatem, adjunctis etiam precibus.

## CAPUT XIII.

### *De Primitiis Glorificationis in sensu amoris Dei*

INter primitias illas gloriæ, quæ in isthac vita fidelibus conceduntur, primum locum obtinet apprehensio, & sensus amoris Dei: sicut enim salutis nostræ procuratio, initium ac fundamentum suum primum habuit in electione, vel amore Dei, sic perceptionis ejus principium est à perceptione ejusdem amoris. De isthoc autem amore, quæstio prima est, qua ratione comparari possit hæc apprehensio, & sensus amoris Dei?

I. *a* Resp. Propria causa hujus apprehensionis est Spiritus Sanctus, effundens hanc dilectionem Dei super corda fidelium *Rom*. 5. 5. id est, certiores illos singulariter faciens, dilectionem hanc ad illos abundanter extendi. Sed multa tamen sunt media, quibus hæc effusio promovetur, quæ efficiunt etiam ut fideles radicentur, & fundantur

*a* Quomodo certioremur de amore Dei.

in

in ista charitate. *Eph*.3.18. Eorum autem præcipua sunt ista.

II. Primo si fidelis apprehendat Deum ut in relatione ad ipsum, & cæteros fideles, esse meram charitatem. 1 *Joh*.4.8. sic enim intelligenda est illa phrasis, non de Deo absolute considerato, sed in relatione ad fideles: quia omnia, quæ Deus agit circa fideles, proveniunt aliquo modo ex ejus charitate. Charitas enim Dei in effectis ejus est quærenda & contemplanda.

III. Secundo, si consideret quam admirabilia sunt omnia in isthoc Dei amore. *Joh*.3.16. 1. Respectu personæ diligentis. Nam Deus, qui omne bonum, sufficientiam, & perfectionem habet in sese, qui nullam utilitatem potuit ex homine, vel hominis amore capere, qui fuit etiam ab homine gravissime læsus, hic tamen Deus dilexit hominem. 1 *Joh*.4.10, 11.

IV. 2. Respectu personæ dilectæ. Deus enim amavit hominem immerentem, hominem inimicum, hominem ingratum. *Rom*. 5. 8.

V. 3. Respectu donorum ex amore datorum: Deus enim ex amore dedit homini proprium suum filium, in filio sese. 1 *Joh*.2 24. & cum ipso etiam omnia bona. *Rom*. 8. 32.

VI. 4. Respectu modi donandi, ex mera scilicet & abundanti gratia, sine ulla hominis petitione, aut expectatione. *Rom*.10.2.

VII. 5. Respectu durationis, quod amor iste Dei fuit ab æterno. *Eph*. 1. 4. & manebit etiam immutabilis in omnem æternitatem. *Ierem*. 31. 3. *Ioh*. 13. 1.

VIII. Tertia ratio promovendi sensum Amoris Dei in corde fidelis est, ut omni conatu semetipsum applicet in usu mediorum omnium, quæ huc faciunt, ad ampliorem gustum hujus amoris percipiendum. *Psal*.34.9. 1 *Petr*.2.3.

Quæstio secunda, unde dignoscere quis possit se à Deo amari?

IX. *a* Resp.

IX. a Resp. 1. Si certus sit Christum esse suum. *Gal*. 2. 20. hoc est, si certus sit de sua fide in Christum. Christus enim est filius dilectionis Dei, per quem illa dilectio ad alios etiam derivatur.

X. 2. Si certus sit de sua charitate erga Deum, 1 *Joh*. 4. 10. *Prov*. 8. 17.

XI. 3. Si sectetur justitiam. *Prov* 15. 9. Deus enim propriam suam imaginem non potest non amare.

XII. 4. Si charitas Dei constringat, & efficaciter excitet eum ad officia pietatis erga Deum, & charitatis ac justitiæ erga homines. 2 *Cor*. 5. 15. 1 *Joh*. 4. 13.

Quæstio tertia, annon ex bonis communibus apparet etiam charitas Dei?

XIII. Resp. Omnia Dei beneficia, cujuscunque generis fuerint, obligationem secum adferunt ad Deum amandum & colendum: sed quorundam est proprium, adferre etiam consolationem solidam ac spiritualem, per demonstrationem singularis Dei amoris. Nihil enim commune potest specialem amorem demonstrare. Creatio igitur, conservatio, & bona terrestria & naturalia per se non indicant amorem aliquem supernaturalem. *Eccles*. 9 1, 2. Sed tamen communia ista bona, cum fide recipiuntur, ut in Christo donata, respectu modi, qui vestiuntur, fiunt propria fidelium, sunt etiam secundaria signa charitatis Dei erga ipsos. *Psal*. 22. 10, 11, 12. fides enim efficit, ut tales rationes sint validæ, qualis ibi usurpatur à Psalmista; Fide autem dempta nullam omnino consequentiam habebunt.

a Notæ amoris divini.

CA-

## CAPUT XIV.

### *De Spe Salutis æternæ.*

EX apprehenſione & ſenſu amoris Dei, ſequitur ſpes confirmata, vel fiducia & indubitata exſpectatio ſalutis æternæ. De iſta autem ſpe & certitudine ſalutis, prima quæſtio eſt, An fidelis poſſit eſſe infallibiliter certus de ſua ſalute?

a I. Reſp. Non, tantum poteſt fidelis ad certitudinem iſtam pervenire, ſed etiam non debet quieſcere, antequam ad eam pervenerit. *Hebr.* 6. 11. & 10. 22 *Rom.* 4. 21. & 8.35.38.39.

II. 1. Deus hoc promiſſione, juramento, arrha, ſigillis confirmavit omni verè fideli. *Iohan.* 3. 16. *Ierem.* 31. 40. 41. *Hebr.* 6. 17. *Epheſ.* 1. 14. *Marc.* 15. 16

III. 2. Fides recipere debet totum illud, quod Deus ita confirmavit. *Hebr.* 4. 2.

IV. Triplici actu certitudo iſta perficitur in nobis, 1. actu fidei propriè dictæ, qua recumbimus in Deum per Chriſtum, ad certam ſalutis aſſequutionem. 2. ἐπιγνώσεως agnitionis actu, qua jam credentes intelligimus, Deum hanc ſalutem certo nobis adjudicaſſe. 3. fiduciæ aut ſpei actu, quo ſalutem adjudicatam certo expectamus. Sed fidei tamen tota applicatio tribuitur, quia primo & præcìpue pendet ex fide.

V. 3. Salus & vita æterna continetur in objecto fidei. Credimus enim vitam æternam. 1. *Petr.* 1. 3. 4. 5.

VI. 4. Vera gratia (de cujus certitudine antea dictum fuit) nunquam ſeparatur à vita æterna. *Hebr.*6.9. gratia enim juſtificans eſt certiſſima cauſa vitæ: & gratia ſanctificans eſt ejus pars *Iohan.* 17. 3. *Galat.* 2 20.

VII. 5. Deus Pater decrevit fideles ad vitam

a Spes poteſt ac debet eſſe certa.

perdu-

perducere. Fides enim est fructus electionis. *Act.*2. 47. & 13.8.

VIII. 6. Christus Salvator perpetuo intercedit pro fidelibus, ut conservet fideles à malo. *Ioh.* 17. 15.

IX. 7. Spiritus Sanctus dirigit & conservat fideles ad vitam æternam. *Ioh.*16. 1. *Ezech.* 36 27.

X. 8. Potestate Dei, & Christi conservantur fideles. *Ioh.* 10. 28, 29. 1. *Petr.* 1. 5. & corroborantur. *Eph.*3 16 *Col.*1.10. *Phil.*4.13.

*a* Quæstio secunda, quibus argumentis possit fidelis excitari, ad hanc certitudinem spei studiosè quærendam?

XI. Resp. 1. Deus hoc postulat. *Rom.* 15.15. *Col.* 1. 23. *Hebr.*6.11.& 10.22. 1 *Petr.*5 9.

XII. 2. Hæc spes est necessaria fideli tentato, ut galea militi. *Eph.*6.17. 1 *Thess.* 5. 8. *Hebr.* 6, 19. ut anchora navi.

XIII. 3. Libertatem, fortitudinem ac stabilitatem adfert in omni opere Domini. *Hebr.*3. 1 *Cor.* 15.58. Ratio est, quia finis & fructus operis allicit & excitat hominem ad sedulitatem & constantiam in operando. Quamvis autem nostra salus non sit præcipuus & ultimus finis benè agendi, est tamen fructus, & illa ratione participat naturam finis. *Rom.* 6. 22. ita ut non tantum liceat, sed maximè etiam deceat, ad infirmitatem nostram sublevandam, cum intuitu & expectatione gloriæ, tanquam mercedis, dare operam pietate. *Iac.*5.7. *Gal.* 6. 7, 8. *Hebr.*12.2. *Psal.*19.12.

XIV. 4. Finis est vocationis fidelium: unde etiam vocatur *spes vocationis*, *Eph.*1.18.

XV. 5. Spes ista non pudefacit: quia nunquam irrita fit, aut fallit. *Rom.*5.5. *Rom.*8 24.

XVI. 6. Spes est, quæ servat fidelem. *Rom.* 8. 24.

Quæstio tertia quid agendum sit fideli, ut possit spem hanc vivam habere, & conservare?

*a* Certitudo spei, quas ob causas quærenda?

XVII. Resp.

XVII. Resp. Debet 1. fidem suam firmam & vividam conservare. Spes enim ex fide fluit ac pendet, non tantum in *esse*, sed etiam in gradu, modo ac sensu. *Hebr.* 11.1:

XVIII. Debet 2. conscientiam bonam omni studio retinere. Talis enim conscientia ad fidem & spem confirmandam facit. 1. *Tim.* 1.19. 2. *Tim.* 4.7.8.

XIX. Debet 3. diligenter observare specimina & experimenta, quæ habuit amoris Dei erga se. Experientia enim efficit spem. *Rom.* 5,4.

XX. Debet 4. sæpè ob oculos ponere exempla eorum qui cum exitu felici sperarunt in Deo, *Iac.* 5. 12. 11.

XXI. Debet 5. frequens esse in exercitiis pietatis. *Rom.* 15. 4.

*a* Quæstio quarta, quænam sunt signa veræ ac vivæ hujus spei?

XXII. Resp. 1. Spes vera fertur in Deum solum: qui idcirco appellatur. *Deus spei. Rom,* 15.13. & *spes Israelis. Ierem.* 14.8.

XXIII. 2. Nititur gratuitâ illâ Dei misericordiâ, quæ in justificatione manifestatur: non meritis aut viribus humanis, neque externis & communibus Dei beneficiis. *Rom.* 5 1.

XXIV. 3. Non felicitatem tantum, sed sanctificationem etiam expectat. *Gal.* 5.5.

XXV. 4. Procreatur, & conservatur piis exercitiis. *Rom.* 15.4.

XXVI. 5. Adfert patientiam. 1. *Thess.* 1.3.

XXVII. 6. Adfert gaudium spirituale. *Hebr.* 3.6.

XXVIII. 7. Adfert etiam perpetuam curam sanctitatis. 1. *Ioh.* 3. 3.

a Notæ spei veræ.

C A-

## CAPUT XV.

### *De Consolatione.*

Ex spe vel fiducia Christiana, sequitur consolatio: quæ est confirmatio animi adversus dolorem, vel metum opprimentem. Non est enim propriè lætificatio animi ( ut quibusdam videtur ) sed magis doloris, timoris, aut tristitiæ repressio, ac mitigatio sive lenitio. Consolationem quippe accepit, qui tristitiam aliquo modo deposuit, quamvis gaudium necdum in ejus locum successit: vel si ex parte utcunque tristitia ejus repressa sit, vel lenita. Interdum enim mixturam inter se patiuntur, tristitia, & consolatio. Neque omnino bene, neque omnino male se habent, in principio consolationis. *Esai.* 40. 1, 2. De hac autem consolatione.

Quæstio prima est, An possit fidelis consolationem firmam habere adversus omne malum?

I. Resp. Potest. Nam. 1. Deus Pater respectu fidelium, est Deus omnis consolationis, consolans ipsos in omni afflictione. 2. *Cor* 1 3, 4.

II. 2. Christus est principium vel fons, per quem exundat consolatio fidelium. 2. *Cor.* 1. 5.

III 3. Spiritus sanctus est fidelium omnium paracletus, consolationem omnem ipsis impertiens. *Ioh.* 14. 16. 29. *&* 15. 26 *&* 16. 7 13.

IV. 4. Tota Scriptura facit ad consolationem fidelium. *Rom.* 15. 4.

V. 5. Valida redditur hæc consolatio per immutabile Dei consilium, & ejusdem omnigenam confirmationem *Hebr.* 6 17. 18.

VI. Una cum consolatione conjungit Deus confortationem gratiæ suæ, quæ est virium idonea reparatio, & congrua fortificatio. Cum enim fideles, instar mulierum infirmarum, ex terribilis alicujus mali apprehensione, incidunt quasi in deliquium animi, viribus omnibus solutis, Deus contra istum defectum, suppeditat gratiam confortationis

tionis. Exemplum insigne habemus. *Dan.* 10. *vers* 8. *Non fuerunt reliquæ in me vires. vers.* 10. *Ecce autem manus tetigit me, & commovit me super genua mea, & palmas manuum mearum, edixitque mihi, sta rectus. vers.* 18. *Pergens tetigit me, & confirmavit me; ac dixit, ne timete, vir desideratissime, pax tibi, etiam atque etiam confirmare. Quumque eo loquente mecum, confirmatus essem, dixi, loquatur Dominus meus, quia confirmasti me.* Hanc porro gratiam quærere jubemur. *Hebr.* 12. 12.

## CAPUT XVI.

### *De Afflictionibus.*

QUæstio secunda: quænam sunt illa mala adversus quæ consolatio quæri debet à fidelibus?

Resp. Sunt vel corporalia, ut afflictiones hujus vitæ, & mors: vel spiritualia, ut spirituales tentationes & peccata.

*a* Quæstio tertia, Quibus argumentis confirmari potest fidelis, adversus afflictiones hujus vitæ?

I. Resp. 1. Afflictionum hujusmodi tentatio est humana. 1 *Cor.* 10. 13. & peragi solet in fidelibus, dum sunt in mundo. 1 *Petr.* 5. 9. *Actor* 24. 22.

II. 2. Sine Dei providentia, ne capillus quidem capitis perit. *Matth.* 13. 30. *Luc.* 21. 18.

III. 3. Paternus Dei amor in afflictionibus fidelium solet manifestari. *Hebr.* 12. 6.

IV. 4. Christus ipse pertulit, & superavit omnes mundi afflictiones, ut possit succurrere nobis, *Hebr.* 3. 18. & 4. 15.

V. 5. Deus, una cum tentatione, per Spiritum suum & suppeditabit vires, & exitum etiam præstabit. 1 *Cor.* 10. 13.

VI. 6. Afflictionum tempus est breve. 2 *Cor.* 4. 17. 1 *Petr.* 5. 10.

VII. 7. Afflictonum fructus est salutaris. Omnis enim castigatio fructum tranquillum justitiæ reddit iis, qui per eam fuerint exercitati. *Hebr.* 12. 11.

Quæstio quarta, An pari ratione in omnibus af-

*a* Consolatio afflictorum.

flictionibus

flictionibus possumus nosmetipsos consolari?

*a* VIII. Resp. Prout varia est ratio ipsarum afflictionum, sic etiam variat ratio consolationis. Quædam enim afflictiones inferuntur nobis ab hominibus, justitiæ causa. *Matth.* 5.10. propter Christum *v.*11. Christi & Euangelii causa. *Marc.*10.29. Regni Dei causa. *Luc.*15.29. Istæ proprie persecutionis & crucis nomine designantur, quia similitudinem habent, & participationem quandam crucis Christi. *Phil.*3.10. In hujusmodi afflictionibus consolatio aliqua saltem est in promptu, quia possumus ac debemus genus ipsum & causam afflictionis habere præ argumento magnæ consolationis. *Math.* 5. 12. *Actor.*5.14. *Jac.*1.2. 1 *Petr.*4.14,16. Ratio est, quia in illis persequtionibus, quas justitiæ causa patimur, inest semper martyrii, testimonii & exempli ratio, qua Deum coram hominibus glorificamus. Edulium igitur ex edente procedit, secundum Samsonis ænigma. *Judic.* 14.

IX. Quædam afflictiones à Deo immittuntur, ad nos probandos ac tentandos. *Exod.* 15.25. & 16.5. *Deut.* 8.2, 16. Istæ propriæ appellantur *probationes* ac *tentationes*. In hujusmodi afflictionibus, consolatio nostra non fluit ex ipsa tentatione, sed ex modo ferendi, cum per gratiam Dei, nomen ipsius in illis sanctificamus ac glorificamus. *Job* 21. Prima igitur cura debet esse, ut comparemus nosmetipsos ad has afflictiones rectè ferendas; & tum postea consolatio sua sponte sequetur.

X Quædam etiam afflictiones immittuntur ut pœnæ aut castigationes. *Job.*36 9, 10. *Hebr.*12.6. In istis, quamvis aliqua consolatio contineatur, in castigationis paternæ ratione, *Hebr.* 12. 7, 8. non potest tamen solidè percipi, nisi in ipsarum afflictionum recto usu, *ibid. vers.*11. Hic igitur prima cura est, ut rectum usum faciamus istiusmodi visitationum, antequam ad consolationem solidam adspiremus.

*a* Varia genera afflictorum.

XI. Ge-

XI. Genera ista afflictionum non sunt adeo disjuncta, quin possint in una & eadem vexatione convenire. In persecutionibus enim probantur semper, & sæpe etiam castigantur fideles; sed probationes tamen & castigationes existunt, sæpe sine persecutione: & quando conveniunt, unius generis ratio in quibusdam magis elucet quam in aliis.

*a* Quæstio quinta, quid homini afflicto faciendum est, ut possit veram & solidam consolationem adipisci?

XII. Resp. Debet 1. agnoscere manum Dei affligentem, *Esa*. 26.11. *Ioh*. 4.6, 8. *Amos*. 3, 6 Hæc enim consideratio fundamentum est patientiæ, 1 *Sam*. 3: 18. *Psal*. 36. 10. & omnium salutarium fructuum, qui ex afflictionibus percipiuntur, *Esa*. 9. 53.

XIII. Debet 2. vias suas perscrutari, & agnoscere peccata, *Sam*. 3: 30, 40. *Iob*. 39 9. 10. Quamvis enim omnes afflictiones non semper immittuntur directè, & præcipuè propter peccatum, peccatum tamen est omnium afflictionum fons & fundamentum, *Rom*. 5. 12. æquissimum igitur, tutissimum, & Deo gratissimum est, ut in afflictionibus omnibus peccata nostra intueamur, quæ illas vel directè procurarunt, vel saltem promeruerunt.

XIV. Debet 3 submittere semetipsum in conspectu Domini, & sub potenti ejus manu. *Iac*. 4. 10. 1 *Petr*. 5. 6. 2 *Sam*. 15. 20. *Lev*. 26. 41. Alias enim contemnitur castigatio Dei, & proditur securitas, ac præfidentia vana, *Prov*. 3. 11. *Hebr*. 12. 5.

XV. Debet 4. in humili resipiscentia quærere faciem, favorem & gratiam Dei. *Psal*. 57. 2 *Sam*. 3: 41. *Amos*. 4. 12 *Hos*. 4. 15. & 7, 1. & 14. 2. Tres sunt tempestates Deum in resipiscentia quærendi, 1. statim post peccatum admissum, 1 *Cor*. 5. 1, 2. 2. post metum injectum alicujus pœnæ, vel comminationem divinam, *Ephes*. 2. 1, 2, 3. postquam ira Dei nos aliquo modo invasit, *Dan*. 9. 13. Optimi &

*a* Officia afflictorum.

emendatissimi sunt illi Christiani, qui primam occasionem captant. Ostendunt enim se ipsum peccatum, qua tale simpliciter aversari. Qui secundam non prætermittunt, secundam laudem habent. Credunt enim quamvis non vident. Illi autem sunt plane desperati, qui tertiam omittunt.

XVI. Debet 5. curare ut proficiat ex istis afflictionibus, ut in omni parte obedientiæ novæ, 2. *Chron*. 28. 22. *Esa*, 26. 9. *Iob*. 36. 10. *Hebr*. 12. 10. *Esa*. 27. 11. *Lev*. 26. 18, 21, 23, 24. 27, 28.

XVII. Debet 6. patienter expectare illum exitum quem Deus præstabit, 1 *Cor*. 10. 13. I*ac*. 5. 7. 8. 11. 2 *Sam* 15. 25. *Mich*. 7. 9. Qui illicitis mediis quærit liberationem, Deum magis offendi, 2 *Reg*. 1. 3 neque tamen liberatur, nisi permutatione facta minoris mali cum majore, *Esa*. 24. 18. *Amos*. 5. 19.

## CAPUT XVI.

### *De Morte*.

DE morte, quæstio prima est, an sit contemnenda?

*a* I. Resp. Mors non est simpliciter contemnenda, quia 1. sua natura est grave Dei judicium adversus hominum peccata, atque adeo & nostra merita, & Dei iram repræsentat. 2. quia aditus etiam est, natura sua, ad æternam separationem à Deo: ita ut vel desperatæ securitatis, vel affectatæ cujusdam sapientiæ ac fortitudinis effectum sit, contemptum mortis eodem modo profiteri cum ethnicis quibusdam hoc nomine laudatis. Sed tamen comparatione instituta, inter mortem, & illa quæ post mortem fidelibus præparantur, potest ac debet à fidelibus omnibus aliquo modo contemni, *Hebr*. 12. 2.

Quæstio secunda, an mors à fidelibus desiderari vel optari debet.

a De contemtu mortis.

Resp.

Resp. Non est simpliciter & absolutè optanda: 1. quia habet in sese rationem mali. 2. quia cum Deus, ut Imperator summus, collocavit nos in hujus vitæ statione, sine ejus jussu non debemus eam deserere, neque missionem ante tempus ab ipso constitutum simpliciter optare, 2 *Cor*. 5.4, 9. Sed tamen possunt, ac debent fideles, sic expectare vitam post mortem futuram, ut multo gratiorem illam habeant, quam vitam istam præsentem, 2 *Cor*. 5. 8. & eo tendere desiderio moderato & voluntati Dei subjecto, tanquam ad statum multo meliorem. *Phil*. 1.3. *Rom*. 8 23. 2 *Tim*. 4.8.

Quæstio tertia, quibus argumentis confirmari possit animus fidelis, adversus metum mortis?

*a* II. Resp. 1. Si cogitet serio, & fide apprehendat Christum per suam mortem abolevisse mortis robur *Heb*. 2, 14. & abstulisse ejus aculeum, 1 *Cor*. 15. 56. ita ut mors sit à Christo in victoriam absorpta, eadem victoria per eum data fidelibus, *ibid. vers*. 54, 57. ita ut certamen fidelium, non tam de ipsa victoria certet, quam de fide, qua adhæreant Christo victori, neque unquam se permittant ab eo divelli, sive in vita sive in morte.

III. 2. Si illud etiam perpendat, hunc unum esse finem Christi mortis, ut liberaret nos à metu mortis, tanquam à gravi servitute, *Hebr*. 2. 15.

IV. 3 Simul etiam cogitet cum fide, charitatem illam Christi, & Dei in Christo, ita firmam & constantem esse, ut nulla mors possit nos ab illa separare, *Rom*. 8.35. *&c*. ad finem cap.

V. 4. Si reputet secum, quod propter Christum, vita fidelium est pretiosa in oculis ejus, *Psal*. 72.14. & persuasum simul habeat, bonam Dei manum adesse, & paternam ejus providentiam invigilare fidelibus in bonum, tam in morte, quam in vita, *Matth*. 10. 28, 29, 30, 31.

VI. 5. Si bene perpendat à quot & quantis malis

*a* Quomodo minuendus metus mortis.

per mortem liberabitur, id est: 1. à peccato, 2. à miseriis, iis, quæ peccatum consequuntur, *Esai.* 57. 1, 2, 5. quæ faciunt sæpe ut mors ab aliis quæratur, *Apoc.* 9. 6. 3. à tentationibus diaboli, *Apoc.* 12. 1. 4. a mundi & carnis impugnatione, & vexatione, *Apoc.* 14. 13. *Eccles.* 4. 1, 2. Hinc mors dicitur quies & somnus, *Esai.* 57. 2, 6. 1 *Thess.* 13. 14. hoc diabolus ipse sub specie Samuelis agnoscit, 1 *Sam.* 38. 15.

VII. 6. Si ferat semper in oculis felicitatem illam, ad quam per mortem pervenitur. Post mortem enim 1. gratia Dei in nobis perficietur, 1 *Cor.* 13. 10. 2 erimus cum Deo, 2 *Cor.* 5. 8. cum Christo & spiritibus beatis, *Phil.* 1. 13. 3. cœlestis vitæ firmo, & immutabili statu perfruemur, 2 *Cor.* 5. 1. *Hebr.* 11. 10. 16 *Luc.* 16. 9.

VIII. 7. Si adjiciat animum ad seriam contemplationem vanitatis eorum omnium, quæ pendent ex vita præsenti, & morte delentur, *Eccles.* 2. 18.

IX. 8. Si memor sit, divinam providentiam sine illo sufficere, ad omnia illa, de quibus possit esse sollicitus: scit autem sine illa nihil omnino posse, quamvis maneret in vivis.

Quæstio quarta. Quid homini fideli faciendum est, ut frui possit hac consolatione?

X. Resp. 1. Debet 1. eo maxime incumbere, ut fides & fiducia sua specialis in Deum, per Christum, sit maximè vivida & firma, *Luc.* 2. 22. 2 *Tim.* 1. 12. 1 *Joh.* 5. 4.

XI. 2. Debet magnam curam habere, ut conscientiam habeat bonam, & sine offensa, *Actor.* 24. 15, 16. *Hebr.* 10. 22.

XII. 3 Debet cum ista fide & conscientia exspectare adventum domini, ita se gerens, ut municipem cœlorum decet, *Phil.* 3. 20. 2 *Petr.* 3. 12.

XIII. 4. Debet semper cogitare propinquam, & imminentem esse mortis horam, *Psal.* 90. 12. *Esai.* 28. 15. 2 *Tim.* 4. 6.

XIV. 5. Debet exercere semetipsum ad mundum abnegandum, & deserendum, 1 *Cor.* 7.29, 30,31. *Gal.* 5. 14.

XV. 6. Debet mortem ipsam quasi familiarem sibi reddere, & meditatione frequenti, & exercitiis etiam illis, ad quæ à Deo vocatur, 1 *Cor.* 15.31. 2 *Cor.* 1. 9. & 4.10, 11.

XVI. 7. Debet eo contendere, ut quo magis externus homo vergat ad corruptionem, eo magis internus renovetur, 2 *Cor.* 4. 16.

XVII. 8. Debet præcipuè non mortem ipsam, sed Dei gratiam & in morte ipsa, & in iis quæ mortem sequuntur cogitare, 2 *Tim.* 4. 8.

XVIII 9. Debet cum obsequio commendare animam suam fidelitati Dei, 1 *Petr.* 4. 19.

## CAPUT XVIII.

### *De Tentationibus.*

DE tentationibus, quæstio prima, quibus argumentis fidelis semetipsum confirmare possit adversus earum impetus?

a I. Resp. Si bene perpendat has tentationes partem esse illius militiæ, ad quam vocantur fideles, *Eph.* 6.12. & cui nomen dederunt in Baptismo, sub religione sanctissimi voti ac sacramenti.

II. 2. Si cogitet ducem ac Imperatorem nostrum in hac militia esse Christum. *Apoc.* 12. 7. in cujus etiam (utique præsentis) conspectu, res geritur: quod magnum est ad fortiter agendum incitamentum. Idem enim hortatur ut pugnemus, adjuvat ut vincamus, deficientes sublevat, & vincentes coronat.

III. 3. Si intelligat, ex ductu & imperio Dei pendere etiam ipsarum tentationum directionem. *Matth.* 6. 13. 2 *Thess.* 2. 11. 2 *Chron.* 18.21. *Matth.* 4. 1.

a Resistentia tentationum.

IV. 4. Si exitum consideret, quem Deus est daturus. 1 *Cor*.16.13. *Rom*.16.20.

V. 5. Si usum & fructum earum spectet, *Luc*. 22.31. 2 *Cor*. 12. 8, 9.

VI. 6. Si Christum tentatum, tentationes vincentem, & tentatis succurrentem sibi proponat. *Hebr*. 2. 18. & 4. 15. *Col*.2.15.

VII. 7. Si tentationis malum ab ipsa tentatione distinguat.

Quæstio secunda. Quid faciendum est homini fideli, ut possit istam consolationem percipere in hora tentationis?

VIII. Debet 1. tentationes omnes, quæ ad peccatum sollicitant, in hostium infensissimorum loco habere, 1 *Petr*. 2. 11.

IX. Debet 2. in odio & abominatione maxima habere suggestiones ipsas, quæ ducunt in peccatum, *Rom*.7. 15.

X. Debet 3. armare sese diligenter adversus spirituales istos hostes, *Eph*. 6. 13.

XI. Debet 4. cum omnibus viribus obsistere, *Iac*. 4. 7. 1 *Petr*. 5.9.

XII. Debet 5. non suis viribus confidere in ista lucta, sed Dei opem implorare, eaque niti. *Orat. Dom. Pet*. 6.

XIII. Debet 6. in fœdis tentationibus abstinere, ab omni disputatione & deliberatione speciali, circa rem suggestam, in ipsa detestatione rei acquiescens, *Matth*. 4. 10. viscosæ sunt hujusmodi tentationes, & facile adhærent.

XIV. Debet 7. omnes illas occasiones fugere, quæ tentationẽ illam promovere possint. *Prov*.4.14, 15.

XV. Debet 8. suggestiones molestas, quam maxima vi potest repellere & extinguere, *Eph* 6. 16. imo aliquando etiam contemnere, cum post omnia tentata, non desinunt esse molestæ.

XVI. Debet 9 (si sæpius repulsæ, usque & usque cum novis assultibus redeant) meminisse, invicti militis esse, non solum imperium, atque impressionem

nem hostis sustinere, verum etiam diuturnæ obsidionis moram ac tædium perferre.

Quæstio tertia, Qua ratione discernere quis possit, utrum tentatio aliqua prævaluerit apud sese, necne?

a XVII. Resp. 1. Hujus rei judicium non debet ex eo ferri. quod quis vel perturbatur animo, vel retinet suam quietem. Perturbatio namque animi, maxima ex parte, quæ sequitur ex tentationibus fœdis, non tantum non indicat earum prævalentiam, sed etiam pietatem animi demonstrat: & quieta securitas ostendit sæpe tentationem prævaluisse. Ratio est, quia pugna illa, quæ in perturbatione apparet indicium est aliquid esse in illo animo tentationi contrarium: & quies consensum aliquem prodit. A qua enim non conturbatur ex infusione aquæ, sed ex injectione ignis. Qui minime turbatur maxime læditur, *Luc.* 11.21. sic Ananias & Saphira quieti fuerunt, *Actor.* 5. 3. 8. sed Paulus fuit admodum turbatus, *Rom.* 7. 24. 2. *Cor.* 12. 7, 8. Perturbatio tamen si talis sit, ut à Deo absterreat, & non ad ipsum quærendum impellat, non est laudanda aut fovenda. Tum enim quamvis non directè, & ex natura sua, indirectè tamen, & ex perversitate naturæ nostræ tentatio est efficax, & tentator obtinuit quod quærebat.

XVIII. Manifestum signum tentationis prævalentis, est peccati illius admissio, ad quod tentatio impellebat, *Orat. Dom. Pret.* 6. Sed hic observandum est, hoc non tunc tantum contingere, cum peccatum illud plenè peragitur & perpetratur, sed etiam cum eo vel primus gradus est factus, in consensu voluntatis, vel etiam in delectatione minima de actu malo cogitato, quamvis voluntas exequendi absit, *Iac.* 1. 14, 15. & eo magis si sit (ut loquuntur) morosa, id est, persistat aliquandiu, & non statim repellatur

a Notæ tentationis prævalentis aut repulsæ.

XIX. 3. Quamvis nullum consensum tentationi præbeamus, si tamen ipsa tentatio ex nobismetipsis exoriatur, peccatum nostrum habet commixtum; etiam in prima ejus conceptione: quia ex nostra carne, & corruptione scaturit, quamvis à Diabolo accendatur & inflammetur, *Matth* 15, 18, 19 *Gen.* 6, 5, *&* 8.21. *Iac.*1.14. sed gradus iste peccati talis est, ut quamvis postulet humiliationem perpetuam, consolatione tamen non debet privare, quia est communis status fidelium omnium, qui nihilominus in Christo sunt Deo grati & accepti. Si verò non à nobis, sed à Diabolo proficiscatur cogitatio, tum detestanda est maximè, sed non agnoscenda pro nostro personali peccato *Matth* 4.

XX. Tentatio autem tum Deum judicanda est á Diabolo solo proficisci, & non à nobismetipsis, 1. cum repugnat lumini naturæ, vel rationi ipsi & inclinationi naturali, 2. cum non exsurgit sicut cogitationes vulgares, sed subito cum vehementia quadam, ad modum fulguris vibrati, in animum videtur immitti, aut intrudi.

XXI. 4. Dum efficacibus precibus, & similibus armis spiritualibus tentationi aliqui resistimus, & obluctamur, certi possumus esse, illam nondum prævaluisse, aut habere nos in potestate sua, 1 *Cor.* 12, 7, 8, 9. *Iac.*4. 8.

*a* Quæstio quarta, Quomodo sustentari possit conscientia fidelis in tentatione divina, id est, in spirituali aliqua desertione, ex qua magna sequitur anxietudo?

XXII. Resp. 1. Cogitandum imprimis est, desertionis hujusmodi expertos fuisse olim optimos Dei servos, *Ioh.*6, 4, 13, 16, 16 9. Davidem, P*sal.* 6, & 77. & Christum etiam ipsum, dilectissimum Dei filium, *Matth.* 27. 46.

XXVIII. 2. Intelligendum est desertiones istas non tam re ipsa, quam sensu nostro tales esse, *Hebr.* 13. 5.

a Tentatio divina.

XXIV. 3. Sciendum etiam Deum non oblivisci suorum tum temporis, cum videtur eos dereliquisse, *Esai.* 49.15,16. sed in suam gloriam, & eorum bonum hoc præ se ferre.

XXV. 4. Certi possumus esse ex verbo, & fœdere Dei, quod ista desertio non nisi brevis erit: præsertim si comparetur cum tempore miserationum, *Esa* 54.7,8. & 57.20.

XXVI. 5. Inquirendum est, cum omni conscientiæ examine diligenti, an peccata nostra propria non sint in causa? *Esa.* 57.21. quod si appareat, & confitenda sunt humiliter cum deprecatione, & serio deseranda. *Psal.* 52.

XXVII. 6. Fide debemus vivere *Hab.* 2.4. præstolantes Jehovam, qui abscondit faciem *Esa.* 8 17.

XXVIII. 7. Excitare nosmetipsos debemus ad Deum nostrum prehendendum, *Esa.* 64 11.

XXIX. 8. Debemus etiam illud semper cogitare, Deum quamvis diu nimis videatur abesse, expectare tantum opportunum tempus, gratiam nobis faciendi, *Esai.* 30. 18

## CAPUT XIX.

### *De Conscientia Peccati.*

DE peccatis, quæstio prima. Quibus argumentis consolationem suam firmare possit fidelis, versus conscientiam, de peccatis variis arguentem & accusantem?

I. Resp. Peccata ista sunt duorum generum: alia enim sunt proprie dictæ infirmitates, vel delicta quæ communiter adhærere solent optimis & vigilantissimis fidelium, 1 *Cor.* 6. 7. alia vero sunt flagitia, quæ neque omnium fidelium sunt communia, neque cuiquam vero fideli contingit, nisi rarius, & ex validiore aliqua tentatione, *Rom.* 6.13. *Gal* 6. 1.

II. Infirmitas est, cum propositum benefaciendi adest,

adeſt, tum generale, tum etiam ſpeciale, ſed perficiendi poteſtas deeſt, *Rom*.7.18. flagitium eſt, cum ipſum propoſitum vel in particulari aliquo facto eſt impium, 1 *Sam*. 12. 10. De infirmitatibus propriè dictis, iſta ſunt loca conſolationis.

III. 1. Hujuſmodi delictis non carent optimi, & perfectiſſimi filiorum Dei, dum in iſthac vita manent, *Iac*.3.2. 1 *Ioh*.1.8.

IV. 2. Deus miſeretur ſuorum in ſuis infirmitatibus, ſicut Pater indulgens miſeretur ſuorum parvulorum. *Pſal*. 103. 33. *Mal*. 3. 17.

V. 3. Chriſtus ipſe afficitur ſenſu infirmitatum noſtrarum, *Hebr*. 4. 15.

VI. 4. Chriſtus ipſe talis eſt propritiatio pro peccatis hujuſmodi, ut de ipſis conſolationem nobis offerat, etiam antequam ſint admiſſa, 1 *Joh*.2.1,2. *Rom*. 6. 14.

VII. 5. Per Chriſtum acceſſum habemus, cum libertate ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur. *Hebr*.6.14.

VIII. 6. Deus ad petitionem noſtram curabit noſtras infirmitates, *Eſa*.40 29. *Pſal* 103.3.

IX. 7. Spiritus interim ſublevat noſtras infirmitates. *Rom*. 8. 26.

X. 8. Infirmitates ipſæ nobis non imputantur, *Rom*. 7. 17, 20.

XI. In flagitiis uſque dum tollantur, nulla poteſt conſolatio haberi. 1 *Corinth*. 5. 2,6. Ratio eſt, quia iſtiuſmodi peccata ſubjectos reddunt, etiam fideles comminationibus leges, & à promiſſionibus Euangelii magna ſaltem ex parte excludunt, conſcientiam vaſtant, *Hebr*. 10. 22. obnoxios faciunt iræ Dei, ut conſortes impiorum & infidelium, *Eph*.5.6,7. *Gal*.6.7. & idcircò habet cauſam terroris, non conſolationis. *Hebr*.10. 31. Poſſibilitatem tamen, & ſpe conſolationis futuræ, aliquo modo ſuſtentare ſe poſſet animus fidelis, etiam in graviſſimis peccatis, *Rom*. 11. 23. *Luc*.22.3.

Quæſtio ſecunda. Quid agendum eſt fideli, ut adver-

adversus peccata sua possit consolationem habere?

XII. Debet 1. peccati cujuslibet sensum retinere tanquam oneris magni, *Matth.* 11. 28. 22.

XIII. Debet 2. odio semper habere omne peccatum, *Rom.* 7. 15.

XIV. Debet 3. perpetuò cavere ne perficiat cupiditates peccati, *Gal.* 5. 16.

XV. Debet 4. studere semper mortificationi earum, *Rom.* 8. 13.

XVI. Debet 5. promissiones intuendo, ad Christum confugere, eique magis, magisque adhærere, *Rom.* 7. 25. *Phil.* 3. 9.

XVII. Sed flagitia semper debent amoveri, antequam capax quis possit esse solidæ consolationis. *Esa.* 1. 16, 17, 18.

---

## EXCERPTA QUÆDAM,

ex tractatu

# GUILIEL. PARISIENSIS,

de tentationibus, & resistentiis, quæ visum est hic proponere legenda; ad doctrinam de tentationibus illustrandam, quia in authore non nisi à paucissimis leguntur.

I. *Tentatio (una intentione sua) non est aliud, quam experimentatio: & tentare non est aliud, quam experimentum capere de quacunque re ad cognoscendum ipsam: hoc est, ut ipsa cognoscatur, vel innotescat cuicunque. Hoc enim Diabolus solum potest, non autem vincere, vel dejicere viribus suis Nisi enim sponte nos ei crediderimus, & in manus ei dederimu potestatem in nobis habere non potest. Nihil contra no potest, nisi quod ei posse dederimus aut permiserimus Tentare ergo utique potest, hoc est, experimentum cape*

*re, quales simus, videlicet fortes an debiles? faciliter cedentes, an viriliter resistentes? Quod si nos ab initio tentationis, viriliter sibi resistentes invenerit, desperans de victoria, imò victus atque confusus plerumque statim abscedit. Et hoc est proprium tentatoris, ut experimento sumpto, compertoque quod quærebat, negotium tentationis dimittat.*

II. *Secunda intentione, intelligitur tentatio impugnatio, seu bellum aut prælium, vulgò guerra. Verisimile etiam est, quod quicquid agit contra nos Diabolus, pugna sit, si quis diligentius consideret. Animo enim vincendi nos, totum agit, sive insidietur, sive exploret, sive bona prætendat ad decipiendum nos, sive percutiat baculo vel gladio, sive murum munitionis nostræ suffodiat, sive victum spiritualem subtrahat, vel subtrahi procuret, quoniam animo nocendi omnia ista facit. Et revera ista sunt partes belli, sive guerræ, quibus semper nos impugnat.*

III. *Unumquodque vitium suas habet tentationes: & contra totam aciem mentis pugnat Diabolus; obsidens eam per circuitum, & ordinans acies suas, ac dirigens contra acies virtutum, & contra partes arcis mentis humanæ.*

IV. *Impugnationes propriæ virtutis nostræ rationalis, sunt 1. Curiositas, id est, libido sciendi non necessaria, & quorum cognitio nihil operatur, vel adjuvat ad salutem. 2. Tarditas ad credendum. 3. Levitas ad idem. 4. Dubietas. 5. Suspiciositas 6. Spiritus blasphemiæ, quod est scaturigo abominabilium cogitationum, & adeo horribilium, adeoque molestarum, ut ejus tentatio plerumque quasi martyrium sit: & quidam etiam potius vellent martyrium, quam illas sustinere.*

V. *Potest quis resistere cuicunque tentationi Diabolicæ, si simpliciter & pure velit, absque ulla admixtione voluntatis. Nemo enim succumbit aut cedit tentationi, omnino invitus: quia sic maneret ejus voluntas invicta, & erecta, non cadens, aut etiam inclinata in consensum tentantis: & sic simul succumberet, & non succumberet. Sed ut purè quis velit resistere, non est cuiquam*

*ex*

*ex sese, aut ex naturali virtute; sed ex dono & adjutorio gratiæ divinæ.*

VI. *Attende autem, quod, cum quæritur, utrum quis possit velle resistere quicunque tentationi? duobus modis intelligi possit. Posse enim dicitur, & secundum possibilitatem quod est passive, & receptibiliter, & secundum virtutem, ac efficientiam, sive effective Manifestum est igitur, quod nec cuicunque, nec quantæcunque tentationi potest quivis resistere, per modum efficientiæ; sed per modum possibilitatis, aut passibilitatis potest.*

VII. P*ræter dona gratiarum, & virtutum, ipsa Dei custodia, & protectio est necessaria sanctis, ut tentationis resistant: & ipsius multiplicia adjutoria, quibus adjuvat certantes electos.*

VIII. *Horum primum est, hostium fugatio, qua interdum non permittuntur electos tentare, Job. 1.*

IX. *Secundum est, refrænatio hostium, ne tentent quantum vellent,* Job. 2.

X. *Tertium adjutorium est de ipso tentatore, cum ipsa forma sua qua tentat, præbet adjutorium, & instructionem. Sic forma serpentis potuisset suspectam reddere suggestionem ejus apud Evam*

XI. *Quartum adjutorium est de ipsa tentatione, cum vel timorem ingerit, qui est optimus custos. Vel ad pugnandum nos provocat, & contra hostem accendit.*

XII. *Quintum est nova gratiæ, vel augmentum prioris. Bene enim negotiationibus in talentis, eadem auget Deus, vel magnitudine, vel numero,* Matth. 25. Luc. 19.

XIII. *Sextum est cessatio, sive pax (vel induciæ potius) attentatione.*

XIV. *Septimum est, in ipso ardore tentationis refrigerium; quod est mitigatio ipsius, sicut cum ipsam tribulationem vertit in solatium.*

XV. *Octavum est confortatio, id est, roboratio & erectio cordis, per promissionem virtutis & victoriæ, & per*

*per ostentionem infirmitatis hostium, ac levitatis pugna.*

XVI. *Nonum est consolatio, id est, lætificatio in molestijs, doloribus atque laboribus.*

XVII. *Decimum est, spei ac fiduciæ donatio, atque confirmatio, contra nutationem timiditatis, ex proprio defectu & infirmitate oriundæ.*

XVIII. *Undecimum est, susceptio impulsorum ne cadant, ita scilicet ut lethaliter lædantur. Impelluntur autem penè usque ad casum, ut cognoscant infirmitates suas; & quod non cadunt, non viribus suis, sed misericordiæ divinæ attribuant.*

XIX. *Duodecimum est susceptio fugientium ad ipsum: propter quam dicitur refugium electorum.*

XX. *Tredecimum est propugnatio Dei, ac debellatio hostium.*

XXI. *Decimum quartum ipsa tribulatio foriensecà, quæ multas habet utilitates adjuvantes.*

XXII. *Quindecimum est memoria novissimorum; mortis, judicii, damnationis ac fœlicitatis.*

XXIII. *Difficile admodum vincere tentationes; quoniam in ista corruptione nemo totus contra ullam tentationem pugnat: sed ex parte, pro illa, & contra seipsam prœliatur unusquisque. Fidelis ipse est in tentatione: quasi regnum divisum in seipso: quasi eques armatus super equum sedens umbraticum & recalcitrantem, oris teneri, aut duri, vel lascivum: quasi domus bene ædificata, sed super debile fundamentum: quasi bellatore gregius stans supra lubricum pavimentum, vel ex parte armatus, & ex parte inermis; vel gravi onere impeditus.*

XXIV. *Inter ocultissimas insidias & astutissimas tentationes Diaboli, quibus etiam sapientissimi ac fortissimi sæpissime subjiciuntur, prima est, longa fatigatio, per quam non tantum in ipsam tentationem inducere nititur illum, quem tentat, sed etiam in despecerationem, ut videlicet credat se ad Deum non pertinere, vel à Deo non curari. Inde autem est ista stulti-*

*stultitia, & ruina pessima, quia nesciunt homines, quantas utilitates operantur longa crebraque certamina tentationum: quomodo vel radicatam superbiam confringant, infirmitates alias insensibiles ostendant, & humilitatem conservent.*

XXV. *Secunda astutia tentatoria diaboli est, ipsa extraneitas tentationis; plerumque enim insuetis tentationibus quosdam vexat electos, ut eo ipso, quod alios de talibus tentari non audiunt, vel tentatos fuisse, se ad Deum pertinere vehementer formident.*

XXVI. *Tertia astutia est, qua hoc agit, ut mutet aliquis statum suum, cum in eo bene sit illi, quemadmodum aviculæ, & pisces strepitu, aut tumultu ex illis locis fugantur, in quibus in tuto fuerunt à reticulis & aliis insidiis venatorum, aut piscatorum.*

XXVII. *Quarta astutia est, qua invitat aliquem ad illa, quæ sunt supra vires infirmitatis ipsius.*

XXVIII. *Quinta astutia est, quum sub prætextu boni, suadet periculum.*

XXIX. *Sexta astutia est, quum vitium suadet sub prætextu virtutis.*

XXX. *Septima astutia, & omnium periculosissima, est ipsa pax, & cessatio à tentationibus: ex qua sequitur securitas, desidia, elatio, contemptus fratrum, duritia cordis.*

XXXI. *Resistere tentationibus, tribus modis contingit: 1. Resistit ille qui non consentit, Vincitur tentator, eo ipso quod nos non vincit. 2. Resistit ille tentationibus, qui easdem fugit. 3. Resistit ille qui repercutiendo retundit, vel refrænat jacula tentationum.*

XXXII. *Cum fuga tentationis conjungenda est indignatio. Quemadmodum enim negociator, qui charissimam habet mercem, emptorem longe minus justo pretio offerentem, nec respicere, nec audire dignatur, plerumque etiam idem indignatur; sicque Deum habet charum, quidquid pro eo deserendo diabolus offerat, etiam respicere, vel audire dedignatur, & eidem indignatur, cum supra omnem æstimationem, & cogitationem,*

*nem, minus offerat, quam decens est, & nihil prorsus comparatione illius.*

XXXIII. *Pertinet ad hoc artificium, sic inhærere ei, quod habet unaquæque virtus; eamque sic custodire, atque defendere, ne perveniant quidem ad ipsam jacula tentatoris. Sic nonnulli qui Deum habent charissimum, Deo inhærent; ejusque beneplacitum adeo intendunt, adeoque in eis se occupant, immobili cogitatione in illis fixi, ut ad eos contraria offensionis jacula non pertingant.*

XXXIV. *Repercutitur optimè tentatio proprio suo gladio. Hoc autem facit unaquæque virtus, quotiescumque in tentatione, decor ipsius & pretiositas cogitatur. Hujusmodi quippe cogitatis & ipsa peccata quæ tentant, & ipsæ cogitationes, & jacula quæ ab ipsis immittuntur, semper tanquam vulnerata debilitantur, prosternuntur, interdum etiam disparent, & in nihilum evanescunt; quemadmodum exhibita luce, tenebræ diffugiunt & disparent. Pro eo enim solo, ea quæ vitiorum sunt, alicujus momenti nobis esse videntur, in hora tentationis, quia lex virtutum, vel per ignorantiam, vel per negligentiam, ea hora nobis absconditur; quemadmodum pro eo solo putredines lignorum, & squammæ piscium de nocte lucent, quia lux solis, vel alia abest.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER

LIBER TERTIUS.

# DE OFFICIIS IN COMMUNI.

## CAPUT I.

### *De Obedientia in genere.*

Hactenus actum est de iis, quæ pertinent ad statum hominis: sequitur ut inquiramus in actiones & conversationem vitæ.

PRIMUS autem locus est, de observantia, vel obedientia erga Deum in genere, ubi

Quæstio prima est, Quænam sint notæ veræ obedientiæ?

*a* I. Resp. 1. Si voluntatem Dei pluris faciamus, quam aut hominum quorumcunque imperia; aut nostram propriam voluntatem, *Actor.* 4. 19. *&* 5. 29. *Matth.* 22. 39. Ratio est, quia obedientia in eo propriè consistit, ut simpliciter accommodemus voluntatem nostram ad volontatem Dei.

II. 2. Si corda habeamus ad suasiones Dei flexilia *Eph.* 2, 2. *&* 5, 6. *Col.* 3. 6, vbi οἱ υἱοὶ τῆς ἀπειθείας filii (ut ita dicam) insuasibilitatis, sunt filii inobedientiæ Opponuntur enim iis, qui 1 *Petr.* 1, 14 vocantur filii obedientiæ τέκνα ὑπακοῆς. Hinc dispositioni opponitur in Scripturis cor durum ac lapideum.

III. 3. Si comparemus nosmetipsos, ad voluntatem Dei sequendam in omnibus; *Deut.* 5, 35. etiam in iis, quæ nostris commodis videntur adversari, ita ut à sensu carnis non aliter apprehendantur, quam ut mala, *Ier.* 42. 2 *Hebr.* 11. 8. *Phil.* 2, 8.

a Notæ obedientiæ veræ.

IV. 4. Si

*nem, minus offerat, quam decens est, & nihil prorsus comparatione illius.*

XXXIII. *Pertinet ad hoc artificium, sic inhærere ei, quod habet unaquæque virtus; eamque sic custodire, atque defendere, ne perveniant quidem ad ipsam jacula tentatoris. Sic nonnulli qui Deum habent charissimum, Deo inhærent; ejusque beneplacitum adeo intendunt, adeoque in eis se occupant, immobili cogitatione in illis fixi, ut ad eos contraria offensionis jacula non pertingant.*

XXXIV. *Repercutitur optimè tentatio proprio suo gladio. Hoc autem facit unaquæque virtus, quotiescumque in tentatione, decor ipsius & pretiositas cogitatur. Hujusmodi quippe cogitatis & ipsa peccata quæ tentant, & ipsæ cogitationes, & jacula quæ ab ipsis immittuntur, semper tanquam vulnerata debilitantur, prosternuntur, interdum etiam disparent, & in nihilum evanescunt; quemadmodum exhibita luce, tenebræ diffugiunt & disparent. Pro eo enim solo, ea quæ vitiorum sunt, alicujus momenti nobis esse videntur, in hora tentationis, quia lex virtutum, vel per ignorantiam, vel per negligentiam, ea hora nobis absconditur, quemadmodum pro eo solo putredines lignorum, & squammæ piscium de nocte lucent, quia lux solis, vel alia abest.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER

LIBER TERTIUS

# DE OFFICIIS IN COMMUNI

## CAPUT I.

De Obedientia in genere.

Hactenus actum est de [illegible] ad statum hominum [illegible] mus in actionem [illegible]

P[illegible] servatis [illegible] in genere [illegible]

Quaestio [illegible] ae vera obedientia.

a I. Resp. 1. Si [illegible] quam aut hominum [illegible] nostram propriam [illegible] 29. Matth. [illegible] eo propriè consistit [illegible] mus voluntatem [illegible]

II. 2. Si contra [illegible] Eph. 2, 2. & 5. 6. [illegible] filii (ut ita dicam [illegible] entiae Opponuntur [illegible] tur filii obedientiae [illegible] ni opponitur in [illegible]

III. 3. Si constanter [illegible] tem Dei sequendam [illegible] in iis, quae nostris [illegible] ita ut à sensu [illegible] quam ut mala [illegible]

a Notae obedientiae verae.

adeſt, tum generale, tum etiam ſpeciale, ſed perficiendi poteſtas deeſt, *Rom*.7.18. flagitium eſt, cum ipſum propoſitum vel in particulari aliquo facto eſt impium, 1 *Sam*. 12. 10. De infirmitatibus propriè dictis, iſta ſunt loca conſolationis.

III. 1. Hujuſmodi delictis non carent optimi, & perfectiſſimi filiorum Dei, dum in iſthac vita manent, *Iac*.3.2. 1 *Ioh*.1.8.

IV. 2. Deus miſeretur ſuorum in ſuis infirmitatibus, ſicut Pater indulgens miſeretur ſuorum parvulorum. *Pſal*. 103. 33. *Mal*. 3. 17.

V. 3. Chriſtus ipſe afficitur ſenſu infirmitatum noſtrarum, *Hebr*. 4. 15.

VI. 4. Chriſtus ipſe talis eſt propritiatio pro peccatis hujuſmodi, ut de ipſis conſolationem nobis offerat, etiam antequam ſint admiſſa, 1 *Joh*.2.1,2. *Rom*. 6. 14.

VII. 5. Per Chriſtum acceſſum habemus, cum libertate ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur. *Hebr*.6.14.

VIII. 6. Deus ad petitionem noſtram curabit noſtras infirmitates, *Eſa*.40 29. *Pſal* 103.3.

IX. 7. Spiritus interim ſublevat noſtras infirmitates. *Rom*. 8. 26.

X. 8. Infirmitates ipſæ nobis non imputantur, *Rom*. 7. 17, 20.

XI. In flagitiis uſque dum tollantur, nulla poteſt conſolatio haberi. 1 *Corinth*. 5. 2,6. Ratio eſt, quia iſtiuſmodi peccata ſubjectos reddunt, etiam fideles comminationibus leges, & à promiſſionibus Euangelii magna ſaltem ex parte excludunt, conſcientiam vaſtant, *Hebr*. 10. 22. obnoxios faciunt iræ Dei, ut conſortes impiorum & infidelium, *Eph*.5.6,7. *Gal*.6.7. & idcircò habet cauſam terroris, non conſolationis. *Hebr*.10. 31. Poſſibilitatem tamen, & ſpe conſolationis futuræ, aliquo modo ſuſtentare ſe poſſet animus fidelis, etiam in graviſſimis peccatis, *Rom*. 11. 23. *Luc*.22.3.

Quæſtio ſecunda. Quid agendum eſt fideli, ut adver-

adversus peccata sua possit consolationem habere?

XII. Debet 1. peccati cujuslibet sensum retinere tanquam oneris magni, *Matth.* 11. 28. 22.

XIII. Debet 2. odio semper habere omne peccatum, *Rom.* 7. 15.

XIV. Debet 3. perpetuò cavere ne perficiat cupiditates peccati, *Gal.* 5. 16.

XV. Debet 4. studere semper mortificationi earum, *Rom.* 8. 13.

XVI. Debet 5. promissiones intuendo, ad Christum confugere, eique magis, magisque adhærere, *Rom.* 7. 25. *Phil.* 3. 9.

XVII. Sed flagitia semper debent amoveri, antequam capax quis possit esse solidæ consolationis. *Esa.* 1. 16, 17, 18.

---

## EXCERPTA QUÆDAM,

ex tractatu

## GUILIEL. PARISIENSIS,

de tentationibus, & resistentiis, quæ visum est hic proponere legenda; ad doctrinam de tentationibus illustrandam, quia in authore non nisi à paucissimis leguntur.

I. T*Entatio (una intentione sua) non est aliud, quam experimentatio: & tentare non est aliud, quam experimentum capere de quacunque re ad cognoscendum ipsam: hoc est, ut ipsa cognoscatur, vel innotescat cuicunque. Hoc enim Diabolus solum potest, non autem vincere, vel dejicere viribus suis Nisi enim sponte nos ei crediderimus, & in manus ei dederimus potestatem in nobis habere non potest. Nihil contra nos potest, nisi quod ei posse dederimus aut permiserimus. Tentare ergo utique potest, hoc est, experimentum cape*

*re, quales simus, videlicet fortes an debiles? faciliter cedentes, an viriliter resistentes? Quod si nos ab initio tentationis, viriliter sibi resistentes invenerit, desperans de victoria, imò victus atque confusus plerumque statim abscedit. Et hoc est proprium tentatoris, ut experimento sumpto, compertoque quod quærebat, negotium tentationis dimittat.*

II. *Secunda intentione, intelligitur tentatio impugnatio, seu bellum aut prælium, vulgò guerra. Verisimile etiam est, quod quicquid agit contra nos Diabolus, pugna sit, si quis diligentius consideret. Animo enim vincendi nos, totum agit, sive insidietur, sive exploret, sive bona prætendat ad decipiendum nos, sive percutiat baculo vel gladio, sive murum munitionis nostræ suffodiat, sive victum spiritualem subtrahat, vel subtrahi procuret, quoniam animo nocendi omnia ista facit. Et revera ista sunt partes belli, sive guerræ, quibus semper nos impugnat.*

III. *Unumquodque vitium suas habet tentationes: & contra totam aciem mentis pugnat Diabolus; obsidens eam per circuitum, & ordinans acies suas, ac dirigens contra acies virtutum, & contra partes arcis mentis humanæ.*

IV. *Impugnationes propriæ virtutis nostræ rationalis, sunt 1. Curiositas, id est, libido sciendi non necessaria, & quorum cognitio nihil operatur, vel adjuvat ad salutem. 2. Tarditas ad credendum. 3. Levitas ad idem. 4. Dubietas. 5. Suspiciositas 6. Spiritus blasphemiæ, quod est scaturigo abominabilium cogitationum, & adeo horribilium, adeoque molestarum, ut ejus tentatio plerumque quasi martyrium sit: & quidam etiam potius vellent martyrium, quam illas sustinere.*

V. *Potest quis resistere cuicunque tentationi Diabolicæ, si simpliciter & pure velit, absque ulla admixtione voluntatis. Nemo enim succumbit aut cedit tentationi, omnino invitus: quia sic maneret ejus voluntas invicta, & erecta, non cadens, aut etiam inclinata in consensum tentantis: & sic simul succumberet, & non succumberet. Sed ut purè quis velit resistere, non est cuiquam*

ex

*ex sese, aut ex naturali virtute; sed ex dono & adjutorio gratiæ divinæ.*

VI. *Attende autem, quod, cum quæritur, utrum quis possit velle resistere quicunque tentationi? duobus modis intelligi possit. Posse enim dicitur, & secundum possibilitatem quod est passive, & receptibiliter, & secundum virtutem, ac efficientiam, sive effective Manifestum est igitur, quod nec cuicunque, nec quantæcunque tentationi potest quivis resistere, per modum efficientiæ; sed per modum possibilitatis, aut passibilitatis potest.*

VII. *Præter dona gratiarum, & virtutum, ipsa Dei custodia, & protectio est necessaria sanctis, ut tentationis resistant: & ipsius multiplicia adjutoria, quibus adjuvat certantes electos.*

VIII. *Horum primum est, hostium fugatio, qua interdum non permittuntur electos tentare. Job.* 1.

IX. *Secundum est, refrænatio hostium, ne tentent quantum vellent,* Job. 2.

X. *Tertium adjutorium est de ipso tentatore, cum ipsa forma sua qua tentat, præbet adjutorium, & instructionem. Sic forma serpentis potuisset suspectam reddere suggestionem ejus apud Evam*

XI. *Quartum adjutorium est de ipsa tentatione, cum vel timorem ingerit, qui est optimus custos. Vel ad pugnandum nos provocat, & contra hostem accendit.*

XII. *Quintum est nova gratiæ, vel augmentum prioris. Bene enim negotiationibus in talentis, eadem auget Deus, vel magnitudine, vel numero,* Matth. 25. Luc. 19.

XIII. *Sextum est cessatio, sive pax (vel induciæ potius) attentatione.*

XIV. *Septimum est, in ipso ardore tentationis refrigerium; quod est mitigatio ipsius, sicut cum ipsam tribulationem vertit in solatium.*

XV. *Octavum est confortatio, id est, roboratio & erectio cordis, per promissionem virtutis & victoriæ, &*

*per*

*per ostentionem infirmitatis hostium, ac levitatis pugna.*

XVI. *Nonum est consolatio, id est, lætificatio in molestijs, doloribus atque laboribus.*

XVII. *Decimum est, spei ac fiduciæ donatio, atque confirmatio, contra nutationem timiditatis, ex proprio defectu & infirmitate oriundæ.*

XVIII. *Undecimum est, susceptio impulsorum ne cadant, ita scilicet ut lethaliter lædantur. Impelluntur autem penè usque ad casum, ut cognoscant infirmitates suas; & quod non cadunt, non viribus suis, sed misericordiæ divinæ attribuant.*

XIX. *Duodecimum est susceptio fugientium ad ipsum: propter quam dicitur refugium electorum.*

XX. *Tredecimum est propugnatio Dei, ac debellatio hostium.*

XXI. *Decimum quartum ipsa tribulatio forienseca, quæ multas habet utilitates adjuvantes.*

XXII. *Quindecimum est memoria novissimorum; mortis, judicii, damnationis ac fœlicitatis.*

XXIII. *Difficile admodum vincere tentationes; quoniam in ista corruptione nemo totus contra ullam tentationem pugnat: sed ex parte, pro illa, & contra seipsam præliatur unusquisque. Fidelis ipse est in tentatione: quasi regnum divisum in seipso: quasi eques armatus super equum sedens umbraticum & recalcitrantem, oris teneri, aut duri, vellasiivum: quasi domus bene ædificata, sed super debile fundamentum: quasi bellatore gregius stans supra lubricum pavimentum, vel ex parte armatus, & ex parte inermis; vel gravi onere impeditus.*

XXIV. *Inter ocultissimas insidias & astutissimas tentationes Diaboli, quibus etiam sapientissimi ac fortissimi sæpissime subjiciuntur, prima est, longa fatigatio, per quam non tantum in ipsam tentationem inducere nititur illum, quem tentat, sed etiam in desperationem, ut videlicet credat se ad Deum non pertinere, vel à Deo non curari. Inde autem est ista stulti-*

*stultitia, & ruina pessima, quia nesciunt homines, quantas utilitates operantur longa crebraque certamina tentationum: quomodo vel radicatam superbiam confringant, infirmitates alias insensibiles ostendant, & humilitatem conservent.*

XXV. *Secunda astutia tentatoria diaboli est, ipsa extraneitas tentationis; plerumque enim insuetis tentationibus quosdam vexat electos, ut eo ipso, quod alios de talibus tentari non audiunt, vel tentatos fuisse, se ad Deum pertinere vehementer formident.*

XXVI. *Tertia astutia est, qua hoc agit, ut mutet aliquis statum suum, cum in eo bene sit illi, quemadmodum aviculæ, & pisces strepitu, aut tumultu ex illis locis fugantur, in quibus in tuto fuerunt à reticulis & aliis insidiis venatorum, aut piscatorum.*

XXVII. *Quarta astutia est, qua invitat aliquem ad illa, quæ sunt supra vires infirmitatis ipsius.*

XXVIII. *Quinta astutia est, quum sub prætextu boni, suadet periculum.*

XXIX. *Sexta astutia est, quum vitium suadet sub prætextu virtutis.*

XXX. *Septima astutia, & omnium periculosissima, est ipsa pax, & cessatio à tentationibus: ex qua sequitur securitas, desidia, elatio, contemptus fratrum, duritia cordis.*

XXXI. *Resistere tentationibus, tribus modis contingit: 1. Resistit ille qui non consentit, Vincitur tentator, eo ipso quod nos non vincit. 2. Resistit ille tentationibus, qui easdem fugit. 3. Resistit ille qui repercutiendo retundit, vel refrænat jacula tentationum.*

XXXII. *Cum fuga tentationis conjungenda est indignatio. Quemadmodum enim negociator, qui charissimam habet mercem, emptorem longe minus justo pretio offerentem, nec respicere, nec audire dignatur, plerumque etiam idem indignatur; sicque Deum habet charum, quidquid pro eo deserendo diabolus offerat, etiam respicere, vel audire dedignatur, & eidem indignatur, cum supra omnem æstimationem, & cogitationem,*

*nem, minus offerat, quam decens est, & nihil prorsus comparatione illius.*

XXXIII. *Pertinet ad hoc artificium, sic inhærere ei, quod habet unaquæque virtus; eamque sic custodire, atque defendere, ne perveniant quidem ad ipsam jacula tentatoris. Sic nonnulli qui Deum habent charissimum, Deo inhærent; ejusque beneplacitum adeo intendunt, adeoque in eis se occupant, immobili cogitatione in illis fixi, ut ad eos contraria offensionis jacula non pertingant.*

XXXIV. *Repercutitur optimè tentatio proprio suo gladio. Hoc autem facit unaquæque virtus, quotiescumque in tentatione, decor ipsius & pretiositas cogitatur. Hujusmodi quippe cogitatis & ipsa peccata quæ tentant, & ipsæ cogitationes, & jacula quæ ab ipsis immittuntur, semper tanquam vulnerata debilitantur, prosternuntur, interdum etiam disparent, & in nihilum evanescunt; quemadmodum exhibita luce, tenebræ diffugiunt & disparent. Pro eo enim solo, ea quæ vitiorum sunt, alicujus momenti nobis esse videntur, in hora tentationis, quia lex virtutum, vel per ignorantiam, vel per negligentiam, ea hora nobis absconditur, quemadmodum pro eo solo putredines lignorum, & squammæ piscium de nocte lucent, quia lux solis, vel alia abest.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER


LIBER TERTIUS.

# DE OFFICIIS IN COMMUNI.

## CAPUT I.

### *De Obedientia in genere.*

Hactenus actum est de iis, quæ pertinent ad statum hominis: sequitur ut inquiramus in actiones & conversationem vitæ.



RIMUS autem locus est, de observantia, vel obedientia erga Deum in genere, ubi

Quæstio prima est, Quænam sint notæ veræ obedientiæ?

a I. Resp. 1. Si voluntatem Dei pluris faciamus, quam aut hominum quorumcunque imperia; aut nostram propriam voluntatem, *Actor.* 4. 19. & 5. 29. *Matth.* 22. 39. Ratio est, quia obedientia in eo propriè consistit, ut simpliciter accommodemus voluntatem nostram ad volontatem Dei.

II. 2. Si corda habeamus ad suasiones Dei flexilia *Eph.* 2, 2. & 5, 6. *Col.* 3. 6, vbi υἱοὶ τῆς ἀπειθείας filii (ut ita dicam) insuasibilitatis, sunt filii inobedientiæ Opponuntur enim iis, qui 1 *Petr.* 1, 14 vocantur filii obedientiæ τέκνα ὑπακοῆς. Hinc dispositioni opponitur in Scripturis cor durum ac lapideum.

III. 3. Si comparemus nosmetipsos, ad voluntatem Dei sequendam in omnibus; *Deut.* 5, 35. etiam in iis, quæ nostris commodis videntur adversari, ita ut à sensu carnis non aliter apprehendantur, quam ut mala, *Ier.* 42. 2 *Hebr.* 11. 8. *Phil.* 2, 8.

a Notæ obedientiæ veræ.

IV. 4. Si

IV. 4. Si tum etiam applicemus nosmetipsos, ad voluntatem Dei, cum rationem ejus non percipimus, *Ioh.* 13, 7, 8. 1 *Sam.* 5. 9. 15. Alias enim non simpliciter sequimur voluntatem Dei, sed ejus rationem.

V. 5. Si parati simus, quoad cordis dispositionem & studium, voluntatem Dei observare non solum in iis, quæ scimus eum velle, sed etiam in iis, quæ adhuc nescimus, *Exod.* 10: 27.

VI. 6. Si voluntatem illam Dei, quæ maximè ad nostrum officium pertinet maximè doceri cupiamus, *Psal.* 119. 33, 34. *Act.* 9. 7. *Ioh.* 21. 13, 14.

VII. 7. Si timor Dei perpetuò sit coram oculis, ita ut ejus offensionem reverenter metuamus, diligenter caveamus, & sedulo fugiamus, *Hebr.* 12. 28, 29. 1 *Petr.* 1. 17.

VIII. 8. Si non pendeamus ex obedientiæ nostræ eventu, vel successu, quem in isthoc mundo percipimus, sed persistere statuamus etiamsi variis injuriis propterea afficiamur. 1 *Petr.* 2. 19. 20. 21. *Dan.* 3 17, 18.

IX. 9. Si in mediis illis nos exerceamus, quibus formari possimus ad obedientiam, 1 *Cor.* 2. 27.

Quæstio secunda est, quibus argumentis excitari quis possit, ad obedientiam Deo præstandam?

X. Resp. 1. a Si applicet animum, ad Dei jubentis authoritatem contemplandam, *Mal.* 1. 6. *Ier.* 35. *per totum cap. Rom.* 6. 18. 22. 1 *Cor.* 6. 19.

XI. 2. Si simul etiam potestatem Dei perpendat, *Ier.* 18. 6.

XII. 3. Si unà cogitet, obedientiam illam, quam Deus à nobis postulat, non ad Dei aliquod commodum, sed ad nostrum spectare, *Iob.* 22. 2. & 35. 6. 7.

XIII. 4. Si Dei beneficia in se collata cogitet qualia sint & quanta, *Rom.* 12. 1 *Decal. præf.* Hic autem insistendum est maximè, ut in consideratione maximè efficaci. Manifestum enim est per se, quod debiti obligatio, erga benefactorem intendatur, &

a Obedientiæ motiva.

augeatur,

augeatur, ſecundum beneficii quantitatem. Non enim eſt dubium omne beneficium obligare beneficiarium benefactori, i. e. receptorem donatori; & quanta majus fuerit, tanto magis obligare, Bene igitur iſtam conſiderationem, hunc in modum deduxit G. Par. *Si aliquis mille marcas gratis alicui dederit, procul dubio aliquantum ipſi obligatur; & ſi duo millia ipſi dederit, duplo magis: & ſic in infinitum. Quare ſi in infinitum melius: aut pretioſius eidem dederit, in infinitum magis obligatus eſt ei. Solus autem oculus, aut lingua, ne dicam totum corpus, incomparabiliter melior eſt, atque pretioſior mille marcis auri. Ergò in infinitum magis eſt obligatus quiſque Deo, ratione ſolius linguæ, vel oculi, quem ipſi dedit, quam eſſet ratione mille marcarum. Amplius, ponamus, quod alicui dederit Deus mille marcas auri tantum, alii autem dederit infinita millia; manifeſtum eſt, quod obligatio, & debitum gratitudinis, atque ſervitii ejus, qui recepit donum infinitum, in infinitum majori obligatione & debito Deo tenetur, quam ille, qui prænominatum finitum donum tantum recepit. Cum igitur obligatio, qua quis tenetur Deo, ratione ſolius linguæ, vel oculi, in infinitum major ſit altera, manifeſtum eſt eam eſſe infinitam. Major autem (aliquo modo) infinita, vel magis infinita eſt illa obligatio, qua tenetur Deo ratione totius corporis: & major adhuc ratione animæ: & adhuc major, ratione vitæ perpetuæ, & immortalis: & ſic in cæteris. Manifeſtum eſt igitur, obligationem, ſive debitum gratitudinis, atque ſervitii, multis nominibus eſſe infinitam.*

XIV. 5. Si maximorum beneficiorum finem, obedientiam eſſe obſervet. *Luc.* 7.4. 1 *Petr.* 1.18.

XV. 6. Si ad obedientiam nos perpetuo etiam à Deo vocari attendat, *Tit.* 2.12. 1 *Theſſ* 4 7. *Pet.* 1.15.

XVI. 7. Si fœdere ſanctiſſimo aſtrictos nos eſſe meminerit, ad Deo ſerviendum. *Iob.* 31.1. *Heb.* 8.10.

XVII. 8. Si miſeriam eorum conſideret, qui Deo non obediunt: ſunt enim ſervi peccati, ad mortem, *Rom*, 6. 16, 21.

XVIII.

XVIII. 9. Si de promissionibus obedientiæ factis meditetur. 1 Tim. 8 4 2 2 Cor. 7. 1. Hebr. 5. 9.

XIX. 19. Si denique minas, & ultionem inobedientiæ paratam, ob oculos semper habeat, 2 Thess. 1. 8.

Quæstio tertia est, Quibus mediis possit quis idoneus reddi, ad obedientiam Deo præstandam?

XX. Resp. 1. a Debet fidem suam imprimis curare, ut solida sit, & viva. Omnis enim obedientia Deo grata, est obedientia fidei. Rom 1. 5. & 16. 26.

XXI. Fides autem obedientiam parit, 1. quia dum verbo Dei inhæret, ut verbo veritatis divinæ, omnia illa incitamenta obedientiæ, quæ in Scripturis reperiuntur, valida reddit & efficacia. 2. quia impetrat à Deo omnem gratiam. 3 quia Christo nos conjungit tanquam capiti, sine quo nihil, & in quo omnia possumus. Joh. 15. Phil. 4. 13 4. quia ex Christo quasi exsugit quotidie spiritum vitæ.

XXII. 2. Debet spiritui sese tradere 1 Petr. 1. 22. ut sit in spiritu, Rom 8. 9. & spiritus habitet in ipso. vers. 11. à spiritu agatur vers. 14. spiritu ambulet Gal. 5. 16. spiritu ducatur. vers. 18. spiritu vivat, & incedat. vers. 25.

XXIII. 3. Debet animum applicare, ad verbum Dei recipiendum, in potentia ejus. 1 Thessal. 1. 5. 2 Cor. 10. 4, 5. Rom. 6. 17.

XXIV. 4. Debet etiam omnem conatum adhibere, ad semetipsum Deo sistendum obedientem, secundum verbum ejus. Rom. 6. 13, 19.

a Modus obedientiæ studium excitandi, & promovendi.

## CAPUT II.

### *De Scientia.*

QUia ad obedientiam Christianam, scientia aliqua imprimis est necessaria: de scientia igitur.

b Quæstio prima est. Quale debet esse scientiæ studium in nobis?

b Scientia qualis?

I. Resp. 1.

I. Resp. 1. Debemus in isthoc studio cavere nobis ab affectata omni ignorantia, 2 *Petr.* 3. 5. *Prov.* 1 22. & 29.7.

II. 2. Debemus etiam curiositatem omnem vitare. *Deut.* 29. *ult. Prov.* 25. 1. 1 *Tim.* 6.20. 2 *Tim.* 2 23. *Tit.* 3. 9. *Joh.* 21 2 *Actor.* 1 6 7.

III Quintuplex est curiositas conscientiæ. 1. cum illa scire volumus, quæ Deus non revelavit. 2. Cum illa quærimus, quæ nihil spectant ad nos, sed ad alios, 3. Cum minus necessariis maximè studemus, 4. Cum difficiliora quærimus, principiis neglectis. 5. Cum non simpliciter acquiescimus in Dei voluntate, sed rationem ejus volumus videre.

IV. 3 Earum rerum scientiæ maximè studere debemus, quæ sunt nobis in vita nostra maximè necessaria, *Prov* 9.12. 1 *Tim.*6.1.

V. 4. Profectum in ista scientia debemus quærere: non acquiescentes in scientia illa quæ est infantum, 1 *Cor.* 14.20. *Hebr* 5.12. *Col.* 3.16.

VI. 5. Fastum omnem debemus cavere, qui ex scientia solet oriri. 2 *Cor.* 8. 1.

*a* Quæstio secunda, Quid faciendum est, ad scientiam solidam comparandam?

VII Resp 1. Animus totus est addicendus pietati, *Prov* 17 9, 10. & *Psal.* 25 14. *Joh.* 7.17 sicut enim piis scientia est facilis, *Prov* 8.9. & 14.6. sic impiis est inaccessibilis *Prov.* 24 7.

VIII. 2. Sapientia carnalis est abneganda, 1 *Cor.* 3. 18. *Prov* 26. 12.

IX. 3. Fugiendæ sunt etiam carnales cupiditates, quæ mentem excæcant, *Eph.* 4. 18. abutendo, perturbando, alliciendo, & deprimendo mentem.

X. 4. Sapientia divina est in magno pretio habenda, & congruenti studio quærenda, *Prov.* 2. 4. & 3. 14. & 4. 7.

XI. 5. A Deo ardentibus precibus est petenda, *Jac.* 1. 5.

*a* Modus scientiæ comparandæ.

XII. 6.

XII. 6. Humilitas modestia,& sobrietas est observanda. *Prov* 11.3 *Rom*.12.3.

XIII. 7. Consulendi sunt peritiores. *Prov*.15.12.

XIV. 8. Piè gloriandum est in scientiæ divinæ possessione. *Jer*.9.24.

XV. 9. Sapientia ista quærenda est, in assidua & religiosa lectione, & auditione verbi Dei. *Tim*. 3.16,10. In praxin & usum converti debet scientia illa, quæ est concessa *Matth*.25.29. *Joh*.13.17.

Quæstio tertia, quibus argumentis excitari quis possit, ad hujusmodi studium scientiæ divinæ?

Resp. 1. Quia scientia pertinet ad perfectionem hominis naturalem: sicut apparet ex tentatione primorum parentum. *Gen*. 3.5 2. est differentia hominum à brutis animalibus. *Psal*. 32.9. 3. qui scientia ista destituti, sunt aliquo modo stupidiores brutis. *Esai*. 1. 3. 4 scientia singularem quandam, & honestam secum adfert voluptatem. *Prov*. 24.13,14. 5. absque scientia cor hominis non potest esse bonum. *Prov* 19.2. 6. scientia est clavis regni cœlorum, *Luc*. 11.52. 7. scientia est spirituale pabulum animæ. *Jer*.3.10. 8. scientia hæc necessaria est, ad fœderis Dei participationem, *Hebr*.8.11. 9. fideles omnes sunt filii lucis, non tenebrarum. *Eph*.5 8. 10. hujus privatio & adversatio, est stultitia. *Prov* 1. 7, 22. 11. est causa omnium flagitiorum 1 *Cor*. 2. 8. 12. affectus bonos ita corrumpit, ut reddat malos. *Rom*. 10, 2. 23. est causa & nota perditionis. *Hos*. 4. 6. 1 *Cor*. 4. 3.

## CAPUT III.

### *De Timore Dei.*

**CUm cognitione Dei, affinitate intima conjunctus est timor Dei. *Ps*. 119.76. De timore igitur Quæstio prima, an omnis timor Dei sit bonus?**

**a I. Resp. Timor etiam Dei alius est vitiosus, &**

**a Timor Dei bonus, & malus.**

**alius**

alius bonus, *Exod.* 20. idcirco generaliter aliquando laudatur timor. *Prov.* 28. 14. & alias generaliter improbatur, *Apoc.* 21. 6.

Quæstio secunda, Qualis est timor ille Dei, qui est improbandus?

II. *a* Resp. 1 Timor ille, qui absterret homines à Deo, vel impellit ipsos ad fugiendum à Deo, *Exod.* 20. 18. *Gen.* 3. 8, 10. *Apoc.* 6. 16. 2. Eorum etiam timor, qui tantum iram Dei extimescunt. *Iac.* 2. 19. *Rom.* 8. 15.

Quæstio tertia, qualis est probandus timor Dei?

III. Resp. 1. *b* Quando reveremur Dei majestatem & potestatem: ita ut præcipua ratio timoris, non sit malum aliquod nostrum, sed excellens Dei perfectio, *Gen.* 28, 19. & 31. 42. 53. *Eccles.* 18. 11. Quando maxime metuimus, offensam Dei, *Eccl.* 9, 2. Quando tremore afficimur intuitu iræ Dei, *Psal.* 90. 11.

*c* Quæstio quarta, Annon timor pœnæ est servilis?

IV. Resp. 1. Si sit tantum ratione pœnæ, est mere servilis, & vitiosus. 2. Si in pœna præcipuè spectetur miseria nostra, est etiam illa ex parte servilis. 3. Si vero pœna secundario spectetur, & eo nomine præcipuè metuatur, quia separat à Deo: & eo dirigatur, ut cautiores nos reddat, in ambulando corā Deo: talis timor est laudabilis 4. Si Dei minister, & vindex metuendus sit, etiam propter iram, *Rom.* 13. 4. multo magis Deus ipse, *Hebr.* 12. 29. *Amos* 3. 8.

Quæstio quinta, quænam sint signa genuini Dei timoris?

V. Resp. 1. *d* Si serio fugiamus ab iis, quæ in oculis Dei sunt mala, *Prov.* 3. 7. & 14. 16. & 16. 6. 2. Si ex conscientia erga Deum, abstineamus à peccatis illis, quæ sunt maximè occulta, & respectu hominum, tuta *Lev* 19. 14. *Gen.* 42. 18 *Iob.* 31. 21, 23. 3. Si non tantum abstineamus à peccatis, sed etiam odio illa prosequamur: idque eo nomine, quia Deus illa

a Timor malus. b Timor bonus. c Timor servilis. d Notæ genuini timoris Dei.

dete-

detestatur, *Prov* 1. 13. 4. Si de eo maximè solliciti simus, ne à Deo recedamus, *Jer.* 52. 40. 5. Si non tantum à malo abstineamus, sed etiam quod bonum est facere studeamus, *Ecclef.* 12. 13. *Deut.* 5. 20. 6. Si perfectionem quæramus, in omni parte sanctificationis. 2 *Cor.* 7. 1. *Philip.* 2. 12. 7. Si neque homines neque ullam creaturam ita metuamus, ut ab officio nostro possint nos absterrere, *Matth.* 10. 68. *Esa.* 1. 12, 13. 1 *Petr.* 3. 14, 15. 8. Si in verbo Dei, & aliis rebus sacris, versemur cum timore, 1 *Cor.* 7. 25. 9. Si nomen ipsum, & attributa Dei; cum reverentia usurpemus. *Deut.* 28, 58.

*a* Q 6. Quæ sint argumenta, quibus excitari quis possit, ad timorem Dei?

XI. Resp 1. Omnipotentia Dei, *Ier* 9. 52. *Job.* 37. 23, 24.. *Psal.* 76. 4, 7. 2 Regnum Dei, *Psal.* 99. 1 *Ier.* 10, 7. *Dan.* 9, 26. 3, Potens omnium rerum gubernatio, *Esa.* 25. 1, 2, 3, 4, &c. 4 Judicia ejus particularia adversus peccata, *Psal.* 118, 119, 120. *Hab.* 3. 16. *Zephon.* 3, 5, 7, *Apoc* 15. 3. 5. Judicium universale *Ecclef.* 12, 14. 1 *Petr.* 1, 17. Comminationes ejus 2 *Reg.* 22, 16. *Habac.* 3, 16, 7. Pœnæ incumbentes, *Luc.* 23. 40. 8. Misericordia Dei, *Psal.* 130. 4 9. Beneficia ejus, *Ier.* 5, 24. *Psal.* 72, 5. 10. Promissiones illis factæ, qui Deum timent, *Psal* 25. 10, 13, 14, & 34. 9. *Prov.* 10, 27. & 13, 13. & 19, 23, & 22. 4. *Ecclef.* 8, 12.

a Motiva timoris Dei.

## CAPUT VI.

### *De Humilitate erga Deum.*

QUia obedientiæ ratio est in subjectione, idcirco proximo in loco agendum est de humilitate erga Deum, in qua est submissio, *Jac.* 4, 9, 7. quæ cum timore Dei conjungitur, *Prov.* 22, 4.

*b* Quæstio prima, Quænam sunt notæ humilitatis erga Deum?

b Humilitas notæ.

I. Resp. 1.

I. Resp 1. Seria agnitio propriæ nostræ imperfectionis coram ipso. *Psal.*30.2,3 *Esai* 40. 6. 1 *Petr.* 1. 24. superbia enim est in imaginatione, & affectatione excellentiæ.

II. 2. Agnitio maxime nostri reatus, ratione peccatorum in ipsum commissorum. *Rom.*3.19.superbia enim excludit hujusmodi confessionem seriam. *Luc.*18,11.

III. 3. submissio cum silentio ad judicia Dei. *Psal.* 39.5. 1 *Sam.* 3. 18. *Iob.* 1, 21. & 39. 37. superbus enim responsat, *Rom.*9 20.

IV. 4. Gratiæ & misericordiæ Dei amplificatio in omnibus ejus beneficiis. 1 *Chron.*29.14. superbus enim omnia bona sibi, & suis meritis aliquo modo solet arrogare, *Deut* 8.14.17.& 9.4.

V. 5. Sancta admiratio viarum Dei, quæ sunt inperverstigabiles *Iohan.* 42. 3. *Rom.* 11,33.34. *Psal.*13. *v.* 1. superbus enim sibimet videtur omnia capere posse: & putat omnia sibi communicare debere.

VI. 6. Omnis dignitatis nostræ, & præeminentiæ supra alios depositio, coram Deo, & in ejus cultu. *Apoc.*4.10. superbus de sua excellentia cogitat, & alios contemnit, etiam coram Deo. *Luc.* 18.11.

VII. 7. Abjectæ nostræ tenuitatis apprehensio, in præsentia Dei, cum trepidatione ad eius majestatem. *Gen.*18 27.

VIII. 8. Sancta modestia in cultu Dei. *Eccles.* 5. 1,2,3.

IX. 9. Voluntaria susceptio officiorum à Deo nobis impositorum, quamvis humiliora aut viliora possint videri. *Phil.*2 8. *Ioh.*13,14.

Quæstio secunda. Quibus argumentis excitari quis possit, ad studium humilitatis erga Deum?

X. Resp. 1. *a* Si ob oculos ponat majestatem & potentiam Dei. 1 *Petr.*5.6.

XI. 2. Si humilitatis hujus naturam cogitet,

*a* Motiva humilitatis.

quod scil. animam hominis aptam reddit, ut fiat domus, vel templum Dei. *Esa.* 66. 3. ut sit sacrificium Deo. *Psal.* 51.19. ut sit receptaculum gratiæ Dei. *Proverb.* 3.4. 5. ut sit capax sapientiæ. *Prov.* 11.2 Hæc enim est mater aliarum virtutum, & est etiam singulare animæ ornamentum. 1 *Petr.* 5.5.

XII. 3. Si memor sit promissionum, quæ factæ sunt humilibus, Deus eos respiciet. *Esa.* 66. 2. dabit eis gratiam. *Iac.* 4. 6. 1. *Petr.* 55. extollet eos. *Iac.* 4. 10. 1. *Petr.* 5. 6. *Luc.* 18. 14. remunerabit omni genere bonorum. *Prov.* 27.4.

XIII. 4. Si consideret humilitatem esse necessariam, ad quærendum Deum, & iram ejus avertendam. *Zeph.* 2.3. *Chron.* 12.7.

XIV. 5. Si intelligat humilitatem requiri in omni officio erga Deum. *Mich.* 6.8.

## CAPUT V.

## DE SINCERITATE.

QUia propria qualitas obedientiæ est synceritas, de illa igitur sit.

*a* Quæstio prima. Quia in re consistit obedientiæ nostræ synceritas?

I. Resp. 1. Ut non sit externa tantum, sed primo & præcipuè interna, *Psal.* 41 .8. *Matt.* 23 5.

II. 2. Ut Deum præcipuè respiciat; & non homines. *Col.* 3.23. *Matth.* 6.11.

III. 3. Ut mixturam omnem corruptionis aut sinistri respectus devitet, 1 *Cor.* 5.8.

IV. 4. Ut fructum expectet à Deo, non ab hominibus. *Rom.* 2.29.

*b* Quæstio secunda, quænam sunt signa hujusmodi synceritatis?

a Synceritas quæ & qualis? b Notæ synceritatis.

V. Resp.

VI. Resp. 1. Quis lucem verbi amet, ut ad eam manifesta fiant opera ipsius. *Joh*.3:21.

VII. 2. Si in absentia æquè ac in præsentia inspectorum, in occulto æquè ac in propatulo, & magis etiam obedire studeat. *Phil*. 2. 12. *Matth*: 6. 6. non tantum quum Deus præsentiam suam manifestam facit judiciis, aut beneficiis singularibus, sed & quum videtur abesse. *Psalm*. 78. 34.

VIII. 3. Si in adversis æque ac in prosperis Deo adhæreat. *Joh*.1.8,9,10,11.

IX. 4. Si curet omnia mandata, etiam illa, quæ videntur minora. *Matth*. 5. 19.

X. 5. Si abstineat ab omni specie mali. 1 *Thess*. 5. 22.

XI. 6. Si peccata sua non tegat, aut excuset, sed confiteatur, & abrumpat. *Prov* 28. 13. 2 *Cor*. 7. 11.

a Quæstio tertia, Quibus argumentis excitari quis possit ad studium synceritatis?

XII. Resp. 1. Quia Deus est scrutator cordium, & renum. *Prov*. 16.2. & 21. 2. *Psal*.7.10. & 26.2. *Apoc* 2.23. *Ioh*.31.4.

XIII. 2. Quia pax, gaudium, & securitas inde sequitur syncera. *Prov*.10.9.

XIV. 3. Deus delectatur synceritate. *Psal*. 51. 8. *Prov*.10.20. & omni benedictione prosequetur. *Prov*.28.10,18.

XV. 4. Quia duplex cor est abjectum quid, monstrosum & abominandum.

a Motiva synceritatis

## CAPUT VI.

## DE ZELO.

QUia quantitas etiam intensiva obedientiæ nostræ erga Deum, consistit in zelo Dei; idcirco de isthoc zelo sit.

*a* Quæstio prima. Qua in re consistit zeli natura?

I. Resp. In eo, quod affectio Deo placendi & ejus gloriam promovendi, sit in gradu extenso. *Apoc.* 3. 15, 19. quia vero hujusmodi intentio maximè apparet in oppugnatione eorum, quæ oppositionem habent ad voluntatem & gloriam Dei, idcirco maxima ex parte refertur ad oppositionem adversus mala.

*b* Quæstio secunda. Quænam sunt signa genuini zeli Dei?

II. Resp. 1. Si sit secundum scientiam. *Rom.* 10. 2.

III. 2. Si quis paratus sit omnia officia præstare pro viribus & supra vires, 2 *Cor.* 8. 3.

IV. 3. Si diligens sit in officio suo exequendo, *Actor.* 18. 25.

V. 4. Si modum nullum alium ponit suis officiis erga Deum, quam Deus ipse statuit. *Exod.* 36. 6.

VI. 5. Si quis mitis fuerit in iis, quæ pertinent ad semetipsum, & fervens in iis quæ spectant ad Deum. *Num.* 12. 3. cum *Exod.* 32. 19. *Gal.* 4. 12. cum *Actor.* 13. 9, 12. Zelus enim verus, idcirco dicitur *zelus Dei*, quia præcipuè fertur in Deum. Quapropter etiam à quibusdam dicitur, *affectio ad vindicandum Dei injuriam, vel ad exterminandos Dei inimicos: vel zelotypia persequens sponsarum Christi adulteria, adulteriorumque occasiones & signa: vel amor vehemens ipsas Christi sponsas arcta custodia à mundo secludens.*

VII. 6. Si non in quæstionum contentionibus, aut controversiis præcipuè ferveat, sed in studio bonorum operum. 1 *Tim.* 2. 14.

VIII. 7. Si in minoribus minus, & in majoribus magis afficiatur. *Matth.* 23. 23.

IX. 8. Si sibimetipsi non magis, quam aliis parcat. *Math.* 7. 4. Contrarium exemplum habemus. *Gen.* 38. 24. 2 *Sam.* 12. 5.

X. 9. Si non possit ferre impios, *Apoc.* 2. 2.

*a* Zeli natura qualis. *b* Notæ zeli genuini.

quamvis

quamvis sint alia ratione maxime conjuncti. 1 *Reg.* 15. 13.

XI. 10. Si indignatio adversus peccata, conjungatur cum dolore, & commiseratione, respectu peccatorum. 2 *Corinth.* 12.21. Sic enim tam remissio torpida, quæ zelo adversatur, quam furor ille, qui nonnunquam fervorem zeli mentitur, pari cautela declinatur.

XII. 11. Si sit constans, & sui similis, in qualibet conditione. *Gal.* 4. 15, 18.

*a* Quæstio tertia. Quibus argumentis excitari quis possit ad zelum Dei?

XIII. Resp. 1. Quia zelus est proprietas populi Christi: & inter illa, quæ Christus in redemptione nostri intendebat. *Tit.* 2. 4.

XIV. 2. Quia illa, quæ spectant ad Deum & officium nostrum erga ipsum, sunt maximè digna, ut cum zelo curentur, *Gal.* 4. 18. quamvis illo zelo quasi consumamur. *Psal.* 69. 10. *Joh.* 2 17.

XV. 3. Quia religio vera, non potest consistere sine zelo. *Apoc.* 3 15, 16, 19.

XVI. 4. Quia si zelus desit, peccata & scandala non corriguntur, sed voventur, in nobismetipsis, & aliis, cum Dei offensione, & nominis ejus contumelia. 1 *Sam.* 2 23, 19. *Apoc.* 3. 19.

XVII. 5. Quia zeli neglectus, gravia Dei judicia accersit. *Apoc.* 2. 5 *&* 3. 16. 2 *Thess.* 2. 10.

XVIII. 6. Quia zeli cura singularem promissionem habet præsentiæ, & communionis Dei in Christo. *Apoc.* 3. 20.

XIX. 7. Quia zelus perficit & gratiora reddit omnia officia erga Deum. *Jac.* 5. 16. *Rom.* 12. 11.

XX. 8. Quia hæc est ratio, & modus congruus, Regnum Dei consequendi. *Matth.* 11. 12.

XXI. 9. Quia multi, qui umbram tantum habent religionis, cum zelo tamen eandem prosequuntur. *Matth.* 23. 15.

*b* Quæstio quarta. Quid nobis agendum est ut

*a* Motiva zeli. *b* Modus zelum excitandi.

verum zelum Dei comparemus, confirmemus, & excitemus?

XXII. Resp. Debemus 1. omnia illa cavere, quæ zelo huic adversantur. Talia vero sunt 1. variæ speculationes, & quæstiones, quæ non faciunt ad ædificationem in fide, obedientia. 1 *Tim*. 1. 4. & 4. 7. 2 *Tim*. 2. 14, 23. *Tit*. 9. 3. Intentio enim mediis circa illa, quæ sunt merè speculativa, aut illo modo, qui tantum est speculativus, quamvis veritatem invenire possit, impedit intentionem affectuum circa res practicas. Atque hæc est ratio, quare plus zeli veri in rudioribus & imperitioribus Christianis sæpè reperitur, quam in doctoribus, & magistris nostris. 2. intentio affectuum circa res mundanas. *Luc*. 8. 14. 3. Satietas spiritualis, id est, sufficientiæ præsumptio, vel acquiescentiæ in eo gradu ad quem pervenimus. *Phil*. 3. 1, 3, 14. 4. Segnities metus, & prudentia carnalis. *Jud*. 1. 19, 21, 27, 28. 29, 30, 31, 32, 33. 5. Familiaritas impiorum, vel impietatis in aliis abundantis. *Matth* 24 12. 6. Praxis eorum, quæ conscientiæ nostræ non probant. *Rom*. 14. 31, 23. 7. Indulgentia ergo nosmetipsos in corruptionibus nostris 1 *Cor*. 5. 6. & *Cor*. 7. 11. *Eph*. 4. 9 30.

XXIII. Debemus 2. sæpè ac sedulo contemplari Dei erga nos charitatem & benignitatem. *Prov*. 25. 21, 22.

XXIV. Debemus 3. assiduè cogitare de nostrâ imperfectione. *Phil*. 3. 13, 14.

XXV. Debemus 4. diligentes esse in usu mediorum omnium, quæ Deus instituit ad gratiam ingenerandam 1 *Thess*. 16 20.

XXVI. Debemus 5. adjungere nos iis; qui zelum Dei habent. *Prov*. 22. 24, 25. & 27. 17. Inter tales autem, præcipua ratio habenda est concionatorum illorum, quorum labia tetigit carbo de altari cœlesti assumptus *Esai*. 6. Memorabili enim & lamentabili experientia (in Ecclesiis reformatis) probatum nimis, quod author jam aliquo-

liquoties laudatus, olim ſcripſit; *Verba vitæ in quorundam doctorum & prædicatorum labiis, quantum ad virtutem, & efficaciam, moriuntur. Adeo enim tepidè, adeo remiſſè verba Dei annunciant, ut extincta in labiis eorum penitus videantur: unde ſicut ipſi frigidi ſunt & extincti, ſic frigidos & extinctos relinquunt, & utinam non facerent, auditores. Novi quendam propter hoc de civitate* Pariſiaca *aufugiſſe. Dicebat enim, ſe lectionibus, & prædicationibus Pariſienſibus de die in diem, amplius & amplius infrigidari, & ſe timere, ſi moram diuturniorum ibi traheret, ne tandem ſpirituali gelicidio extingueretur; propter quod, tranſtulit ſe ad viros ferventes, velut ad carbones vivos, ut inter eos converſans ardorum nutriret & augeret*

*a* Quæſtio quinta. An zelus ſit æſtimandus ex ejus ſenſu, exercendi modo?

XXVII. Reſp. Non ſemper. Major enim zelus eſt eſſentialiter, quatenus rem ipſam reſpicit, circa quam verſatur, vel accidentaliter, quatenus circumſtantiæ quædam ad eam rem accedunt, quæ non ſemper eædem ſolent manere. Exempli gratia, conjuges ſe invicem diligentes, afficiuntur magis aliquando in ipſis nuptiis, quam in conſtante vitæ ſocietate, quæ poſtea ſuccedit. Hoc accidentaliter fit propter novitatem Dei: ſed de re ipſa æquè poſſunt, aut magis etiam gaudere.

XXVIII. Sic etiam fideles in prima converſione majores aliquando affectuum ſuorum motus percipere poſſunt, quam poſtea, propter novitatem rei, quamvis poſtea creſcant in vero Dei zelo. Tale quid affirmatur de ipſis angelis *Luc.* 15. 7.

XXIX. In ſenectute aut ſimili aliqua virium debilitatione, quamvis zelus ſit idem, vel etiam major quam antea fuit, eodem tamen modo in quibuſdam non exeritur, quo antea ſolebat in juventute.

XXX. Varietas etiam inſtitutionis varietatem

a judicandum de zelo.

magnam infert in modo zeli exerendi, quamvis idem sit zelus quoad essentiam.

*a* Quæstio sexta. An zelus & risus circa unam & eandem rem licitè possit versari?

XXXI. Resp. Fieri hoc posse apparet in Elia. 1. *Regum* 18.27. cum 19.10, 14. Non tamen sub eadem ratione. Zelus enim respicit honestum aut turpe: risus autem inexpectatum aliquid, leviter placens, absque consideratione vel honesti vel turpis. Nam hæc est natura rei ridiculæ.

a Quomodo zelus & risus conveniant.

## CAPUT VII.

### *De Conscientiæ pace vel serenitate.*

QUoniam observantiæ adjunctum concomitans est conscientia tranquilla, quæritur igitur.

*a* Quæstio prima. Qua ratione tranquillitas ista conscientiæ ex observantia nostra pendet?

I. Resp. 1. Non pendet ex observantia aut obedientia nostra, tanquam ex causa principali, sed ex justificatione illa, quam habemus in Christo Jesu. *Rom.* 5. 1. *Hebr.* 10.22. 1 *Petr.* 3.21. 1 *Cor.* 4 4.

II. Qui ita quiescere volunt in semetipsis, & operibus suis, ii solidam tranquillitatem suis conscientiis nunquam possunt invenire, tum propter varios lapsus, tum propter imperfectiones illas multiplices, quæ optimis hominum conatibus, dum sunt in isthac vita, semper adhærent. Atque hinc est quod pontificii necesse habeant, perpetuis, dubitationibus agitari, & in vita, & in morte, propter opinionem illam quam habent de justitia & meritis operum, sua propria confessione incertis.

III. Ex observantia autem nostra pendet 1. tanquam ex eo quo removetur ejus contrarium, aut

a Quomodo ex observantia, conscientiæ tranquillitas consequatur.

pro-

prohibens impedimentum. 1 *Sam*. 25. 31. 1 *Joh*. 3. 18. 2. tanquam ex causa procreante vel ratione ejus secundaria, 2 *Cor*. 1. 12.

IV. Hoc autem sic accipi debet, ut tranquillitas conscientiæ, quoad actiones illas tantum, quæ legi Dei congruunt, ex obedientia pendere intelligatur, quoad rem ipsam: illa vero tranquillitas quæ respicit statum nostrum coram Deo, non aliter obedientiæ nostræ tribuatur, ut causæ, nisi quoad certitudinem perceptionis nostræ: rem ipsam autem respicere obedientiam nostram tanquam signum & effectum suum: unde phrasis illa Scripturæ, à Johanne præcipuè frequentata, *per hoc cognoscimus*: & aliæ similes: 1 *Ioh*. 2. 3, 5, 29. & 3. 10, 14. & 4. 13.

V. Pendet etiam tranquillitas conscientiæ ex observantia, tanquam ex causa conservante. Justitia enim (non imputata, neque inhærens, sed vitæ & conservationis) est thorax hominis fidelis, quo defenditur, atque munitur, ac salvus & tranquillus conservatur. *Eph*. 6. 14. 1 *Joh*. 3 7. 1 *Cor* 4 3 Hinc ista justitia, quæ in observantia consistit, vocatur propriè *justitia bonæ conscientiæ*. Ex *Actor*. 24. 16.

VI. Conservat autem observantia tranquillitatem conscientiæ, non tantum ut signum nostræ reconciliationis cum Deo, sed etiam ut continuatio & exercitium illius vitæ, quæ Deo est accepta & grata. *Coloss*. 1. 10. 1 *Thess*. 4. 1. *Hebr*. 12. 28. non quod illa sit perfectio in obedientia nostra, quæ Dei legi satisfacere possit, sed quod postquam personæ nostræ fide propter Christum sunt Deo acceptæ, tunc etiam ejusdem fidei virtute, propter Christum, obedientia etiam nostra, licet languida & immunda, coram Deo fit accepta. 1 *Petr*. 2. 5.

*a* Quæstio secunda. Qualis sit illa obedientia

*a* Qualis observantia ad conscientiæ tranquillitatem requiritur.

ex cujus præsentia conscientia possit esse tranquilla?

VII. 1. Perfectio absolute non requiritur ad istam tranquillitatem. Tunc enim tranquillitas in isthac vita frustra quæretur. *Iacob*.3.2. 1 *Ioh*.1.10.

VIII. 2. Illa tamen perfectio est necessaria, quæ in sacris literis, Dei ipsius testimonio ornatur, quod ipsi grata sit & accepta. *Hebr*.11.2.

IX. 3. Perfectio ista in eo propriè consistit, ut studia & conatus nostri omnes, sint boni, & imperfectio tantum sit in gradu perficiendi. *Rom*. 8. 4. *&c*.

X. 4. Imperfectiones omnes etiam quæ adhærent, sunt cum seria humiliatione agnoscendæ, & earum remissio in fide petenda. *Orat* *Dom*. Petr. 5.

Quæstio tertia, qualis est tranquillitas, quæ ex hujusmodi obedientia exsurgit?

XI. Resp. 1. Talis est, qualis ipsa obedientia, varia scilicet & imperfecta. 2 *Cor*. 1. 24.

XII. 2. Non igitur excludit motum à malo ad bonum, sed perturbationem tantum illam, quæ oritur ex iræ divinæ apprehensione.

XIII. 3. Corda tamen fidelium quasi presidio custodit. *Phil*.4.7. eaque gubernat. *Col*.3.15.

*a* Quæstio quarta. Quomodò distingui possit ista tranquillitas conscientiæ bonæ, ab illa quiete, quæ in improbis aliquando reperitur?

XIV. Resp. 1. Quies improborum non fundatur verbo Dei, sed verbis & imaginationibus vanis. *Ier*.23.17,18. 1 *Thess*.5.3.

XV. 2. Non solet esse constans, sed cum variis moribus intercurrentibus: & evanescere etiam solet, cum judicia Dei incipiunt urgere.

XVI. 3. Eadem solet manere sive pietatis & justitiæ officia curentur, sive negligantur, modo crimina illa absint quæ sunt ipsi naturæ horrenda.

*a* Differentia inter tranquillitatem piorum & impiorum.

CA-

## CAPUT VII.

## DE VIRTUTE.

QUæstio prima, an non satis sit facere quod bonum est, *a* nisi virtutis etiam habitus comparetur, quo corda nostra ad illud bonum inclinentur?

Resp. Omni collato studio adjicere debemus fidei nostræ virtutem. 2 *Petr.* 1. 5.

I. Quia sermo ille Dei quo ad officia nostra speciatim vocamur, debet esse nobis insitus. *Jacob.* 1. 21.

II. Tradere debemus nosmetipsos eidem doctrinæ, tanquam typo aut formulæ, cujus imago in cordibus nostris est exprimenda. *Rom.* 6. 1. Hæc autem interna imago est virtus.

III. Sicut veterem hominem exuere debemus una cum ejus membris, quæ propriè sunt vitia interna. *Coloss.* 3. 5. sic etiam debemus novum induere cum ejus membris, quæ propriè sunt virtutes.

IV. Configurari debemus imagini Christi. *Col.* 3. 10. in quo inhabitavit omnis plenitudo virtutum. *Esai.* 11. 2. *Col.* 1. 19. idque in illum finem, ut ex ejus plenitudine nos accipiamus gratiam pro gratia. *Ioh.* 1. 16.

V. Si virtutis habitus absit, quamvis bonum opus præstemus, non sumus tamen radicati & fundati in illo bono, sed facilè abripimur in contrarios mores, & bonitas illa cito evanescit. *Math.* 13. 21. *Col.* 1. 23.

VI. Quod facimus boni, absque virtute, non facimus corde honesto ac bono, quod tamen in omnibus postulatur. *Luc.* 8. 15.

VII. Talia opera non sunt obedientia Deo grata. *Math.* 7. 18. & 15. 8.

*a* Necessitas virtutis.

*a* Quæstio secunda. Quid faciendum est homini fidei, ut virtute aliqua possit augeri?

VIII. Resp. Debet 1. defectum & impotentiam suam specialiter ac serio agnoscere & confiteri. 2 *Cor*. 3. 5. 1 *Cor*. 3. 18.

IX. Debet 2. in Christo specialiter apprehendere illam gratiam, qua destituitur, ut in ea fiat potens & completus. *Phil*. 4. 13. *Col*. 2. 10.

X. Debet 3. sedulo sibi cavere ab iis omnibus, quæ illi virtuti adversantur. *Prov*. 4. 14, 15. *Eph*. 4. 29, 31.

XI. Debet 4. iis rebus operam dare, quibus illa virtus promovetur. 2 *Petr*. 1. 12. 15.

XII. Debet 5. eandem virtutem assiduis & instantibus precibus à Deo petere. *Iac*. 1. 5. *Actor*. 4. *v*, 29.

XIII. Debet 5. frequenter & studiosè exercere sese in iis, quæ propria sunt illius virtutis. 1. *Tim*. 4. 7.

*b* Quæstio. quænam sunt signa virtutis alicujus jam acquisitæ?

XIV. Resp. 1. Propensio & promptitudo quasi naturalis ad illam virtutem exercendam. 2 *Petr*. 1. 4 1 *Thess*. 4. 9.

XV. 2. Firmitas & constantia in illo exercitio. *Ephes*. 4. 14, 15.

XVI. 3 Delectatio & gaudium ex eodem exercitio exundans. *Prov*. 21. 15. 2 *Cor*. 8. 2. & 9 7. 13.

XVII 4. Abominatio vitii contrarii. *Psal*. 119. 163.

XVIII. 5. Alienatio ab iis, qui illi vitio sunt dediti. *Prov*. 29. 27.

XIX. 6. Universalitas, qua fit ut non secundum quid, sive ex parte, quod bonum est prosequatur, & malum impugnet; (mensuram ac limitationem admittens ex consilio carnali) sed simpliciter & absolute. 1 *Cor*. 1. 3. 7. *Coloss*. 1. 10.

a Modus aspirandi ad virtutem. b Notæ virtutis.

## CAPUT IX.

## DE PRUDENTIA.

INter illas conditiones, quæ ad virtutem necessario requiruntur, post justitiam generalem, quæ rectitudinem ejus essentialem notat, primum locum habet prudentia vel sapientia spiritualis. De illa igitur sit

a Quæstio prima. Qua in re consistit prudentia vera?

I. Resp. 1. Prudentia spiritualis generaliter consistit in iis, quæ spectant ad Dei gloriam, nostrum officium ac salutem, in discernendis, circumspiciendis, penetrandis, & ordinandis, ut quantum fieri potest ad perfectionem possint perduci. *Prov.* 14.18 5. & 15.42.& 22 3. In specie autem ad illam spectat. 1. Rectum finem propositum semper habere, & ad eum contendere. *Ier.* 4. 22. 2 *Tim.* 3.15. *Deut.* 23. 29. Nequaquam enim sapit, qui sibi, ac suo bono non sapit.

II. Media illa eligere, quæ certo tendunt ad illum finem, *Prov.* 2 9.

III. Accurate & præcise ambulare in istis mediis observandis & persequendis. *Eph.* 5. 15.

IV. Omnem oportunitatem capere & redimere ad studium istud promovendum. *Col.*4.5.

V. Omnia illa studiosè cavere & fugere, quæ huic studio repugnant. *Iob.* 38.21.

VI. Cætera omnia deserere, ad summum istud bonum acquirendum *Matth.* 13.44.45.46.

VII. Non vanæ spei confidere, sed omnia solide fundata habere, *Matth.*7.24.

b Quæstio secunda. Qua ratione possit hæc prudentia comparari?

VIII. Resp. 1. Non provenit aliunde nisi à Deo

a Prudentiæ natura. b Ratio prudentiæ acquirendæ.

solo

solo per Spiritum Sanctum. *Iob* 28. 12,13,14,20,21, 22,23. *Esai*. 11. 2,3. *Eph*. 2. 8,17. *Iac*. 3. 15.

IX. 2. Ut à Deo eam accipiamus, stultitiam nostram debemus serio agnoscere. 1 *Cor*. 3. 18.

X. 3. Debemus eam quærere in verbo Dei. *Psal*. 19. 7. & 119. 98, 99, 104. *Ier*. 8. 9.

XI. 4. Debemus à Deo eam rite petere. *Iac*. 1. 5. 2 *Cor*. 1. 10, 11.

XII. 5. Debemus etiam omnem observationem & experientiam nostram dirigere ad sapientiam adsciscendam. *Psal*. 90. 12.

*a* Quæstio tertia, quibus argumentis excitati debemus ad studium prudentiæ hujus spiritualis?

XIII. Resp. 1. Quia est perfectio hominis supra cætera omnia animalia. *Psal*. 32.

XIV. 2. Quia magna pars est imaginis divinæ. *Coloss*. 3. 10.

XV. 3. Quia eripit ab omni malo. *Prov*. 2, 11, 12. & 2.

XVI. 4. Quia ad omne bonum conducit. *Prov*. 3. 13, 14, 16, 1, 18.

Quia vero in Scripturis mentio sæpè fit sapientiæ aut prudentiæ humanæ, spirituali huic sapientiæ oppositæ, idcirco quæritur.

1. *b* An omnis sapientia humana sit damnanda?

XVIII. Resp. Sapientia humana duplici modo consideratur, vel ut est simpliciter humana perfectio, aut virtus, ut appellant intellectualis, qua res gerendæ quamvis variæ & amplæ sint, facilè percipiuntur, & judicantur, & diriguntur: velut est illius facultatis corruptio, aut abusus, quo peccatum habet adhærens vel admixtum, Priore sensu, res est bona in genere naturæ, atquæ adeo laudanda, & quærenda, quamvis respectu moralis bonitatis, sit res media, neque bona neque mala, sicut & reliquæ omnes perfectiones naturales. Prudentiæ igitur civilis in sese considerata non opponitur sapientiæ spirituali, nisi ut res desperata tantum:

a Quare prudentiæ studendum. b Sapientia humana.

tum: sed posteriore sensu, res est mala in genere morum, atque adeo damnada & fugienda: opponitur enim sapientiæ spirituali, ut res adversa: quo nomine appellatur etiam *sapientia terrena, animalis, carnalis, & diabolica. Iac.*3.15.

a Quæstio secunda, quando carnalis est sapientia humana, & eo nomine damnanda?

XXIII. Resp. 1. Cum directè sese opponit sapientiæ divinæ, mali aliquid machinando. *Exod.* 1.10. *Prov* 1.30. *Rom.*6.13. id est, cum sit medium, vel impietatis, vel injustitiæ. Sapientia enim cum improbitate, nihil aliud est quam armata nequitia. Sapere malùm, non est sapere, sed desipere.

XIX. 2. Cum sapientiam Dei contemnit & habet pro stultitia 1 *Cor.*1.23.

XX. 3. Cum nullo modo subjicit sese sapientiæ Dei. *Rom.* 8 7.

XXI. 4. Cum aliquo modo sapientiæ Dei cedit, non quoad rem ipsam, quam quærit, sed quoad media & modum quærendi, sibimet fidit. 2 *Reg.* 5.1. 1 *Cor.*2. 1, 4.

XXII. 5. Cum reddit hominem minus capacem eorum, quæ sunt Spiritus Dei 1 *Cor.*2.14.

XXIII. 6. Cum sit materia gloriationis. *Ioh* 9. 23 *Ezech.*28.1.

XXIV. 7. Cum fiducia in illa collocatur. *Prov.*3. 6. & 2.13.

XXV. 8. Cum à sinceritate & innocentia separatur. *Rom.*16.19. *Math.*10.16. 2 *Cor.*1.12.

Quæstio tertia. Quibus argumentis adduci quis possit ad carnalem istam sapientiā contemnendam?

Resp. 1. Quia magis alienos reddit homines à Regno Dei, quam simplex stultitia. 1 *Cor.*1.26.27. *Mat.*11.26. Quia hæc sapientia à Deo infatuatur & aboletur. 1 *Cor.* 1. 19.20. 3. Quia serpentina est & diabolica. *Gen.* 3. 1. *Iac.*15.6. Quia & authores perdit. *Prov.* 11. 3. omnem humanam societatem evertit, & vitæ solamen tollit. 2 *Sam.* 26. 22, 3.

a Spiritus carnalis.

CA-

## CAPUT X.

## DE VIGILANTIA.

QUia prudentiæ vis exercita, & (ut ita loquar) actuositas solet in Scripturis *vigilantiæ* nomine designari: de istac igitur vigilantia

Quæritur. 1. Qua in re proprie consistit?

I. Resp. Vigilantia nihil aliud est quam cauta attentio, qua res aliqua diligenter curatur. *Luc.* 2. 8. *Hebr.* 13. 16 sed actus iste spiritualis vigilantiæ, quæ ab omnibus exigitur, refertur in Scripturis ad tria objecta. 1. ad ipsos vigilantes, ut observent vigilias super semetipsos. *Prov.* 23. ad finem 1. ad eorum officium, ut excubent ad illud. *Ephes.* 6. 18. 3. ad futurum, cui se per illud officium parant. *Mat.* 24 42, 43. 44. Primum vocari potest objectum *super quod*, secundum objectum *ad quod*: & tertium objectum *cui*. Hæc vero tria, quamvis doctrinæ causa distinguantur, in praxi tamen semper debent conjungi, ita ut simul nosmetipsos observemus, invigilemus officiis illis, quæ nobis incumbunt, & præparemus nos ad futura illa, quæ officium respiciunt vel præstitum vel neglectum, *Eccles.* 5. 1, 2, 3, 4, 5, 6,

II. Vigilantia super nosmetipsos, in genere idem est cum vigilanti observatione voluntatis Dei. *Psal.* 119. 4. 5. 6. 9.

III. Particulariter autem eo requiritur, sicut in excubiis alicujus urbis obsessæ, vel alia ratione periclitantis, ut observemus & inquiramus, 1. in omnes intrantes, quales sint, unde veniant, quo tendant: id est, in omnia illa, quæ per sensus nostros tanquam per urbis portas ingrediuntur, ut si noxia sint, possint excludi. *Psal.* 119. 37. *Job.* 31. 1, 2. ut diligenter etiam inquiratur, idque simili plane modo, in omnes exeuntes, id est, in omnia cogitata, dicta, facta, quæ ex nobis exsurgunt, *Prov.* 4. 23, 24. *Psal.* 39. 2. *Eccles.* 5. 1, 3. *Jac.* 3 2.

IV.

IV. *a* Vigilantia, qua respicit ipsum officium, nihil aliud est quam solicitudo de iis, quæ Deus nobis præcepit, quomodo in iis Deo ploceamus. 1 *Corinth.* 7. 32.

V. Particulariter autem vigilantia requiritur 1. antequam officium præstetur, ut res bene perpendatur. *Prov.* 14. 15. ut omnia impedimenta (sive per se sint res illicitæ, sive alias licitæ) è medio tollantur. 1 *Petr.* 2. 11. 3 *Tim.* 2. 4. ut nos idonei & apti simus adfaciendum officium nostrum. *Luc.* 31. 34. 36. & ut occasiones captentur ejusdem faciendi. *Gal.* 6 20. & vitentur contrariæ. *Prov.* 4. 15 & 3. 8. 2. In ipso officium præstando, ut recto & accurato modo fiat *Luc.* 8 18. 3. Post officium præstitum, ne insequente nulla corruptela perdatur. 2. *Ioh.* 8. quia facile solet vel superbia corrumpi, 1. *Cor.* 4. 7. vel inconstantia & levitate everti. *Ier.* 34. 11.

VI. Vigilantia, qua respicit futurum ob oculos habendum, est congrua præparatio, qualem postulat illud quod expectatur: sive bonum sit, ut recipiatur, sive malum, ut evitetur, *Matth.* 24. 42. 44. Particulariter autem hic requiritur 1. ut in tempore fiat hæc præparatio. *Matth.* 25. 3. *cum* 11. 1. ut indesinenter & constanter fiat. *Luc.* 21. 36.

Quæstio secunda. Quænam præcipue requiruntur ad vigilias istas observandas?

VII. Resp. 1. Sobrietas in usu rerum mundanarum. 1 *Thess.* 5. 6. 1 *Petr.* 4. 7. & 5. 8. gravatur enim cor non tantum crapula & ebrietate, sed etiam sollicitudinibus hujus vitæ, *Luc.* 21. 34, 36.

VIII. 2. Frequens cogitatio de omni præsentia & inspectione Dei. *Proverb.* 1. 20. 21. *Psal.* 119. 168.

IX. 3. Crebrum examen viarum nostrarum, cum justa censura vel judicio. *Psalm.* 4. 4. *Psalm.* 119 59. 1 *Cor.* 11. 31.

X. 4. Consortium eorum qui adjutores nobis erunt in ista cura. *Phil.* 24. *Hebr.* 20. 24. 25. assidua precatio. *Matth.* 46. 41.

a Vigilantia.

*a* Quæ-

a Quæstio tertia, quibus argumentis excitari possimus ad studium vigilandi?

XI. Resp. Ratio una est essentialis, quæ petitur à periculo in quo cum nos ipsi versamur, tum etiam nomen ipsum Dei per nos. 1 *Tim*.6,1.

XII. Periculum autem istud imminet nobis, 1. ex infirmitate nostræ carnis. *Mat*.26, 14. 2. ex diaboli & mundi insidiis. 1 *Petr*. 5, 8, 3. ex incertitudine temporis adventus domini ad judicium, vel generale, vel particulare *Matth*.24,42,& 25, 13. *Marc*. 13,30,35. *Luc*.21,35,36.

a Vigilantiæ Motiva.

## CAPUT XI.

## DE FORTITUDINE.

Quia post prudentiam, ad perfectionem virtutis requiritur fortitudo, de ea igitur sit

Quæstio prima. Qua in re consistit fortitudo Christiana?

I. Resp. 1. Non est confundenda cum animositate quia animositas reperitur etiam non solum in hominibus ab omni virtute alienis, sed & in Brutis, leone, equo, tauro, & cane. *Prov* 31,2,30,31.

II. 2. Animositas tamen vel magnitudo animi, generis rationem habet ad fortitudinem veram, quæ idcirco non tam consistit in moderatione audaciæ aut spei, quam timoris & desperationis, *Iob*. 6, 11, 19.

III. Non tantum consistit in aggrediendis periculis & arduis rebus suscipiendis, sed etiam in adversis malis subeundis & sustinendis. *Hebr*. 11,34 35,36. 2 *Tim*. 2,1,3.

IV. 4. Sed pericula subit semper fortitudo vera, & sustinet adversa virtutis officij causa, 1 *Petr*. 3. 14,& 4,14,15.

V. 5. Fortitudo igitur est illa animositas, qua parati sumus ad officium præstandum, quæcunque dif-

difficultates occurrant: illo ipso nomine, quia est officium 1 *Cor*. 15. 58. *&* 16. 13.

VI. 6. Non est ille dicendus fortis, qui se periculis objicit non considerans vel qualia sint, vel quare subeunda, vel causa implicatus, aut necessitate compulsus, non honesta ratione inductus. Non fuit ex fortitudine, quod demoniacus ille *Marc*. 9. frequenter insiliebat in aquam, & frequenter in ignem, sed ex mali spiritus arreptione. Sic etiam non ex fortitudinis virtute, quod quidam valentes se ac strenuos præstent ad potandum. *Esa*. 5. 22. Imo insani sunt furores multi impetus, ex quibus homines fortes ab insipientibus judicantur.

VII. 7. Neque fortis est ille qui metu aut periculo aliquo ab officio, vel absterretur, vel desistit. *Prov*. 24. 10.

VIII. 8. Hic tamen observandum fortitudinem fidelium, in hac vita, conjunctam esse infirmitati; atque adeo momentaneam aliquam concussionem quia pii nonnunquam percelluntur usque ad hæsitationem, consistere posse cum fortitudine virtutis *Ier*. 20. 2 *Cor*. 4. 8.

IX 9. Quamvis etiam ex animi proposito, & præparatione, arment & muniant sese fideles adversus omnia illa quibus officium impugnatur 2 *Cor*. 6 4. *&c*. non tamen ex æquo parati semper sunt ad omnia genera molestiarum sustinenda & superanda, sicut Satan observavit. *Iob*. 1. *&* 2. eventus ipse in Jobo, aliquo modo comprobavit. Quod enim experientia docet in corporali fortitudine, id proportione commoda, locum etiam habet in spirituali: *Alii fortes sunt ad labores tolerandos; alii ad militiam exercendam; alii ad onera portanda; & alii ad læsiones repellendas; multi qui fortes admodum sunt in uno aut altero horum, ad cætera infirmi ac debiles inveniuntur.*

*a* Quæstio secunda. Quibus mediis excitatur in homine Christiano ista fortitudo?

*a* Media & modus fortitudinis excitandæ.

X. Resp.

X. Resp. 1. Si agnoscat suam propriam infirmitatem. *Rom*.5.6. 2 *Cor*.3.5.

XI. 2. Si consideret electum sese & vocatum à Deo ad officium illud præstandum quod aggreditur. 1 *Chron* 28.10.

XII. 3. Si cogitet Deum sibi adfuturum in eo quod ipsi mandat. *Deut*. 20. 3, 4. *Psalm*. 27. 1. 2 *Reg* 6.16.

XIII. 4. Si omnem sufficientiam & robur apprehendat & exspectet à Deo. *Ephes*. 6. 10. *Phil*. 4. 14. *Psalm*.73.26.

XIV. 5. Si victoriam jam olim in Christo sibi partam esse recordetur, neque aliud ab se postulari, quam ut Christo adhærens, victor cum ipso & in ipso fiat. *Joh*.16.33. *Rom*.8.37.

XV. 6. Si promissioni illi inhæreat, quæ testatur omnia adjumento futura ad bonum iis qui diligunt Deum. *Rom*.8.28.

XVI. 7. Si in oculis semper habeat repositam sibi mercedem. 1 *Cor*.15.58.

## CAPUT XII.

### *De Fiducia forti.*

QUia sub fortitudine continentur fiducia, perseverantia, & patientia, de istis igitur breviter.

Quæstio prima. Qualis sit ista fiducia fortitudinis?

I. Resp. Non intelligitur hic proprie fiducia illa fidei, qua Deo per Christum incumbimus ad salutem; neque simpliciter fiducia illa spei, qua illa expectamus quæ Deus promisit: sed confidentia illa qua virtute fidei ac spei pleni, alacriter aggredimur officium nobis à Deo impositum. *Jer*. 1.7, 8, 17. *Actor*.4.13,29. & 9.29. *Ephes*.6.19,20. *Phil*.1.14,20.

Quæstio secunda. Quænam sunt illa mala adversa, quæ proprie superantur per fortem istam fiduciam?

II. Resp.

II. Resp. Duo præcipue. 1. difficultates illæ, quæ nobis obsistunt in officiis præstandis. *Proverb.* 22. 13. & 26. 13. *Eccles.* 11. 4. 1 *Cor.* 16. 9. 2. incertitudo successus vel eventus ex officio præstito secuturi. *Daniel.* 1. 17, 18.

Quæstio tertia. Qua ratione confirmatur animus adversus istos angores?

III. Resp. 1. Per fervorem spiritus aut zelum, *Act.* 18. 25. 26. *Act.* 4. 8. *cum* 22. *Amos* 5 24.

IV. 2. Per veram fiduciam in Deo collocatam. *Prov.* 3. 16. *Psal.* 47. 5. & 55. 22. 1 *Petr.* 4. 19. & 5. 7. *Esai.* 58.

V. 3. Per preces fideles omnia nostra Deo commendantes. *Phil.* 4. 6. *Esth.* 4. 16.

VI. 4. Per judicium integrum de ipsis terroribus quibus percellimur. Sæpe enim contemnenda plane sunt, quæ nos terrent: ut vanissimorum hominum sermones, &c. sæpe figmenta mera sunt, quæ post exactum judicium habitum, statim evanescunt, & semper talia sunt, ut cum officii nostri dignitate, fructu, ac necessitate, si recte comparentur, nihil omnino valent.

## CAPUT XIII.

### *De Constantia.*

QUæstio quarta Qua in re consistit perseverantia vel constantia virtutis?

II. Resp. 1. In perpetua continuatione ejusdem propositi & dispositionis bene agendi. *Gal.* 4. 18. *Psal.* 106. 3. *Rom* 27.

II. 2. In frequenti iteratione ejusdem generis actionum cum fervore. 1 *Thess.* 5 17.

III. 3. In studio pergendi & proficiendi in illa via virtutis. *Phil.* 3. 13, 14.

Quæstio quinta. Quænam sunt mala quæ isti constantiæ opponuntur?

IV. Resp. 1. Declinatio à via recta. *Job* 23, 11, 12.

V. 2. Fatigatio & languor. *Gal.* 6. 9.

VI. 3. Levitas illa desultoria, qua mutantur homi-

homines in horas, & sui dissimiles evadunt: puerilitas dicitur. *Eph.* 4. 14. & amentia & fascinatio. *Gal* 3. 1.

Quæstio sexta. Quomodo excitantur homines ad constantiam?

VII. Resp. Quia merces non promittitur, nisi perseverantibus. *Apoc.* 2. 10, 26. atque adeo frustra agitur quod non porro agitur & peragitur, *Gal.* 3. 4.

## CAPUT XIV.

### *De patientia.*

QUæstio prima. Qualis natura tolerantiæ vel patientiæ virtutis?

I. Resp. Patientia hominis Christiani triplex aspicit objectum, 1. Deum, ex cujus arbitrio res omnes adversæ ordinantur. *Iob.* 1. 20. & 2. 19. qua ratione patientiæ opponitur obmurmuratio adversus Deum 1 *Corinth.* 10. 10. 2. Homines vel media illa quæ nobis directè adversantur. 2 *Thess.* 1. 4. *cum* 6. 1 *Petr.* 2. 20, 23. & 3. 9. quo respectu, patientiæ opponitur vindictæ cupido. *Rom.* 12. 17, 19. 3. Officium illud quod per molestias rerum adversarum deferre tentamur. *Hebr.* 10. 36. *Luc.* 12. 1. cujus intuitu, patientiæ opponitur animi fractio, *Hebr.* 12. 5. & ex ea subductio aut defectio de via recta. *Hebr.* 10. 36. *cum* 38, 39. & 12. 7. *cum* 13.

II. In prima illa consideratione, patientia pertinet ad religionem erga Deum: in secunda, ad charitatem erga proximum, in tertia vero est pars fortitudinis, & virtutis affectio generalis. Ad tertiam tamen considerationem istam revocari possunt etiam reliquæ duæ, quatenus officium nostrum vel erga Deum, vel erga homines in illis spectatur: quamvis præter generalem istam naturam, speciales habent differentias, per quas ab hac, & inter se utiliter possunt distingui.

Quæstio octava, quomodo distinguitur hæc tolerantia

rantia, à fortitudine illa quæ est in fiducia, & constantia?

III. Resp. Conjunguntur semper hæc tria in fortitudine vera. Sed fiducia proprie respicit officii aggressionem: constantia, ejus continuationem: tolerantia vero, eius defensionem.

*a* Quæstio nona, quænam sunt signa hujus tolerantiæ?

IV. Resp. 1. Si neque contemnamus plane objectas nobis difficultates, neque fracti animis fatiscamus. *Hebr.* 12. 5. sed oppositiones omnes recto judicio pensitatas vera fide superemus.

V. 2. Si animos habeamus paratos, justitiæ causa, non ad eas tantum ferendas molestias, quæ minus premunt, sed & maximè formidabiles. *Actor.* 21. 13.

VI. 3. Si non tantum non planè deseramus officium nostrum, propter molestias occurrentes, sed ne remittamus quidquam ex ejus zelo. *Hebr.* 10. 35, 12, 12, 13.

VII. 4. Si non quasi coacti & inviti molestias istas subeamus, sed cum spirituali gaudio & exultatione. *Mat.* 5, 12 *Col.* 1. 11. *Hebr.* 10. 34.

*b* Quæstio decima, quibus argumentis confirmari possimus in hac tolerantia?

VIII. Resp. 1. Quia sine tolerantia nihil boni perfici potest. *Iac.* 1. 4.

IX. 2. Quia absque tolerantia animas nostras proprias non possidemus. *Luc.* 21. 19. neque corda nostra possimus in ullo bono stabilire. *Iac.* 5. 8. *Prov.* 24, 10.

X. 3. Quia per istas molestias in certamen deducimur à Deo explorante contra diabolum tentantem. *Hebr.* 10, 32. in quo, nisi per tolerantiam superiores evadamus, necesse est ut cum Dei contumelia, & nostra calamitate, à Diabolo superemur. *Rom.* 17: 21.

XI. 4. Quia in isthoc certamine, Deus & vires

a Tolerantiæ signa. b Motiva tolerantiæ.

suppe-

suppeditat, & exitum dabit felicem. 1 *Corinth.* 10, 13.

## CAPUT XV.

### *De Temperantia.*

QUia ad virtutis constitutionem, præter justitiæ rectitudinem, prudentiæ directionem & fortitudinis firmitatem, requiritur etiam temperantiæ custodia: idcirco de temperantia sit

Quæstio prima. Qualis sit natura temperantiæ?

I. Resp. 1. Quemadmodum fortitudo armat virtutem adversus illa, quibus ab officio possit quis deterreri, sic Temperantia munit eam adversus illa, quibus ab eodem blande possit abduci.

II. 2. Quamvis autem in victoria illa, quam temperantia consequitur de tentationibus blandis, quibus resistere sæpe molestum est, & in constantia illa, quæ fructus est temperantiæ ex parte, magnanimitas & celsitudo animi reperitur, fortitudini affinis; alia tamen est ejus ratio, quam fortitudinis, propter differentiam objectorum.

III. 3. Quia vero objectum omne blande alliciens habet aliquam speciem boni, & boni honesti species, qua talis non allicit ad peccatum, sed ad honestum, idcirco objectum temperantiæ est bonum utile, aut jucundum apparens, seu commoda & voluptates.

IV. 3 Quia etiam circa hujusmodi bonum occupatur amor, desiderium, & delectatio; idcirco in istis affectibus, circa talia objecta regendis, temperantia propriè versatur.

V. 5. Istos affectus non planè tollit temperantia, utpote naturales, sed ipsos regit, id est, eorum inordinationes, quoad eorum intensionem, extensionem, & modum.

VI. 6. Ista autem inordinatio, quia in fidelibus omnibus ex parte tantum tollitur, idcirco illi affectus, quatenus sunt tales, aliquatenus quidem, sed non

non penitus mortificantur. Unde est quod temperantia reliquias ipsorum reprimere dicatur & coercere, & ab eis abstinere.

*a* Quæstio secunda. Quænam sint notæ temperantiæ?

VII. Resp. 1. Si quis non ducatur affectibus carnalibus & mundanis, sed illos teneat sub jugum rationis & religionis domatos, & quasi denegatos, *Tit*. 2. 12.

VIII. 2. Si ab eis præcipuè cupiditatibus abstineat, ad quos vel conditionis suæ ratione, vel consuetudine prava, vel exemplo eorum inter quos vivit, maximè inclinatur, 2 *Tim*. 2. 22. 1 *Petr*. 4. 2, 3, 4.

IX. 3. Si non abstineat solum ab ipsis operibus externis, quibus tales cupiditates expleri solent, sed etiam internos ipsos affectus inordinatos studeat eradicare, & mortificare, *Col*. 8. 5. *Rom*. 8. 13.

X. 4. Si quis neque in fruitione commodorum, & voluptatum hujus mundi efferatur; neque ipsorum deffectu conturbetur; sed habens illa, sit quasi non haberet. 1 *Cor*. 7. 29, 32, 31. & non habens, quasi haberet, 2 *Cor*. 6. 10.

*b* Quæstio tertia, Quid faciendum ut ad temperantiam Christianam adspiremus?

XI. Resp. 1. Debemus id omni modo agere, ut mundi hujus & eorum quæ in mundo sunt, amorem, desiderium, & delectationem minuamus, eique resistamus. 1 *Ioh*. 2, 15, 16.

XII. 2. In istum finem proderit, cogitationem, atque adeò etiam sensus avertere à rebus perversè dilectis; ne boni species in illis apparens, incentivum atque fomentum sit amoris perversi, *Ioh*. 13. 1. Memorabile enim est, quod duo primi amores perversi qui in sacris literis memorantur, exstitisse dicuntur ex aspectu, *Gen*. 3. *Vidit mulier, quod bonum esset lignum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.*

a Signa temperantiæ.
b Quomodo ad temperantiam adspirandum.

*& tulit de fructu ejus & comedit* Et Gen. 6. *Videntes Filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores, &c.*

XIII. 3. Proderit etiam fluxam vanitatem omnium rerum mundanarum bene ponderare., 1 *Ioh.*2.17.*Eccles.*1. &c.

XIV. 4. Ne voluptatum specie capiamur, & rapiamur, utilissimum est ut voluptates, non ut blandè accedentes, sed ut abeuntes, i e. pudoris & pœnitentiæ plenas intueamur. *Rom* 6.21.

XV. 5. Advigilandum est ne motus concupiscentiæ hujus diuturna mora vires acquirant, sed danda est opera ut initio statim compescantur, *Rom.* 7.

XVI. 6. Sæpe multumque in animo volvendum, quomodo quicunque unquam sapientes & pii fuerunt, non sine justa causa voluptates hasce aspernati sint, easque ab aliis aspernandas & fugiendas esse judicarint.

XVII. 7. Occupandus est animus in aliis rebus: & convertendus est amor, desiderium, & delectatio, ad spiritualia ac divina bona; ita ut amore bono, malus amor ex animo, tanquam clavus clavo pellatur.

## CAPUT XVI.

### *De Ebrietate,*

I. INter peccata temperantiæ opposita, præcipuè eminent illa, quæ versantur circa delectabilia tactus, ut in gula, ebrietate, & similium abusuum superfluitas: quia scilicet tales abusus maxime aperte habent in se, & per se, malitiam moralem, sicut apparet ex lege naturæ, divina, atque etiam humana, illos per se prohibente.

II. In istis omnibus excessibus, communis inordinationis ratio invenitur, vel quoad substantiam, cum

cum prætiosiora appetuntur, quam conveniunt statui, vel quoad quantitatem, cum plus consumitur quam ratio requirit; vel ratione qualitatis, cum nimia curiositas adhibetur ad cupiditati satisfaciendum; vel ratione modi, quando decori justa ratio non habetur, vel denique ratione temporis, cum vel sæpius, vel alias quam oportet, istis rebus indulgetur.

III. Ebrietatis autem specialis quædam est ratio, præ cæteris, propter oppositionem illam singularem, quam habet ad officia, opera virtutis. De ebrietate igitur sit.

Quæstio prima. quid sit Ebrietas?

IV. Resp. 1. Ebrietas accipitur sæpe pro privatione rationis, ex immoderato potu consecuta. Et sic non est ipsa per se peccatum, sed potius effectum, & pœna peccati.

V. Prout autem notat vel appetitum ipsum immoderati potus, vel potum ipsum voluntarium, eo usque immoderatum, ut quis per illum violenter privetur usu rationis, sic est grave peccatum. *Prov.* 23. 30. 31. *Esa.* 5. 11. *Hos.* 4. 11. *Luc.* 21. 34. 1 *Cor.* 6. 10. *Ephes.* 5. 18.

VI. Deformitas & turpitudo hujus peccati ex eo imprimis apparet, quod ebrius, pro contemptibili voluptate quodammodo vendit illud quo nihil præstantius est in hominis natura, dum privat sese usu rationis. 2. Quod hac ratione semetipsum ineptum reddat, non tantum ad officia pietatis, *Luc.* 21. 34. Sed etiam ad omnes actiones honestas. *Hos.* 4. 11. 3. Quod exponat se periculo omnis fere generis peccatorum, dum adimit sibi facultatem vitandi ea quæ novit (saltem alias) esse turpia peccata. Ex qua ratione, sicut etiam ex præcedente, apparet, ebrietatem non tam esse speciale peccatum adversus unum aliquod præceptum Dei, quam totius legis violationem generalem. 4. Quod imaginem Dei in semetipso ita deformet, ut

aliquo modo abjiciat se infra bestias. 5. Quod plurima incommoda suo corpori, famæ, & externæ conditioni, suo (ut ajunt) jumento accersat, 6. Quod huic peccato assuefactus, quodammodo insanabilis evadat. Raro enim & vix revocatur ebriosus, vel ab ebrietate, vel ab aliis peccatis, quia cor est ipsi ablatum, *Hos*. 4, 11.

VII. Ebrietas non tunc solum est voluntaria, quando sequitur *ex intentione directa*; sed etiam *ex notabili negligentia* in ea præcavenda.

VIII. Facinora quæ postea in ebrietate committit quis, eatenus sunt illi ad culpam imputanda, quatenus ebrietas fuerit voluntaria Tum autem maxime & voluntaria, & imputanda sunt, quando (omnibus circumstantiis consideratis) potuerit, atque adeo debuerit quis prævidere, se talia in ebrietate commissurum, vel quia id antea fuerat expertus, vel quia in simili casu ebrietatis, & in simili opportunitate, solent ebrii similia committere, vel saltem quod periculo se exponant talia patrandi.

IX. Quamvis autem ebrietas completa, consistat in illa privatione usus rationis, ex potu, qua plane ineptus quis redditur ad officia sua præstanda; omnis tamen perturbario phantasiæ ex potu, qua quis notabiliter minus aptus redditur ad ordinaria officia pietatis (orationem puta & lectionem,) gradus quidam est ejusdem peccati. *Luc*. 21. 34.

X. Illi etiam qui fortes sunt ad potandum, ita vt supra modum potantes nullam sentiant virium conturbationem; si tamen ament assidere poculis, immorari vino & prorogare suas compotationes, non sunt immunes ab isthoc peccato. *Esai*. 5, 11. *Proverb*. 23. 30.

XI. Particeps est hujus peccati, qui sciens volens, vinum vel cervisiam præbet alteri usque ad ebrietatem. Cooperatur enim ejus peccato.

XII. Sed multo magis illi, qui alios ad se inebriandos

briandos inducunt, sive directè id intendant, sive indirectè, invitando ad bibendum, majoribus poculis poscendo, certando, & ad paria facienda, vel jus ut appellant & rationem adhibendam, absque omni ratione, urgendo.

XIII. Non tantum ab imitatione, sed etiam à consortio istiusmodi potatorum abstinere debemus: secundum illud Apostoli: *si quis, cum frater nominetur, sit ebriosus, cum ejusmodi ne edatis quidem.* 1 Cor 5. 11.

a XIV. Abstinendum igitur (vel ex hoc fundamento si nihil aliud subesset) ab illis ritibus, quibus solet ebrietas artificiose promoveri. Cujus generis sunt *adjurationes* aliorum, per nomina magna, vel chara, ad pocula evacuanda; *circummissio* poculorum, ut ab omnibus & singulis pariter ex hauriantur; abusus *sortis* (ut alicubi fieri solet per talos crepitaculi loco scypho inclusos, vel per molendinum scypho affixum) ad fictitiam quandam legem (non scriptam) & necessitatem bibendi convivis imponendam; & quæcunque similia mysteria Bacchi, & manuductiones ad excessum potandi.

a Ritus & sacramenta Bacchi.

## CAPUT XVII.

### *De Operibus Bonis.*

QUia ex virtute opera bona efflorescunt, de iis igitur sit

Quæstio prima. Quid hic intelligi debet per opus?

I. Resp. Opus in isthoc loco non debet ab actione distingui, sicut ab iis distingui videtur, qui operibus bonis illa tantum annumerant, quæ aliquid producunt hominis utile aut bonum: cujus generis sunt eleemosynæ, templorum, collegiorum, ptochodochiorum & penedochiorum exstructiones;

nes, ac dotationes, &c. Quamvis enim istiusmodi factorum sit laus quædam singularis, apud homines qui suis commodis afficiuntur: opera tamen talia possunt sic effici, ut actio à qua existunt, sit multis rationibus mala, quamvis res effectæ sint aliis hominibus utiles & bonæ.

II. Cum etiam in talibus, non opera tantum sed & actiones etiam sunt verè bonæ, non possunt tamen aliis quibusdam actionibus æquari quæ minorem habent pompam. 1 *Tim.* 3 1. *Jac.* 5.20.

III. Eo diligentius debet hoc observari, quia pertinet ad consolationem tenuiorum fidelium, qui non habent facultatem quidquam vere efficiendi, quod spectat ad aliorum commodum externum. Inservit etiam divitum quorundam arrogantiæ retundendæ, qui se solos putant opera bona præstare.

Quæstio secunda. De efficiente causa bonorum operum, quæritur, An non renatorum opera, quibus aliquo modo præstant quod renati in suis bonis operibus faciunt, sint opera bona necne?

IV. Resp. Discernenda est in istis operibus, ipsa operum (ut ita dicam) substantia, à vitio personæ, & modi, quo contaminantur: substantia talium operum est bona, quia homines etiam naturales in istis faciunt illa quæ sunt legis Dei, *Rom.* 2. 14. omne autem opus quatenus convenit legi Dei est bonum. Vitia tamen accedunt & à persona operante & à modo operandi, quibus opera talia sic inquinantur, ut quamvis in suo genere & respectu aliorum sint bona, in respectu tamen quem habere debent officii spiritualis obedientiæ erga Deum, non sunt bona. *Esai.* 1. 13. *Esai.* 66. 3.

Quæstio tertia. Quomodo igitur possunt renatorum opera esse bona, cum illa etiam variis modis contaminentur?

V. Resp. Quamvis malum semper adhæret, & personis & actionibus renatorum, *Rom.* 7. 21. hoc tamen

men malum in piis fidelium conatibus, non tollit essentiam officii spiritualis, sed impedit vel minuit ejus gradum ac perfectionem, quia omnes causæ horum operum sunt bonæ, & adjuncta sola vitiosa: atque adeò imperfectione in Christo obtecta, opera ipsa sunt per eundem Christum Deo grata & accepta. 1 *Petr.* 2.5.

Quæstio quarta. De meteria bonorum operum, quæritur. An non liceat nobis eligere aliquid pro arbitrio nostro, in quo Deo honorem & obedientiam præstemus?

VI. Resp. 1. Hoc expresse prohibetur. *Deut.* 12. 8.32. *Num.* 15,9. *Marc.* 7.7.

VII. 2. Implicat contradictionem, ut obedientiam Deo præstemus, in iis de quibus nullum nobis dedit mandatum. Neque sine obedientia possumus honorem Deo deferre ipsi gratum. Opera igitur omnia electitia, sunt ficta solummodo & vana persuasione bona coram hominibus, non coram Deo.

VIII. 3. Est tamen differentia quædam observanda in operibus bonis respectu materiæ. Alia enim omnibus expresse & immediate præcipiuntur, ut officia omnia legis moralis: alia vero non omnibus, sed quibusdam tantum præcipiuntur, non expresse & immediate in scripturis, sed consequenter & mediantibus illis circumstantiis, quibus fit ut hic & nunc participent naturam moralium præceptorum.

IX. In istiusmodi rebus quænam sit voluntas Dei, colligitur per syllogismum: cujus propositio generalis est in scripturis: assumptio pendet ex dono, vocatione, & similibus circumstantiis specialibus: conclusio autem ex propositione, per assumptionem ita derivatur, ut respectu hujus aut illius hominis, tali tempore, tali loco, eandem vim habeat obligandi cum generali illo mandato, e.g. Amputare debent omnes occasionem calumniæ & scandali, ac illam viam tenere, quæ

maxime facit ad Euangelium promovendum, & Ecclesiam ædificandam. Hæc est propositio. 1 *Cor.* 10,31,32,33. Paulus autem omnibus circumstantiis bene perpensis, sic assumebat: ego Paulus si sine stipendio Euangelium prædicavero, amputabo occasionem calumniæ. 2 *Cor.* 11,12 Euangelium promovebo, 1 *Cor.* 9 23. & Ecclesiam ædificabo. 1 *Cor.* 9. 19. hinc sequitur conclusio: ego igitur Paulus debeo sine stipendio prædicare. 1 *Cor.* 9. 15. Omnes debent pro ratione donorum & vocationis quam habent promovere Euangelium, 1. *Cor.* 7.17. Ego habeo donum continentiæ: & instans necessitas cœlibatum facit magis accommodatum ad Euangelium promovendum, quam conjugium 1 *Cor.* 7. 26. Ego igitur debeo in cœlibatu manere. *ibidem.*

X. Si hæc explicatio recte observetur, doctrinam illam Pontificorum, quæ consilia Euangelica à præceptis Dei distinguit, sine prolixiore disputatione facile evertet.

Quæstio quinta. De fine bonorum operum quæritur.

Quam vim habet intentio ad actionem aliquam vel bonam vel malam constituendam?

XI. Resp. Intentio bona per se non constituit actionem bonam: quia bonitas est perfectio, & oritur ex perfectione & integritate omnium causarum. Neque ulla actio tam est nefaria, quin patrari possit ex intuitu finis boni. Incessus filiarum Loti fuit ex intentione bona. *Gen.* 19. 32. *ut in vita servarent ex patre suo semen.* Cædes Christianorum in honorem Dei sæpe patratur. *Ioh.* 16, 2.

XII. Intentio tamen mala coustituit actionem malam: quia malitia & defectus, ex quolibet defectu consurgit *Matth.* 6. 1. *ne iustitiam vestram exerceatis coram hominibus, ut spectemini ab iis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui est in cœlis.*

Quæstio

Quæstio sexta. Qualis intentio necessario requiritur ad actionem bonam constituendam?

XIII. Resp. 1. Absolute necessarium est, ut fiat ex intuitu honestatis & obedientiæ erga Deum, aut voluntatis ejus observandæ. *Act* 24. 16. actio enim non potest esse bona, nisi fiat sub ratione boni: agere autem aliquid sub ratione boni, est bonitatem vel honestatem in agendo spectare, qui, quod honestum est, facit, quia jucundum est, aut utile, non tam honestam quam jucundam, aut utilem actionem exercet. 1 *Tim*. 6 5. *quæstui habent pietatem*.

XIV. 2. Secundaria tamen intentio honestæ voluptatis aut utilitatis, honestatem actionis nequaquam tollit, sed potius exornat. *Rom*. 1. 12. & 15. 32.

XV. 3. Absolute etiam necessaria est aliqua relatio operis ad gloriam Dei. 1 *Cor*. 10. 37. fit hoc virtualiter in ipsa intentione honestatis, vel officii præstandi: sed quo magis directè & distinctè respicitur Deus in agendo, eo perfectior est actio. *Psalm* 16. 1. *propono mihi Jehovam jugiter*.

XVI. 4. Conducit etiam secundaria intentio salutem nostram quærendi. 1 *Cor*. 9. 24, 29.

XVII. 5. In operibus illis quæ ad aliorum notitiam perveniunt, conducit etiam ut cogitemus de impiorum ore obstruendo. 1 *Petr*. 3. 16. & de aliis promovendis in via salutis. *Matth*. 5. 16.

XVIII. 6. Alia est ratio actionis malæ; ad illam enim non requiritur intuitus inhonestatis, aut intentio expressa nominis Dei dedecorandi, nedum mortis nobismetipsis, aut offensionis aliis quærendæ; quia sicut peccati natura propriè in privatione consistit, sic bonæ intentionis privatio, est intentio mala, & (quatenus à voluntate eligitur) per interpretationem habetur pro intentione omnium eorum malorum, quæ bonis propositis opponuntur. Hinc enim est quod peccator dicitur *amare mortem*. *Prov*. 8. 36.

Quæstio septima. De forma actionis bonæ, quæritur, qua in re consistit?

XIX. Resp. Consistit propriè in modo agendi: cùm non tantum agens bene disponitur, & illud ipsum quod agit à Deo probatur, sed etiam ipsa actio ita ordinatur quoad omnes circumstantias, quomodo Deus præscribit. Quid & quale hoc sit, apparet ex ejus defectu. 1 *Cor.* 11.27,28,29. *num.* 20.11,12. præcept. tertio.

Quæstio octava. Quia informatio & vis conscientiæ intimè pertinet ad formam agendi, de ea igitur quæritur. 1. An conscientia hominis sit sufficiens & absoluta regula agendi?

XX. Resp. Conscientia hominis post lapsum est inquinata *Tit.* 1.15. atque adeo per se non potest esse regula perfecta & pura. Imo si eam simpliciter sequamur ut ducem, in maxima flagitia sæpe deducemur. *Joh.* 16.2. *Actor.* 26.9. *Phil.* 3.6. est igitur regula tantum subordinata, eatenus valens quatenus scil. dirigitur à verbo Dei. Hinc conscientia errans, nunquam habet vim illam obligandi, ut simpliciter teneamur sequi judicium talis conscientiæ: Nunquam enim quiescere debemus, antequam conscientiam certo informatam habeamus de iis, quæ pertinent ad nostram praxin: quamvis hactenus recte dicatur obligare, ut contra talem conscientiam, dum talis manet, nihil sit agendum.

Quæstio nona. Quid tum agendum est, cum conscientia est dubia?

XXI. Resp. Si dubitet conscientia, utrum actio sit licita, ab illa actione debemus abstinere, usque dum rem habemus exploratam. *Rom.* 14.23.

Quæstio decima. Quid, si conscientia sit planè perplexa, ita ut non minus judicet peccatum esse abstinere ab actione, quam illam præstare?

XXII. Resp. Ex natura rei ipsius, & conscientiæ per se consideratæ, non datur talis casus; fieri enim non potest ut judicium conscientiæ simul

simul

mul assentiatur utrique parti contradictionis.

Quæstio undecima. Quid faciendum est cum conscientia scrupulis quibusdam turbatur?

XXIII. Resp. Conscientia dicitur proprie scrupulum habere, quando uni parti quæstinois assensum præbet, idoneis argumentis inducta, sed aliquantulum tamen afficitur contrariis objectionibus quas non potest satis diluere. Hujusmodi autem hæsitationes, si fieri possit, debent certo judicio deponi: Si autem id non fiat, talis imperfectio judicii cum non suspendit assensum per ambiguam fluctuationem, sed infirmiorem tantum reddit, non est justa causa ab illo assensu in operatione persequendo. *Deut.* 13, 1, 2, 3, 1 *Regum* 13. 21.

Quæstio duodecima. Quomodo quisque se gerere debet inter opiniones contrarias, si veritatem non habeat exploratam?

XXIV. Resp. 1. Non sufficit ad conscientiam bonam, si adhæreat authoritati hominum, quamvis sint docti & pii, Quia conscientia non est subjicienda judicio humano, per sese: neque habet humanum testimonium sufficientem vim vel arguendæ approbationis Dei, vel coram Deo excusandi, *Rom.* 14, 12. 1 *Cor.* 8. 10.

XXV. 2. Illam quisque sententiam sequi debet, quam (post debitam diligentiam inquisitionis adhibitam) judicat esse probabiliorem, ex natura rei, & lege Dei, inter sese collatis, sive per se, sive ope aliorum probabilitatem illam perspectam habeat, 2 *Corinth.* 8. 4. *cum* 7.

XXVI. 3. Si post debitam inquisitionem maneat animus planè suspensus, utrum actio sit licita, vel illicita, tum hæsitatione illa manente, pars tutior sequenda. Illa autem est pars tutior in qua non est periculum peccandi, & in istiusmodi casu, ille non peccat, qui simplicirer abstinet tali actione dum alium qui facit non con-

demnat, *Rom.* 14. 5. *cum* 4 & 23 Abſtinendum igitur ab iis omnibus, de quibus adhibita diligentia, conſcientia eſt dubia an ſint illicita vel licita. Qui aliter faciunt, non tantum exponunt ſeſe periculo peccandi in ipſa actione, ſed etiam ſine dubio peccant in modo agendi.

Quæſtio decima tertia. Quum quis apprehendit ſe alterum ex duobus peccatis neceſſario admiſſurum, utrum tum eligere debet?

XXVII. Reſp. 1. Præcepta Dei ex ſua natura nunquam ita concurrunt, ut neceſſe ſit alterum eorum propriè violare per peccatum. Quum enim præceptum aliquod minus negligendum eſt, ut majus obſervetur, minus illud ceſſat pro illo tempore obligare, ita ut qui ex tali occaſione illud negligunt, ſint plane inculpabiles, id eſt, non peccent. *Matth.* 12 5.7.

XXVIII. Quod autem dici ſolet è malis minimum eſſe eligendum, intelligi debet de malis pœnæ, non de malis culpæ.

XXIX. Omnis igitur peccati vitatio conſcientiæ hominis ſemper debet eſſe in propoſito fixo.

XXX. 2. Nulla neceſſitas eſt timoris, periculi, vel coactionis externæ, qua excuſari poſſit quiſquam, ſi vel minimum peccatum eo nomine committit.

XXXI. Neque enim coactio propriè dici poteſt, ubi certo conſilio agitur, & voluntas (quæ cogi non poteſt) metu inducta, in actum conſentit.

XXXII. 3. Si quis ex fragilitate in illas anguſtias redigatur, ut opinetur, ex duobus peccatis alterum eſſe committendum, conſcientia non poteſt ferre judicium in tali propoſito: quia contra conſcientiam inſtituitur deliberatio. Dubitari tamen non poteſt quin minus peccet, qui minus peccatum admittit.

CAPUT

## CAPUT XVIII.

### *De Adiaphoris.*

QUæstio prima, Qua in re consistit adiaphoræ rei natura?

I. Resp. 1. Adiaphorum ex vocis ipsius interpretatione, est quod ita se habet ad duo extrema, ut non magis ad unum quam ad alterum inclinet, eodemque sensu dicitur indifferens, & res media.

II. 2. Quamvis autem quod medii hujusmodi rationem habet ad qualiacunque extrema, possit generali isthoc sensu adiaphorum aut indifferens vocari, usus tamen obtinuit, ut illud adiaphorum vocetur quod medium est inter bonum & malum morale.

III. 3. Medium vero inter bonum & malum est vel meræ abnegationis, in quo nulla ratio boni vel mali reperitur, & sic omnes substantiæ sive sint naturales, sive artificiales, sunt res mediæ & indifferentes: vel alicujus etiam participationis, quod in tantum convenit cum utroque extremo, quantum illa extrema inter se conveniunt: & sic nullæ substantiæ sunt propriæ res mediæ aut indifferentes per se, quia nullæ sunt bonæ aut malæ, sed actiones tantum, & dispositiones ad agendum.

IV. 4. Actiones igitur quæ neque imperantur neque prohibentur, neque obedientiæ neque inobedientiæ rationem habent in sua intrinseca natura, sunt differentes aut mediæ.

Quæstio secunda. An dentur actiones indifferentes secundum speciem?

V. Resp. 1. Potest hoc dupliciter intelligi: vel ut indifferentia sit de ratione specifica alicujus actionis, quod est falsum: vel ut communis natura alicujus actionis indifferenter se habeat ad bonitatem & malitiam, quod verum est.

VI. 2. Nulla

VI 2. Nulla igitur actio ex sua natura est adeo indifferens, quin per circumstantias evadere possit aut bona aut mala: sed variæ dantur actiones, quæ in sua communi ac nuda natura, antequam circumstantiis vestiantur, nullam includunt bonitatem aut malitiam: tales sunt comedere, bibere, iter facere, ambulare, &c.

Quæstio tertia. An actiones indifferentes nihil inter sese differant, sed æque omnes à bono & malo distent?

VII. Resp. In sua intrinseca natura nihil omnino differunt: sed tamen quædam sunt, quæ ut plurimum habent circumstantias malas annexas, atque adeo dicuntur vergere in malum, aut in malum sonare, ut accusatoris aut carnificis munere fungi: quædam etiam quæ ut plurimum habent circunstantias bonas annexas, atque adeo dicuntur vergere in bonum, aut in bonum sonare, ut colere agros, diligentiam in studiis adhibere, &c.

Quæstio quarta. An adiaphora faciant ad ordinem & decorum?

VIII. Resp. Quæcunque sua natura faciunt ad ordinem, decorum, aut ædificationem ullam, illa non sunt adiaphora. Cum enim participant proprietates boni, non sunt in meditullio inter bonum & malum. Cum etiam bonum producunt, vim aut virtutem bonam in sese habeant oportet. Unumquodque generat sibi simile.

Quæstio quinta. An adiaphora desinant esse adiaphora, cum de iis aliquid certi statuitur ab iis qui authoritate pollent?

IX. Resp. Interpretari nihil debet nisi bonum: neque prohiberi quidquam nisi malum: quod adiaphorum est, non potest simpliciter, absolute & in perpetuum, vel prohiberi, vel impetrari: sed quatenus ad bonum accedit, impetrari; & quatenu ad malum, prohiberi debet.

Quæstio

Quæstio sexta, An actio aliqua singularis sit indifferens?

X. Resp. 1. Actiones quædam ita sunt hominis, ut non sint proprie humanæ, ille sunt, quæ procedunt ab imaginatione nuda, & non à ratione deliberata, ut fricare manus, aut barbam, scalpere caput, levare festucam, &c. dum aliud aliquid cogitamus. Hujusmodi actiones non sunt moraliter bonæ aut malæ: quia non sunt in genere moris constitutæ, dum omni consilio destituuntur. Quamvis enim istis etiam possit quis peccare, ut si tempore precum vagari sineret imaginationem suam, & hujusmodi nugis indulgere, ipsæ tamen actiones per se neque malæ sunt neque bonæ. Subjiciuntur quidem istiusmodi motus imperio arbitrii humani: sed ita subjiciuntur, ut possint exerceri nullo rationis actu præeunte: neque ulterius illas ratione prævenire tenemur, quam ut officiis non obsint, Sicut in oculorum palpebris movendis, moderandi potestatem habet ratio & voluntas: sed non est operæ pretium observare quoties connivemus, si modo caveatur, ne præter decorum aut officium aliquid in istis admittatur.

XI. 2. Actio omnis quæ ratione deliberata procedit, & proprie dicitur humana singulariter, in individuo considerata, ut est actio exercita, est vel bona, vel mala. Hujusmodi enim actio vel ordinatur ad debitum finem, vel non ordinatur. Si ordinetur, tum aliquam rationem habet boni, cæteris circumstantiis consentientibus: si non ordinetur ad debitum finem, tum habet rationem mali, quia caret debita perfectione, & deficit à regula sua.

XII. Non tamen requiritur ad actionis naturalis bonitatem, ut semper actualiter & explicitè referatur ad finem debitum, si modo virtualiter & implicitè hoc fiat: quia potest ratio in istiusmodi actibus exercendis, majore sæpe cum fructu circa alia objecta versari.

XIII. 3.

XIII. 3. Circumstantia una aut altera actionis alicujus humanæ potest esse indifferens, ut si studiosus unus cum alio sermonem conferat, indifferens est sæpenumero, utrum vernaculo utatur sermone, an Latino: sed sermo ipse, cum omnibus circumstantiis, vel bonus est, vel malus. Ratio est, quia determinatio actionis non pendet ab una circumstantia seorsim, sed ab omnibus conjunctim.

XIV. 4. Datur actio aliqua singularis, in qua nulla bonitatis ratio reperitur, quæ in alia non possit inveniri: atque adeo quod hoc tempore, hoc vel illud potius agimus quam aliud, in eo sæpe nihil boni aut mali occurrit. Opportunitas, aut animi suggestio, sine ullo respectu bonitatis moralis, satis habet ponderis ad singularem istam determinationem.

XV. 5. Quamvis igitur nulla singularis actio humana sit, quæ neque est bona neque mala, sunt tamen variæ, quæ singulariter & in comparatione ad alias, neque sunt necessariæ, neque illicitæ. Sicut enim statuarius certam rationem sæpe non habet, cur istam potius quam aliam statuam facit, si tamen aliquam faciat, necesse est, ut vel regulas artis sequendo bonam faciat, aut aberrando malam: sic est in multis actionibus hominum singularibus, quæ quoad exercitium nullam habent rationem propriam, præter inclinationem animi, sed cum exercentur, vel bonæ sunt, vel malæ.

## CAPUT XIX.

### *De Actu Voluntario.*

QUæstio prima. An ad actum bonum aut pravum, necessario requiratur ut voluntas eo inclinet?

I. Resp. 1. Voluntas est principium & prima causa om-

omnis operationis humanæ, quoad exercitium actus. Idcirco enim agimus hoc, aut illud, potius quam aliud, quia volûmus; ſicut Deus ipſe dicitur omnia agere ex voluntate, *Eph.* 1. 11. ſic etiam homo ad imaginem Dei factus. Prima igitur ratio & cauſa bonitatis & pravitatis omnis actus humani, eſt in ipſa voluntate.

II. 2. Libertas etiam electionis formaliter eſt in voluntate. Quod igitur obedientiam quis Deo præſtet, aut non præſtet, provenit ſemper à voluntate.

III. 3. Obedientia denique noſtra eſt in conformitate noſtra ad voluntatem Dei, inobedientia in eo quod ab eadem voluntate exorbitamus. Conformitas autem noſtra cum voluntate Dei primo & præcipuè eſt in voluntate noſtra. *Apc.* 2. 6.

Quæſtio ſecunda. Quænam ſint illa, quæ tollunt voluntarium ex facto?

IV. Reſp. Nihil omnino, præter abſolutam violentiam coactionis, & caſum, qui non potuit prævideri, aut præcaveri. quæ autem ex violentia abſoluta, aut ex mero caſu aguntur, neque obedientiæ, neque peccati rationem habent. Ut ſi quis cogatur thura offerre aut genua flectere coram idolo, aut plane fortuito alium occidat. *Deut.* 19, 5, 6, 10.

*a* Quæſtio tertia. quid judicandum eſt de ignorantia?

V. Reſp. 1. Ignorantia quæ eſt aliquo modo cauſa facti, ita ut ſi contraria ſcientia adeſſet, non facere, ſi modo ſit involuntaria, & in ſeſe, & in ſua cauſa, id eſt, non affectata, nec procura-a, nec tolerata, aut neglecta, tum actum reddit mere fortuitum, & involuntarium, atque adeo excuſat à peccato.

VI. 2. Ignorantia juris nunquam excuſat à toto, quia omnes tenentur ſcire voluntatem Dei: Sed excuſat à tanto, ſi non ſit affectata. 1 *Tim.* 1. 13.

a De ignorantia.

*Ioh.*

*Ioh.* 9. 41. *Act.* 3. 17. Si vero sit affectata, peccatum est in sese, atque adeo non minuit, sed auget potius reatum aliorum peccatorum. 2 *Petr.* 5.

VII. 3. Ignorantia facti, si diligentiam debitam adhibuerit, excusat: quia reddit factum fortuitum. Ut cum Jacob deceptus accessit ad Leam, non suam. *Gen.* 29. Si vero diligentia debita non sit adhibita, non plane excusat, quamvis minuat culpam, Qui casus videtur fuisse Abimelechi *Genesis* 20.

*a* Quæstio quarta. Quid judicandum est de metu?

VIII. Resp 1. Metus non simpliciter tollit voluntarium: sed pro loco & tempore, id est, omnibus circumstantiis consideratis, impellit hominem ad hoc aut illud volendum. Ut apparet in trito illo exemplo mercatoris, qui metu mortis, projicit merces in mare. Nunquam igitur plane excusat à peccato. Imo sæpe est peccatum prohibitum, & causa grivissimorum peccatorum, *Math.* 10, 26. *Phil.* 1. 28. 1 *Petr.* 3. 14. *Apoc.* 21. 8. quamvis igitur metus aut terror gravis, qualis solet constantem virum afficere, coram hominibus pro excusatione habeatur, & valeat ad contractus irritandos, coram Deo tamen non potest allegare.

IX. 2. Peccatum tamen quod ex valido terrore admittitur, minus grave est (cæteris paribus) quam quod admittitur absque ullius periculi metu, ex spontanea voluntatis inclinatione: quia tentatio est validior in metu: & talis lapsus, si pœnitentia sequatur, non tam ex malitia, quam ex infirmitate & perturbatione procedit. Petri casus talis fuit, cum Christum abnegavit.

Quæstio quinta. Quid judicandum de concupiscentia?

X. Resp. Concupiscentia non tollit, aut minuit voluntarium respectu actus, sed potius auget Qui enim facit aliquid ex concupiscentia, ille valde illud

a Metus.

vult.

vult, quatenus vel delectabile, vel utile ipsi apparet. Si igitur illa concupiscentia sit fixa, peccatum auget: ut in Juda, qui Christum prodidit est cupiditate lucri.

a Quæstio sexta. Quid judicandum est de inadvertentia?

XI. Resp. Inadvertentia eandem rationem habet cum ignorantia: quia non differt ab illa, nisi ut privatio actus à privatione dispositionis. Inadvertentia igitur est ipsa sæpe peccatum, & opponitur vigilantiæ. Quando igitur tenemur vigilare & attendere, si non advertamus, recte dicimur nolle, non velle, & velle non advertere *Esa.* 3.

XII. Ipsa inadvertentia aliquando voluntariè eligitur in sese. *Amos.* 6. 10. aliquando voluntarie eligitur in sua causa, *Matth.* 13. 22.

Quæstio septima. Quomodo velle dicimur aliquid in ejus causa?

XIII. Resp. Quando aliquid volumus, ex quo alterum sequitur. Qui vult compotationibus immodicis adesse, vult ebrietatem. Qui vult indulgere somno & otio, vult officia sua negligere. Qui vult hominibus placere, vult Deo displicere. *Gal.* 1. 10.

a Inadvertentia.

## CAPUT XX.

### *De Peccatis cordis.*

QUæstio prima. Quænam sunt peccata cordis?

I. Resp. Sunt partim in cogitationibus, partim in delectationibus, & partim in desideriis.

b Quæstio secunda. Quænam cogitationes habendæ sunt pro peccatis?

II. Resp. Cogitatio triplex est circa malum. 1. In simplici ejus apprehensione. 2. Cum illa apprehensio adjunctum habet aliquem inclinationis metum ad consensum. 3. Cum plenam approba-

b Cogitatio.

tionem

tionem & consensum habet. In prima harum per se non est peccatum. Fuit enim in Christo. *Mat.* 4.1. Atque hinc recte dicitur, scire malum non est malum. Reliquæ duæ non sunt sine peccato. De tertia non dubitatur. Sed de secunda etiam Scriptura testatur *Jac.* 1.14. ubi etiam docemur, quo modo cogitationes istas pravas ab aliis distinguamus, ex eo sc. si aliqua cogitatio de malo, vel minima ex parte nos abstrahere incipiat, inescare, & titillare. Ratio est, quia tum incipit recipi, & inhærere nobis, ita ut malum illud de quo cogitatur, fiat aliquo modo nostrum dum erga illud incipimus moveri tanquam erga objectum consentaneum. Quamvis enim ulterius non pergamus ad consensum plenum adhibendum, aliqua macula tamen inde nobis adhæret. Animæ veræ nostræ ad imaginem Dei factæ, ita debent à nobis conservari, ut puræ sint ab omni vel minima inquinatione. Recte enim observatum est, ab authore gravi, *unumquemque à Deo constitutum esse sui cordis, tanquam castri, custodem & defensorem contra suos hostes. Si ergo non implorato auxilio, non expectato succursu à Deo, ad primam obsidionis castrametationem, castrum tradat hosti, crimen admittit proditionis manifestum. Quid igitur dicendum de traditione clavium hujus castri, antequam obsidione prematur: Clavis hujus castri est cogitatio. Hæc enim cor aperit: hæc diabolum introducit. Certe si diabolo clavem istam sponte tradit, nunquam effugiet proditionis reatum. Clavem autem istam diabolo tradit, quoties cogitationem suam in manus ejus tradit, aut cogitat ad voluntatem ejus cogitationem volvere, est clavem cordis ad apertionem ipsius torquere, ut tandem reseratur.*

*a* Quæstio tertia. Quænam delectatio circa malum habenda est pro peccato.

III. Resp. Non tantum illa quæ est ex malo in perpetratione mali, aut jam patrato, aut in proposito alicujus mali patrandi, *Prov.* 2.14. & 10 sed

*a* Delectatio.

etiam

etiam simplex & inefficax complacentia rei illicitæ, quamvis nulla sit intentio illam actu perficiendi. Vocari solet *delectatio morosa*, non à temporis mora, sed à mora intellectus, qui cum aliqua voluptate in rei illicitæ contemplatione moratur. Ratio autem quare hæc delectatio est peccatum in eo consistit, quod delectatio est conformitas affectus cum re cogitata, & continet aliquam eius approbationem. *Rom.* 7 22.

a Quæstio quarta. An omnis delectatio de re illicita sit peccatum?

VI. Resp. 1. Si sit de re illicita aut opere malo, quatenus est tale. 2. Si proveniat ex effectu, qui propendet in talia, aut ex quolibet illicito incitamento, 3. talis sit delectatio, ut sua natura vim causæ habeat, aut occasionis periculum adferat ad pravos affectus excitandos: tum dubitari non potest, quin sit peccatum. Si vero delectetur aliquis cogitando de re mala, quatenus in illa re naturalis aliqua perfectio exercetur, absque periculo in rem ipsam consentiendi, non est simpliciter & per se peccatum. Ut cum solertia dexteritate aut constantia illa, quæ in duello injusto apparet, aliquis delectatur. Ratio est, quia hæc delectatio non propriè & formaliter versatur circa rem malam, sed bonam.

Circa desideria absoluta, nulla potest esse dubitatio, quin si in malum ferantur, mala sint: sed de desideriis iis conditionem habent annexam.

* Quæstio prima. An liceat homini optare sibi malum ærumnosum aut miseriam, sub conditione?

V. Resp. Licitum hoc esse aliquo modo, apparet 1. Ex Pauli exemplo, *Rom.* 9. 3. 2 Ex reipsa, quia actu subire aut pati hujusmodi malum, non solum licet, sed & expedit etiam sæpe, posita quadam conditione, *Gen.* 44. 33 3. Ex ratione, quia pati malum, non est per se malum aut peccatũ: si igitur

a Delectatio de re illicita, an sit licita?

conditio

conditio ſub qua optatur ſit bona, deſiderium tale induit rationem boni.

Quæſtio ſecunda. An deſiderium rei illicitæ ſub conditione poſſit eſſe licitum?

XI. Reſp. I. In iis rebus quæ ſunt illicitæ tantum ex jure poſitivo humano; licita ſunt hujuſmodi deſideria, quia talia non habent malitiam intrinſecam. Ut, exirem ex urbe per mœnia cum portæ ſunt clauſæ, niſi eſſet hoc vetitum.

XII. 2. In quibuſdam etiam divino jure prohibitis, quæ intrinſecam malitiam non habent ita ſibi concretam, quin cogitatione poſſint abſtrahi, & ſeparari: licita tamen ſunt talia deſideria per ſe, ſi abſit periculum abſoluti conſenſus. Ut, ducerem Titiam in uxorem, niſi eſſet propinqua ſanguine in gradu prohibito.

XIII. 3. Deſiderium illud faciendi quod eſt planè & intrinſecè malum, ſub hac conditione; Si liceret, aut ſi non eſſet prohibitum, non poteſt excuſari à peccato. Ut, fornicarer ſi non eſſet prohibitum. A peccatis enim deſideria noſtra debent eſſe longiſſimè remota & abhorrere: ſed in iſtiuſmodi deſideriis aliqua inclinatio vel propenſio apparet ad peccandum.

IX. 4. Deſiderium illud quod in ſe malum eſt faciendi, niſi ſingularis vitæ conditio aut ſtatus impediret, eſt peccatum. Ut, ulciſcerer eum qui me læſit, etiam pugnando, niſi eſſem miniſter. Adjungerem me conſortiis ebrioſorum hominum, niſi eſſem candidatus miniſterii. Tales enim homines non abſtinent à malo ſimpliciter, quia eſt malum, ſed quia minus ipſos decet, aut præjudicium majus ipſis adferret quam aliis.

X. 5. Quando conditio talis eſt, ut non tollat malitiam ab actu, ſed periculum pœnæ tantum, tũ deſiderium illud eſt grave peccatum, & indiciũ ſummæ pravitatis in corde. Ut, occiderem hominem ſi poſſim latere, fornicarer & mœcharer, ſi non eſſet infernus. Quamvis enim hujuſmodi conditionalis

opta-

optatio nihil ponit in esse (ut loquuntur) quoad rem ipsam, in voluntate tamen ponit affectum aliquem erga tale peccatum: & indicat etiam velle eum, qui ita afficitur, si fieri possit, peccata talia posse admitti sine ulla pœna sequente.

XI. 6. Omnia fere hujusmodi conditionalia desideria sunt tentationes Diaboli, quæ cum magno periculo admittuntur.

## CAPUT XXI.

## DE PECCATIS ORIS

QUæstio prima. An peccato jam aliquo in corde admisso, nihil accedat per ejus eloquutionem?

I Resp. Si quis abstineat à malo illo verbis indicando, quod habet in corde, ut facilius perficiat, tum ipsum silentium induit rationem peccati, & malum cogitatum adauget: multo autem magis si verbis contrarium præ se ferat, *Prov.* 26. 24, 25. *Prov.* 10. 18. Si vero quis ideo abstineat à malo illo, quod cogitavit eloquendo, quia malum est & pudendum, is sistit cursum peccati, & bene facit, *Prov.* 30. 32. Si igitur pergat eloqui quod habuit in corde, auget peccatum, dum illud magis completum reddit.

*a* Quæstio secunda. An verbum otiosum sit peccatum?

II. Resp. 2. Verbum otiosum ex propria significatione vocis, idem est quod verbum infructuosum, nullum habens usum, fructum, aut utilitatem. Tale autem verbum ex deliberata ratione procedens, vix potest proferri: quia ratio & voluntas aliquem finem & aliquid boni semper spectat, vel in genere morum, vel in genere naturæ: ita ut necessario debeat omne verbum à ratione deliberata proficiscens, vel malum esse, vel bonum, atq;

a De verbis otiosis.

adeo

adeo nullum propriè & rigidè loquendo est otiosum.

III. 2. Verba tamen otiosa dicuntur in Scripturis, *Matth.* 12, 36. illi sermones, qui parum aut nihil à vulgo curantur, & quorum rationem se nunquam reddituros putant. Horum autem talem rationem reddendam esse coram Deo Servator affirmat, ut vel in talibus verbis reperiri possit materia, & meritum condemnationis æternæ.

*a* Quæstio tertia. An omnia jocosa & ludicra verba otiosa sint, & peccata?

IV. Resp. Non sunt semper otiosa, quia habent aliquando suum usum, recreationis saltem & hilaritatis. Neque semper sunt peccata: quia usum habent legitimum & honestum. *Proverb.* 29. 9. 1 *Reg.* 18. 27. Hujusmodi igitur joca possunt esse vel mala vel bona.

Quæstio quarta. An illa verba quibus boni aliquid homines profitentur, sine ulla intentione idem perficiendi sint peccata? *Iac.* 2. 16.

V. Resp. Sunt peccata, non tantum ratione defectus, quia abest intentio debita, sed etiam ratione fallaciæ & fraudis, quæ talia verba comitatur, & habet aliquo modo rationem mendacii.

Quæstio quinta. An multiloquium sit peccatum?

VI. Resp. Non est per se peccatum multis verbis uti: sed sæpè est occasio peccandi. *Prov.* 10. 19.

a Jocosa Verba.

## CAPUT XXII.

### *De peccatis operis.*

QUæstio prima. An externum opus peccati, cum interiori conjunctum, augeat ejus malitiam?

I. Resp. 1. Si quis efficacem habeat voluntatem peccandi, id est, in voluntate sua sic afficiatur, ut nihil

nihil ipsum retineat ab opere ipso externo, nisi quod occasio deest, ille quoad sese, æque peccare existimatur coram Deo, ac si opus illud perfecisset. Apparet hoc ex contrariis actibus obedientiæ. 2 *Cor.* 8. 12. H*ebr*. 11. 17.

II. 2. Quoad extensionem tamen illius peccati, majus redditur per opus externum. Sicut enim sanctificatio major est quum spiritum, animam & corpus renovavit, quam si unam partem solam reformaret. 1 *Thess*. 5. 23. 1 *Cor*. 6. 20. 2 *Cor*. 7. 1. sic etjam peccatum majus est hoc modo, cum corpus etiam invasit, quam cum animam solum occupavit.

III. 3. Quoad noxam aut damnum, quod aliis infert vel per scandalum, vel per incommodum aliquod reale, majus etiam est peccatum in opere externo. 1 *Sam*. 25 32, 33.

IV. 4. Quædam igitur pœnæ rectè infliguntur, propter opus externum alicujus peccati, quæ in interno solo nullum locum habent. Ut divortium sit propter adulterii actum, non propter ejus intentionem.

Quæstio secunda. An imcommoda illa, quæ in eventu operis mali sequuntur, peccatum adaugent?

V. Resp. Incommoda ista quatuor modis possunt se habere ad voluntatem peccantis: primo, ut directè intendantur: & tum augent peccatum in interna ejus natura, sive sequantur, sive non sequantur. Secundo, ut prævideantur, quamvis non directè intendantur, ut cum quis ex furto quod intendit, videt innoxium aliquem gravia passurum: & tum per interpretationem, & indirectè hæc etjam dicuntur intendi, atque adeo peccatum augent. Tertio ut neque intendantur, neque prævideantur, sed tamen possint ac debeant aliquo modo prævideri & præcaveri: & tum etiam augent peccatum, quia aliqua ex parte præsumuntur prævisa. Quarto, ut sine culpa ignorentur: & tum ad culpam non imputantur.

Quæstio tertia. Quomodo abrumpitur actus peccati?

VI. Resp. 1. Non omni physica interruptione actus: si enim moraliter continuetur, peccatum ipsum perseverat.

VII. 2. Non per simplicem cessationem ab intentionis aut voluntatis actu: hæc enim accidere potest ex inadvertentia & distractione ad alia.

VIII. 3. Abrumpitur igitur moraliter tantum per contrariam voluntatem & propositum. Quæ tamen abruptio non est perfecta; nisi talis sit commutatio valuntatis, qualis ad resipiscentiam veram postulatur.

FINIS LIBRI TERTII.



LIBER

LIBER QUARTUS

De

# OFFICIIS HOMINIS ERGA DEUM.

## CAPUT I.

## DE RELIGIONE.



Uæstio prima. An religiosus honor soli Deo debetur?

I. Resp. 1. Honor omnis qui à religione imperatur, aut religione suadente exhibetur alicui, dicitur aliquando religiosus; & eo sensu honor ille, qui præcepto quinto imperatur, vocari potest religiosus, qui creaturis variis debetur.

II. 2. Honor est etiam civilis, qui singularem quandam similitudinem habet cum illo honore, qui Deo præstatur, & propter illam analogiam, dicitur aliquando religiosus: qualis est pietas erga parentes.

III 3. Sed honor ille, qui proprius est actus religionis, Deum solum respicit ut objectum honorandum. Nam 1. maximus honor soli Deo debetur: honor autem religionis est maximus. 2. Soli Deo tribui potest honor ille, qui debetur autori & domino vitæ ac beatitudinis æternæ: sed talis est honor religiosus. 3. Soli Deo directè subjicitur anima & conscientia hominis: sed hoc fit honore religioso. 4. Solus Deus est absolutus noster dominus, vel jus habet absolutum obedientiam à nobis exigendi: sed illud supponitur in religioso honore. 5. Ubique in Scripturis damnantur, qui religiosum cultum alii deferunt præterquam Deo vero.

Quæstio secunda. Quomodo dignosci possit cultus religiosus?

IV. Resp. 1. Si fiducia in aliquo proprie collocetur.

V. 2. Si conscientia alicui subjiciatur.

VI. 3. Si illa quæ propria sunt Dei, alicui tribuantur.

VII. 4. Si excedatur modus consuetus in civili honore.

*a* Quæstio tertia. In quibus actibus externis consistit religiosus honor, aut cultus Dei?

VIII. Resp. 1. Omnes actus legitimi quos homines directe exercent erga Deum, sunt actus honoris aut cultus religiosi. Nihil enim possumus erga Deum ex officio agere, nisi ut ipsi honorem cum submissione & reverentia deferamus.

IX. 2. Quidam tamen sunt actus in quibus magis expresse affectus iste significatur, quam in aliis: illi scilicet in quibus nihil fere aliud respicimus nisi honorem Dei, ut prostratio, genuflexio, aut submissa inclinatio corporis coram Deo, quibus veneratio aut adoratio externa in Scripturis denotatur.

*b* Quæstio quarta. Qualis honor debetur hominibus & angelis sanctis?

X. Resp. 1. Si præsentes nobis fuerint, civilis honor ipsis est exhibendus; secundum excellentiam illam, quæ ipsis inest.

XI. 2. Si vero absint, aut nobis non appareant, nullus omnino adorationis actus erga ipsos debet exerceri.

XII. 3. Sive vero absint, sive adsint, religiosus honor ipsis non debetur, quia quamvis singularem respectum habent ad excellentiam Dei, illa tamen excellentia est ipsis extrinseca; atque adeo honor, qui illi excellentiæ debetur non est ipsis deferendus, *Actor.* 10. *Apoc.* 19. & 22.

*a* Religiosus honor. *b* Cultus Angelorum.

CA-

## CAPUT II.

### *De Fide.*

QUæstio prima. Quomodo fides divina distinguitur ab opinione & fide humana?

I. Resp. 1. Fides divina nititur testimonio Dei. 1 *Joh.* 5. 9, 10.

II. 2. Conjunctam semper habet piam affectionem erga Deum. *Hebr.* 11. *Rom.* 4. 20.

III. 3. Vincit mundum. 1 *Joh.* 5. 4. *Rom.* 4. 18.

Quæstio secunda. Quænam sunt necessaria creditu ad salutem?

IV. Resp. 1. Implicite ad salutem credenda sunt omnia, quæ Deus proposuit credenda. *Act.* 24. 14.

V. 2. Explicitè credenda sunt illa, quorum cognitio & apprehensio necessitatem habet medii ad salutem. *Joh.* 6. 53. 17. 3.

VI. 3. Quæ cognitu creditúque sunt necessaria, ad illa percipienda & apprehendenda. *Rom.* 3. 19, 20.

Quæstio tertia. Qui modus & gradus cognitionis necessarius est in istis, quæ explicite creduntur?

VII. Resp: Tripliciter possunt cognosci 1. quoad substantiam sensus aut sententiæ quæ continentur. 2. Secundum eam declarationem, qua distincte explicantur in Scripturis ad ædificationem fidei. 3. Secundum difficultates, quæ circa illa solent aut possunt moveri. Jam vero sufficit ad salutem cognoscere prædicta quoad rei substantiam, ejusque necessariam declarationem e. g. Satis est ad salutem, si intelligatur Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse unum essentia Deum, tribus personis distinctum: Christum esse verum Dei filium, verumque hominem in una persona; quamvis de subtilioribus circa ista disquisitionibus parum aut nihil intelligatur.

Quæstio quarta. An salvari possit, qui credit ali-

quid quod pugnat cum iis, quæ ſunt neceſſaria creditu ad ſalutem?

VIII. Reſp. Si intelligat ea pugnare, non poteſt utrumque credere. Si vero ex errore & inſtitutionis defectu putet illa ſimul poſſe conſiſtere, error ille non excludit à ſalute. Nemo enim eſt inter mortales, quin errori ſit obnoxius: neque ullus eſt error in religione, quin aliquo modo pugnet cum religionis fundamentis.

Quæſtio quinta. An illi poſſint ſervari, qui cætera illa nihil curant, quæ non ſunt abſolutè neceſſaria ad ſalutem?

IX. Reſp. Fieri non poteſt ut illi veram fidem habeant de neceſſariis ad ſalutem, qui cætera neglectui habent. Nam 1. qui ſollicitus eſt de ſua ſalute, certiſſimam & maximè diſtinctam ejus cognitionem quæret. 2. Qui per veram fidem Deo adhæret, ille magni faciet voluntatem & præcepta Dei. 3. Qui veram fidem habet, ille non tantum ſuam ſalutem, ſed & gloriam Dei quæret. 4. Fides vera (ut cætera omnia) conſervationem & incrementum ſui quæret. 5. Homogeneis etiam & conſentaneis omnibus delectatur.

Quæſtio ſexta. An fide divina poſſit quis credere falſum?

X. Reſp. 1. Fides divina neque per ſe, neque per accidens, neque directè, neque indirectè eſt cauſa falſi aſſenſus, quatenus eſt falſus. Sic enim Deus & veritas Dei eſſet cauſa falſitatis.

XI. 2. Poteſt tamen concurrere ut cauſa, quoad ſubſtantiam actus aſſentiendi illi quod falſum eſt ex accommodatione prava. *Actor*.21.11,12. ſic ſe res habet in ſyllogiſmo; cujus propoſitio vera eſt ex fide divina, ſed aſſumptio admittitur ex fide humana, aut opinione falſa. e. g. Quicquid in Scripturis revelatur, verum eſt: ſed in Scripturis revelatur ſanctos martyres reſurrecturos mille annis ante alios homines: ergo verum eſt.

Quæſtio ſeptima. An fide divina poſſit quis malè

lè uti, referendo ſcilicet ad finem malum, inanem gloriam, aut alium ſimilem?

XII. Reſp. Fides ipſa divina per ſe non poteſt ad malum finem referri: ſed aliqua ſcientia per illam acquiſita poteſt ita perverti 1. *Cor.* 8. 1, 2. & 2 *Corinth.* 12. 7.

Quæſtio octava. Qualis certitudo ſit in fide divina?

XIII. Reſp. 1. Ex parte objecti, certitudo major eſt fidei, quam cujuſlibet cognitionis naturalis.

XIV. 2. Ex parte etiam ſubjecti, ſua natura firmiorem aſſenſum in nobis efficit, quam ſcientia naturalis, quia nititur cauſa certiore.

X V. 3. Quia tamen intellectus hominis majorem proportionem habet ad res naturaliter cognitas, & plenius illas conſequitur, idcirco non utitur ſemper lumine fidei, cum illa certitudine, qua utitur ſcientia naturali.

XVI. 4. Hinc eſt quod hæſitationes, & dubitationes, involuntariæ, ut indeliberatæ, cum vera fide conſiſtere poſſint, propter fidei imperfectionem, & informitatem intellectus.

Quæſtio nona. An fidelis ſit certus infallibili certitudine ſe habere fidem?

XVII. Reſp. 1. Ex natura rei, & ordine communi, ille qui credit, novit ſe credere. intellectus enim reflectitur ſuper ſuum actum, & quaſi per evidentem experientiam percipit quid agit, ſicut etiam quid voluntas vult. Quemadmodum enim per ſcientiam naturalem certi ſumus non tantum de objecto, quod directè ſcimus; ſed etiam nos illud ſcire, & ſcimus etiam utrum voluntas in illud objectum feratur necne, ſic etiam in fide. Alias nemo poſſet dicere, Credo, ut ille qui fuerat cæcus, *Ioh.* 9. 38. *credo Domine.*

XVIII. 2. Præcipitur etiam omnibus fidelibus, non tantum ut credant, ſed etiam ut certo ſciant ſe credere, 2 *Cor.* 13. 5.

XIX. 3. Nemo potest dubitare de certitudine sui assensus; qui non dubitat etiam de objecti veritate: qui dubitat, an certo credat Christum esse Deum, illi etiam aliquo modo dubitat, an Christus sit Deus.

XX. 4. Certitudo ista experimentalis non tantum haberi potest de substantia actus, sed etiam de ratione ejus formali, quod fides quæ habetur, sit vere divina. Quia intellectus per actum suum flexum, non ipsum tantum actum percipit, sed etiam modum & rationem ejus objectivam, unà cum affectu ex quo proficitur.

XXI. 5. Præter certitudinem istam experimentalem, est etiam alia certitudo fidei ex testimonio Spiritus sancti, *Rom.* 8. 6. cum enim testatur nos esse filios Dei, testatur etiam nos illam fidem habere, quæ propria est filiorum Dei.

XXII. 6. Est etiam certitudo fidei, quæ oritur ex propriis ejus actibus distincte perceptis. Ut cum quis novit se paratum esse ex affectu pio, omnem carnalem rationem, & semetipsum totum abnegare, ut Deo possit secundum ejus voluntatem in verbo revelatam adhærere.

XXIII. 7. Potest tamen esse defectus talis in reflectione intellectus, super suum actum: talis desertio Spiritus sancti: & talis intermissio actuum fidei, ut homo fidelis ad tempus ignoret se credere, quod credit, imo falso judicet se esse infidelem.

## CAPUT III.

### *De Externa Professione fidei.*

Quæstio prima. An externa professio sit necessaria?

I. Resp. Multas ob causas est necessaria. 1. Quia Deus præcepit. 1 *Petr.* 3. 15. 2. Quia promissionem habet salutis. *Matth.* 10. 32. *Rom.* 10. 10. 3. Quia neglectus hujus officii maximam habet commi-

natio-

nationem adjunctam. *Marc.* 8. 58. *Luc.* 9. 26. & 18.8. 2 *Timoth.* 2.12. 4. Quia professio ista facit ad ædificationem aliorum hominum, & ejus neglectus scandalum ipsis ponit. *Phil.* 1. 12. & 2.15,16. 5. Quia facit etiam professio fidei ad gloriam Dei, *Phil.* 1. 20. & ejus abnegatio maxima contumelia nomen ejus afficit, quasi esset res pudenda. *Luc.* 9. 29.

Quæstio secunda. An ista professio semper, & ubique sit necessaria?

II. Resp. 1. Semper & ubique requiritur, ne fidem abnegemus, aut contrarium fidei veræ ullo modo profiteamur, aut præ nobis feramus. 2. Ubique tamen sine discrimine profiteri quod credimus, neque necessarium est, neque conveniens. *Matth.* 7.6. ut si quis furiosus insurgeret evaginato gladio, & diceret, qui fatetur, se Christianum esse, interficietur, apud eum tum temporis fidem profiteri, non esset consultum. Sed tum demum, quando aliqua saltem spes est professionem nostram cessuram in gloriam Dei, & ædificationem proximi. Medii enim necessitas censetur ex relatione, quam habet ad finem.

Quæstio tertia. An de fide publicè rogatus ab eo, qui in authoritate constitutus est, confessionem edere teneatur?

III. Resp. Ex ordine communi tenetur. 1 *Petr.* 3. 15. quia pertinet ad gloriam Dei, & aliorum salutem. *Matth.* 10. 18.

Quæstio quarta. An aliquis necessitate adactus, damnato cultui possit adesse, si mentem ab eo conservet alienam?

IV. Resp. Si sine discrimine adsit, eodem modo sese gerens, quo illi solent, qui illum cultum profitentur, graviter peccat. 1. In proximos, 1 *Cor.* 8. 10. & 2. in Deum, 1 *Cor.* 10. 20,21,22.

Quæstio quinta. An liceat ad periculum declinandum, ceremoniis uti ad talem cultum spectantibus?

V. Resp. Non licet, ceremoniarum enim proprius finis est professio: qui igitur ceremonia utitur idololatrica, ille aliqua ex parte professionem facit idololatriæ.

VI. Quamvis igitur licitum sit, qualibet infidelium, aut idololatrarum veste uti civili, illa tamen veste, quæ est proprium symbolum religionis, ex institutione sua religiosum, sub illa specie uti nemo potest sine peccato.

*a* Quæstio sexta. An liceat in persecutione fugere, maxime pastori?

VII. Resp. 1. Licitam esse aliquam fugam, apparet 1. ex directione Christi. *Matth.* 10.16,23. 2. ex Christi ipsius exemplo, *Matth.* 12 14. & 14.13. *Job.* 10.39. 3. Ab exemplo sanctorum, Moysis. *Hebr.* 11. 27. Eliæ, 1 *Reg.* 19.3. prophetarum variorum, 1 *Reg.* 18.13. & Apostoli Pauli, *Actor.* 9. 25. 4. Ratione, quia lege naturæ tenentur homines vitam suam tueri, usque dum manifestò apparet Deum ac Dominum vitæ eam reposcere, id est, donec necessitas, aut utilitas gloriæ Dei & salutis Ecclesiæ, contrarium suadet.

VIII. 2. Non licet iis fugere, quorum præsentia est necessaria, ad ædificationem Ecclesiæ. Quia hoc esset non tam persecutionem declinare, quam officium detrectare.

IX. 3. In Persecutione communi, non personali, turpe est pastori, metum singularem præ se ferre, qui debet esse toti Ecclesiæ fortitudinis, & constantiæ exemplum.

Quæstio septima. An propter veritatis confessionem captus & in custodiam missus, carcerem effringere, aut custodes fallere licitè possit?

X. Resp. Non potest. 1. Quia jam vocatus est ad confessionem edendam. 2. Quia hoc esset vim facere publicæ authoritati. 3. Quia Apostoli & sancti alii, quorum exempla nobis commendantur, ab hujusmodi consiliis semper abstinuerunt.

*a* Fuga in persecutione.

Quæ-

Quæstio octava. An liceat homini fideli, in tali casu, redimere sese pretio?

XI. Resp 1. Non semper hoc licere apparet ex Pauli exemplo. *Actor.* 24. 26.

XII. 2. Aliquando tamen licitum esse videtur, ex rei natura. Si enim ille, qui potestatem habet dimittendi, lucri & quæstus cupidus, præmium dimissionis quærat, & circumstantiæ tales sint, ut ipsam dimissionem gratis acceptare liceat, tum pecuniæ jactura eam procurare, non minus licet, quàm à latrone vitam redimere.

III. 3. In hoc, & similibus casibus, Honor Dei, ædificatio Ecclesiæ, & conscientiæ propriæ dispositio, in hanc aut illam partem semper debent valere.

Quæstio nona. An homines infideles compelli debeant ab iis, quibus subjiciuntur, ad veræ fidei professionem?

XIV. Resp. 1. Non debent eo compelli. 1. Quia fides ipsa non potest coactione ingenerari. Actus fidei veræ provenit semper ex libera voluntate, non ex metu aut vi. *Psal.*47.10. *Actor.*2.41.2. Quia professio externa sine interna fide est hypocrisis, 3. Quia Ecclesia hac ratione corrumpitur, cum obtruduntur ipsi pro membris, qui non sunt idonei.

X V. 2. Possunt tamen allici benignitate, & privatione favoris commoveri, ut seriò cogitent de fide amplectenda.

XXI. 3. Possunt etiam compelli ad institutionem de fide audiendam. Hæc enim institutio non tollit libertatem.

X V I I. 4. Possunt etiam compelli ne blasphement veram fidem, aut impediant ejus propagationem.

## CAPUT IV.

### De Hæresi.

QUæstio prima. Quis sit pro hæretico habendus?

I. Resp. Ut quis sit hæreticus eo sensu qui in Ecclesia obtinuit, requiritur. 1. ut aliquam professionem faciat Christianismi, id est, ut sit vel baptisatus, vel saltem catechumenus. Hæresis enim græca vox est, & significat electionem, ita ut hæreticus denotet illum, qui deserta veritate quam profitebatur ex aliqua parte, elegit sibi postea contrariam opinionem cui adhæret. Qui autem nunquam veritatem est professus, quamvis idem sentiat cum hæretico, non dicitur tamen hæreticus, sed infidelis.

II. Requiritur. 2. ut errorem amplectatur, non tantum contra doctrinam in Scripturis traditam, sed etiam contra illam doctrinam, quæ spectat ad summam & substantiam fidei aut morum. Distinctio enim hujusmodi, inter principales & minus principales doctrinas traditur ab Apostolo. 1 *Cor*. 3, 10, 11. Quamvis autem fidei proprie adversetur hæresis, ad mores tamen debet extendi: quia erroris in moribus fundamentum est error aliquis in fide, 1 *Tim*. 4. 1, 2, 3, 4. Debet vero esse contra fidem, ita ut necessario evertat illam. Alias error est in fide, aut circa fidem, non hæresis contra fidem.

III. Requiritur. 3. ut error ille conjunctam habeat pertinaciam, & obstinationem animi, *Tit*. 3. 10.

IV. Pertinax autem ille jure censetur, qui cum veritas non solum in scripturis manifestè revelatur, sed etiam ipsi sufficienter proponitur & manifestatur, ita tamen suo errori adhæret, ut vel scripturæ sese opponat, vel sententiam eius ex pravitate animi percipere nolit. Pertinax enim est, qui non est paratus captivare intellectum & rationem suam omnem sacræ Scripturæ.

V. Hæreticus

V. Hæreticus igitur poteſt quis eſſe materialiter, dum aſſenſum præbet errori pernicioſo, vel ex ſimplici facilitate, levitate, ac temeritate hæreticis credendi, qui ſub honeſta aliqua ſpecie fallunt: vel ex ignorantia, qui formaliter non eſt hæreticus, cum pertinatia & obſtinatio animi deeſt, atque adeo pro ſimpliciter hæretico non eſt habendus.

Quæſtio ſecunda. An Pontificii ſint hæretici?

VI. Reſp. 1. Papiſmus prout à Concilio Tridentino fuit confirmatus, eſt pernicioſa hæreſis. Primo, quia fidem veram & ſalvificam directe evertit, dum fidem & fiduciam in creaturis collocandam eſſe docet: & opera, ac traditiones humanas, fidei loco obtrudit, ſicut & Pontificem Romanum & ejus creaturas loco Chriſti. Secundo, quia præcipuam partem pietatis evertit variis modis in falſo cultu, & idololatria. Tertio, quia tantam pertinaciam in iſtis erroribus tutandis, & propagandis exercet, ut Scripruram ipſam variis modis accuſet, populo Dei, auferat, & authoritati ac arbitrio ſuo ſubjiciat.

VII. 2. Quod non ſolet inter hæreſes numerari, hoc inde fit. Primo, quia non eſt una aliqua ſingularis hæreſis, ſed quaſi corpus quoddam, ex variis hæreſibus conflatum & productum. Sicut enim Mahumetiſmus eſt antecedentium hæreſeon mixtura, in oriente & meridie; ſic Papiſmus, quamvis alia ſpecie, variarum hæreſeon ſentina eſt in Occidente & Septentrione. Secundo, quia non ſimul & ſemel exoriebatur, ſed paulatim & pedetentim invaleſcebat. Tertio, quia multos pernicioſos errores non tam palam verbis profitetur, ac reipſa fovet in myſterio. Quarto, quia Eccleſiam publicè nòn impugnavit, ſed ipſam Eccleſiam invaſit, occupavit, & titulum ejus ſibi vendicavit.

VIII. 3. Quia tamen multi ſunt inter Pontificios.

cios, qui mysterium Papismi non intelligunt, sed partim ex periculi metu & partim ex consuetudine, & simpliciter adhærent Papismo, idcirco omnes Pontificii non sunt absolutè pro talibus hæreticis habendi, quibus nulla spes est salutis: quamvis viam salutis eos insistere ex eorum professione, non possumus affirmare.

Quæstio tertia. An Anabaptistæ habendi sint pro hæreticis?

IX. Resp. Non sunt proprie hæretici, qua prædobaptismum simpliciter negant, quamvis error ille sit in Ecclesia non tolerandus: quia summam fidei ad salutem necessariæ hoc errore non evertunt. Sed qua negant peccatum originale; & humanam naturam Christi, ex beata virgine genitam, & similia, sunt hæretici.

Quæstio quarta. An Remonstrantes sint hæretici?

X. Resp. Remonstrantium sententia, prout à vulgo ipsis faventium recipitur, non est propriè hæresis, sed periculosus error in fide, ad hæresin tendens. Prout vero à quibusdam eorum defenditur, est hæresis Pelagiana: quia gratiæ internæ operationem efficacem, necessariam esse negant ad conversionem, & fidem ingenerandam.

Quæstio quinta. An Lutherani sint hæretici?

XI. Resp. Qui inter illos pertinaciter defendunt ubiquitatem humanæ naturæ Christi, non possunt ab hæresi excusari: quia illa sententia directè evertit humanam naturam Christi. Sed quia multi inter eos ab illa sententia sunt alieni, & alii ex contentione potius defendunt, quam ex animo credunt, idcirco vel stupiditatis & furoris, vel schismatis potius, quam hæreseos sunt accusandi.

Quæstio sexta. An hæretici sint à Magistratu civili puniendi?

XII. Resp. 1. Reprimendos esse hæreticos ab omnibus piis, secundum illam vocationem & potestatem, quam acceperunt à Deo, satis apparet ex na-

natura rei: quia omnes pii ad militiam Christianam vocantur, ut in suis stationibus opponant sese singuli regno tenebrarum.

XIII. 2. Magistratus, locus & officium postulat, ut reprimat improbos turbatores gladio, vel potestate publica & externa, si opus fuerit. *Rom.* 13. 4. 1 *Tim.* 2. 2.

XIV. 3. Si igitur hæretici sint manifesti, & publicè noxii, debent à Magistratu publica potestate coërceri.

XV. 4. Si vero etiam manifestè blasphemi sint, & in illis blasphemiis pertinaces ac præfracti, possunt etiam affici supplicio capitali. Lex enim illa, *Levit.* 24. 15, 16. quamvis non obliget Christianos, quatenus est lex, quatenus tamen est doctrina à Deo profecta, pertinet ad Christianorum directionem in ejusdem generis causis. Quando igitur gloria Dei, & salus Ecclesiæ hujusmodi pœnam postulat, potest, ac, remediis aliis frustra tentatis, debet etiam à Magistratu Christiano adhiberi.

## CAPUT V.

### *De Apostasia.*

QUæstio septima. Quis habendus sit pro Apostata?

I. Resp. Ille propriè est Apostata, qui fidem veram antea professus, ab ea in totum recedit. Apostata enim idem sonat, quod desertor & transfuga. Talis fuit Julianus, qui cognomen habuit apostatæ; tales sunt qui ex Christianis vel Judæi, vel Mahumetani fiunt.

II. Sed per analogiam, ille etiam ita vocatur, qui in plerisque recedit à vera fide: ut qui à veritate Euangelii ad Pontificios deficiunt. Apostata igitur totum illud secum trahit quod hæreticus, quoad essentiam: sed aliquid insuper addit.

Quæstio octava. Qualis est differentia graduum inter infideles, hæreticos, & apostatas? id est, quinam inter istos gravius peccant?

III. Resp.

III. Resp. 1. Defectio gravius est peccatum quam subjectionis negatio. In defectione enim plus Dei rejicitur: plura vincula conjunctionis violantur: & Deus ipse tacitè accusatur quasi iniquus. *Mich.* 6, 3. 2. Cæteris igitur paribus, gravissime omnium peccant apostatæ. 2 *Petr.* 2. 21. præsertim si ad abnegationem agnitæ veritatis, accedit etiam ejus oppugnatio. *Act.* 26. 11. 1 *Tim.* 1. 20.

IV. Hæretici autem proxime accedunt ad apostatas, quia simul cum ipsis deficiunt à veritate agnita, & à fide sacrosanctis vinculis obstricta. Sed Apostatæ à pluribus deficiunt.

V. Judæi & Pagani, quoad extensionem infidelitatis, magis peccant, quam hæretici, quia in pluribus erroribus versantur: sed intensivè gravius tamen est peccatum hæretici: quia lege fidei magis fuit obligatus, quam illi à quibus nunquam fuit recepta.

VI. Similis est ratio inter Judæorum & Paganorum infidelitatem. Pagani enim in pluribus errant, sed Judæi gravius peccant, quia veritatem à Prophetis receperunt, & aliquo modo profitentur, atque adeo legi fidei magis subjiciuntur, quam Pagani.

VII. Eadem etiam proportio observanda est inter ipsos Christianos, qui vel verbis, vel factis, abnegant Christi veritatem. Quo perfectius enim instituti fuerunt in veritate, eo gravius peccant, cum ab ea deficiunt.

Quæstio nona. Quomodo intelligendum est illud 2 *Joh.* 10. *ne ave ei dicite.*

VIII. Resp. De Apostatis, & Hæreticis, præcipue. De extraneis enim non similiter judicabant Apostoli. 1 *Cor.* 5. 12.

IX. Erga ipsos etiam Hæreticos & Apostatas, non prohibentur necessaria humanitatis officia, sed detestationis constans significatio mandatur, & commercium illud interdicitur, quod consistere non potest cum detestatione justa.

CAPUT

## CAPUT VI.

### DE SPE.

QUæstio prima. Quænam sunt signa spei veræ?

I. Resp. 1. Si innitatur soli gratiæ Dei, & ejus gratuitis promissionibus. 1 *Petr*. 1. 13.

II. 2. Si curam in genere Deo in omnibus placendi, 1 *Ioh*. 3. 3.

III. 3. Si mediis à Deo ordinatis diligenter uti suadeat, & ab aliis abstinere. *Hebr*. 10. 23, 24, 25.

IV. 4. Si ex illis mediis non pendeat, sed ex Deo vel per illa, vel sine illis operante, *Esth*.4. 14.

Quæstio secunda. An spes ista non aliqua ex parte nitatur nostris conatibus?

V. Resp. Non nititur nostris conatibus, tanquam causis, vel meritis rei speratæ, sed tanquam signis vel argumentis, quibus erigitur & confirmatur in certa expectatione gratiæ Dei, *Hebr*.10,22.23.

Quæstio tertia. An spes ista sit certa?

VI. Resp. 1. Spes divina quoad certitudinem objecti est certissima, quia nititur potentia & fide Dei, quibus promissiones suas certissime semper præstare se & posse & velle revelavit. *Rom*. 4, 21. 2. *Tim*. 2. 13.

VII. 2. Quoad certitudinem subjecti, debet esse omni modo certissima, & firmissima, *Hebr*.6,18.19.

VIII. 3. Absolute & in se considerata, est etiam infallibilis, & certa, *Psal*. 25. 2, 3. quia innititur eidem certo & infallibili fundamento cum fide, *Rom*.4. 18, 19. *Hebr*. 11. 1.

IX. 4. Propter imperfectionem tamen nostram, & varias tentationes quibus percellimur, habet sæpe dubitationem aliquam comitantem; quæ facit ut quoad sensum nostrum, non sit semper certa, *Psal*. 73. *Lam*. 3. 18.

Quæstio quarta. An cum eadem certitudine versetur spes, circa omnia illa quæ sperat?

X. Resp. 1.

X. Resp. 1. Principale objectum spei divinæ est æterna beatitudo, circa quam eadem debet esse certitudo spei, quæ est fidei, id est maxima. Unde est quod ipsa beatitudo vocetur spes, *Eph*. 1. 18. *Col*. 1. 5. *Tit*. 2. 13. & spe dicantur fideles servari etiam dum isthic vivunt. *Rom*. 8. 24.

XI. 2. Secundaria obiecta sunt omnia illa, quæ ad eam beatitudinem sunt essentialiter necessaria, ut gratiæ, & perseverantiæ in gratia suppeditatio: quæ eadem certitudine sunt apprehendenda, cum ipsa beatitudine æterna, *Rom*. 8, 38.

XII. 3. Secundarii etiam objecti rationem indunut externa & corporalia illa bona, quatenus gloriæ Dei, & beatitudini nostræ promovendæ & fovendæ inserviunt. Quia verò, hoc nobis non liquet sæpe in particulari, idcirco particularia bona hujus generis non possumus, nec debemus absolutè sperare, sed cum illa limitatione, qua sunt à Deo promissa. 2 *Tim*. 4. 18. *Phil*. 1, 20, 25.

Quæstio quinta. An spiritualis etiam gratia certo sperari possit, in particulari, ad hoc vel illud officium præstandum, aut ad hanc vel illam tentationem superandam?

XIII. Resp. 1. Potest, ac debet quoad rem ipsam: quia Deus promisit se in istis spiritualibus, quæ sua natura certam & essentialem connexionem habent cum vita æterna, nobis adfuturum, *Phil*. 4. 13.

XIV. 2. Sed quoad gradum, aut modum non essentialem, non potest, 2 *Cor*. 12. 8, 9. quia spes divina sua natura non fertur in istiusmodi circumstantias, tanquam in suum objectum, sed per electionem humanam & errori obnoxiam, ad illas applicatur.

Quæstio sexta. quam certitudinem spei de aliis hominibus possit quis habere?

XV. Resp. 1. Prout signa in is apparent veræ fidei, sic justum est ut nos de illis speremus. *Philip*. 1. 6, 7.

XVI. 2.

XVI. 2. Quia autem externa ista signa, quæ in aliis apparent, non possunt nobis tam certam fidem facere de ipsis, atque interna illa experientia, quam in nobis ipsis habemus gratiæ Dei, & quia Spiritus sanctus obsignat fidelibus suam propriam adoptionem, non aliorum; idcirco spes ista de aliis in particulari concepta, non est eodem modo & gradu infallibilis, quo est illa spes, quam de nobisinetipsis habemus. Nititur enim, ex parte, humana credulitate. 1 *Petr*. 5. 12.

XVII. 3. Quia tamen certitudo ista, quam sæpe habemus, de aliorum internis affectibus, est moraliter certa, quomodo filii certo persuasum habent se à parentibus suis sincere diligi, & amici etiam idem certo judicant de suis amicis, idcirco sine actuali dubitatione, spem optimam fovere debemus de iis, qui indicia præbent fidei synceræ. *Hebr*. 6. 9, 11.

XVIII. 4. Si spes hujusmodi de aliis concepta aliquando fallat, non est igitur putandum spem divinam esse incertam. Quia hæc spes ex illa tantum parte fit irrita, qua in applicatione aut determinatione humanis nititur conjecturis, 2 *Tim*. 2. 19.

## CAPUT VII.

### *De patientia erga Deum.*

Quæstio prima. Quænam sint signa hujus patientiæ?

I. Resp. 1. Si neque contemnamus castigationem Domini, neque murmuremus adversus Deum, quomodocunque nobiscum agat, sed in omnibus ipsi benedicamus. *Hebr*. 12. 6. *Job*. 1. 21, 22.

II. 2. Si constanter persistamus in officio nostro faciendo, qualiscunque fuerit successus. *Jac*. 5. 8. *Hebr*. 12. 12.

III. 3. Si ab ipso Deo finem optatum exspectamus. *Jac*. 5. 11. *Hebr*. 10. 36.

IV. 4. Si non præfestinemus, vel ad media illicita confugientes, vel animos despondentes. *Hebr.* 10.38. *Esai.*28.16.

V. 5. Si denique à Deo consilium, & directionem quæramus, in omnibus angustiis. *Jac.* 1.4, 5.

Quæstio secunda. Quibus argumentis corroborari possit animus ad patientiam istam?

VI. Resp. 1. Quia peccata nostra graviora merentur *Lament.* 3.39. *Mich.* 7.9.

VII. 2. Quia Deus in suis castigationibus exhibet se nobis, ut patrem suis filiis. *Hebr.* 12.7.

VIII. 3. Quia non deserit suos, sed bonum exitum dabit. *Lam.*3.25,26,27.

IX. 4. Quia pusillum tantum tempus erit exspectationis nostræ. *Hebr.* 10.37.

X. 5. Quia hac via Christus ipse, cum omnibus sanctis ad gloriam pervenerunt. *Hebr.* 12. 1, 2.

XI. 6. Quia Deus ipse patiens est erga nos, 2 *Petr.* 3.9.

XII. 7. Quia hæc patientia est necessaria ad salutem, *Hebr.*10, 36.

## CAPUT VIII.

### *De Timore.*

QUæstio prima. An debeant homines timere damnationem æternam, & alia supplicia Dei?

I. Resp. 1. Peccatores impœnitentes debent, dum in illo statu manent, ista timere, & exspectare. *Rom.*13.4. *Joh.*3.36.

II. 2. Fideles non debent vel exspectare æternam damnationem, vel simpliciter dubitare, an eos maneat necne? *Rom.*8.1. *Hebr.*2.15.

III. 3. Debent tamen fideles pavere, horrere, cavere, & fugere iram Dei, & damnationem, ut ipsis propter peccata sua debitam. *Heb.*12,29. 2 *Cor.* 5.11. *Eph.*5.6. *Col.*3.6.

IV. 4. Cum gravius Deum offendunt, debent etiam

etiam timere gravem & acerbam Dei castigationem, 1 *Cor.* 11. 29.

V. 5. Dum jacent in peccato aliquo enormi, sine resipiscentiæ renovatione, debent etiam singulari modo timere iram Dei, & ipsam damnationem æternam: quia jam in illa ipsa via versantur, quæ tendit ad condemnationem, & si procederent, in eam necessario pervenirent. *Gal.* 5.21. & 6. 8.

VI. 6. Hic autem timor ex conditione suspenditur, & eadem etiam mitigatur, quia metuitur condemnatio, nisi per resipiscentiam anteverta-tur: non est igitur meræ incredulitatis, sed fidei languentis timor: non timor servilis, sed filii inobedientis.

VII. 7. Ad fiduciam, non timorem pœnæ, vocantur fideles, quâ sunt tales. *Ephes.* 1. 18. sed ad timorem pœnæ detruduntur, quatenus peccatum in ipsis viget.

## CAPUT IX.

### *De Desperatione, & Præsumptione.*

QUæstio prima. An qui aliquid eorum, quæ sperare debemus desperat, totam rationem spei tollit?

I. Resp. Eadem fere est ratio desperationis ad spem, quæ est hæresis ad fidem. Nam sicut omnis error circa illa, quæ sunt credenda, non tollit fidem, & hæresis est censenda: sic neque omnis diffidentia circa res sperandas tollit spem, & in statum desperationis inducit. Sed ut pertinax error circa fidei fundamenta, facit hæreticum, sic pertinax diffidentia circa primaria spei objecta, id est, beatitudinem æternam, & quæ ad illam sunt necessaria, facit hominem desperatum.

Quæstio secunda. An omnes illi habendi sint pro desperatis, qui dicunt sese desperare?

II. Resp. Nequaquam. Sicut enim vel ex perturba-

turbatione valida, vel ex ignorantia, aut infirmitate judicii, potest fidelis aliquis ad tempus sibimetipsi videri fidei expers; sic etiam eadem ratione potest ille, qui spem habet veram, existimare tamen se ab omni spe esse derelictum. Sunt deliquia spei & fidei, in quibus actus eorum non apparent, cum tamen internæ virtutes non sunt extinctæ. Fieri igitur potest, ut quoad sensum & conceptum proprium videatur sibi in statu damnationis, qui revera est in statu salutis

Quæstio tertia. Qua in re consistit præsumptio?

III. Resp. Ille propriè præsumit, qui sibi persuadet se beatitudinem æternam consecuturum, quamvis non adhæreat illis mediis, quæ Deus in illum finem ordinavit. Illud sibi sumunt, quod Deus ipsis nullo testimonio sui verbi dedit aut promisit.

Quæstio quarta. An tantum periculum sit in præsumptione, quantum est in desperatione?

IV. Resp. Gravius est periculum sæpe præsumentis, quam desperantis. 1. Quia præsumens non videt aut sentit se præsumere; desperans autem suum vitium sentit. 2. Præsumens sibimet maximè placet, nihil dubitans, quin sit in optima via, atque adeo non quærit meliorem: sed desperans suæ miseriæ pertæsus aliam conditionem optat. 3. Præsumens non cupit admittere saniora consilia: desperans cupit, si possit. 4. Plures pereunt præsumendo, quam desperando. Melius igitur sperandum est de iis, qui videntur sibimet desperare, quam de illis, qui præsumunt. Præsumentes sunt eo magis desperati, quo minus sunt desperantes.

## CAPUT X.

### *De Charitate erga Deum.*

**QUæstio prima. An Deus sit diligendus propter bonitatem, & perfectionem suam in sese considera-**

ſideratam, vel propter bonitatem ſuam erga nos & beneficia illa, quæ nobis confert?

I. Reſp. 1. Perfectiſſima ratio charitatis eſt in eo, ut diligamus Deum propter ſemetipſum: id eſt, ut ratio formalis dilectionis noſtræ ſit (ut loquuntur Scholaſtici) diligibilis natura Dei: & dilectio noſtra feratur in eum, tanquam in vltimum finem. 1. Quia hic eſt amor perfectiſſimus, qui vocari ſolet amor amicitiæ. 2. Quia, ſi diligamus Deum tantum propter bonitatem ejus erga nos, tum diligimus eum propter nos, atque adeo nosmetipſos magis diligimus, quam Deum. 3. Quia talis eſt dilectio divina inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. *Prov.* 8. 30. 4. Quia talis eſt dilectio Dei erga nos, quatenus nihil boni à nobis ipſis propriè accreſcit.

II. 2. Quia tamen nos ſumus adeò imperfecti, ut ad illam contemplationem Divinæ perfectionis, non poſſimus immediatè animos noſtros elevare, ſed per illa media, quibus bonitas, & perfectio Dei nobis innoteſcit; & quia maximè innoteſcit in communicatione bonorum; iiſque etiam bonis maxime afficimur, quæ nobis communicantur; idcirco beneficia Dei erga nos ſunt etiam ratio & (ut loquuntur) motiva charitatis noſtræ erga Deum, & quod ordinem, prima, quamvis non quoad dignitatem, præcipua, ultima, & ſumma; ſed talia, ut ab iis, & per illa debeamus aſcendere ad divinam naturam ipſam Dei, in ſe & propter ſe diligendam, ut ibi ultimo acquieſcamus, *Ioh.* 4. 8. 9, 10, 11, 16, 19.

Quæſtio ſecunda. quænam ſint ſigna charitatis erga Deum?

III. Reſp. 1. Quatenus eſt amor vnionis, apparet, 1. In affectu deſiderii erga omnia illa media, quibus Deus ſeſe nobis exhibet, *Pſal.* 48. 2. In averſatione & fuga eorum omnium, quæ ſeparant nos à Deo; id eſt, peccatorum, eo ipſo nomine; quia hoc

hoc faciunt. 3. In desiderio veræ, ac spiritualis unionis, & conjunctionis cum Ecclesia, & populo Dei. 1. *Ioh.*3.14. 4. In dolore concepto ex sensu efficaciæ Spiritus Dei in nobis aliquo modo deficiente, vel imminuto. 5. In desiderio perfectæ fruitionis præsentiæ Dei, in vita futura.

IV. 2. Quatenus est amor complacentiæ, apparet 1. in delectatione illa, quam sentimus, ex unione & communione Dei, cum ex interna gratia & operatione Spiritus percipitur. 2. In suavitate & gaudio quod percipimus in exercitiis pietatis, *Psal.*122. 1 Ratio redditur, *Prov.* 13,19. 3. In sanctorum societate magni facienda, *Psal.* 16. 3. 4. In fastidio & abominatione eorum omnium quæ Dei voluntati adversantur. *Psal.* 119. 128. 163.

V. 3. Quatenus est amor benevolentiæ, apparet 1. in zelo gloriæ Dei. 2. In obedientia. *Ioh.*15.10.

Quæstio tertia. Qua ratione amandus sit Deus super omnia?

VI. Resp. 1. Ita debemus Deum diligere, ut omnibus aliis eum præponamus, & affectu vel voluntate, & affectu vel opere. *Deut.* 6. 5. Affectu autem omnibus præponitur Deus, 1. quando nullus affectus erga creaturam aliquam, potest nos eo allicere vel impellere, ut Deum offendere velimus, *Matth.*10.37. 2. Quando pluris æstimamus amorem Dei, quam alicujus alterius, ita ut ex affectu, quem habemus erga Deum, parati simus in ejus gratiam, vel ejus causa deserere omnia illa, quæ sunt nobis charissima inter res creatas. *Luc.* 14. 26. Effectu omnibus præponitur Deus, quando ille affectus efficaciter sese ostendit, in vita & conversatione nostra externa, 1 *Iohan.* 5. 3. 2. *Cor.* 5. 14. *Joh.* 21. 15.

VII. 2. Ita debemus Deum diligere, ut fortior, firmior, & magis in corde radicatus sit iste amor, quam alius qualiscunque affectus, quem habemus erga creaturas. Hoc autem fit, cum magis proce-

procedit ab intimo ſpiritu : & immobilis eſt, ita ut non poſſit deponi, *Pſal*. 103. 1. 2 *Cor*. 7. 3.

VIII. 3. Tam tenerè debemus Deum amare, ut minima læſio aut violatio, vel ipſius Dei vel amoris noſtri erga eum, magis nos afficiat, quam ſi in aliis rebus magnam jacturam, aut vim pateremur, *Pſal*. 119. 136,

IX. 4. Tam vehemens & fervens debet eſſe amor noſter erga Deum, ut comparatione facta, alia amemus, quaſi non amaremus, 1. *Corinth*. 7, 29. &c.

Quæſtio quarta. Quomodo conſulendum eſt conſcientiis piorum hominum, qui ſibimetipſis videntur aliquando majore amore ferri in creaturas quaſdam, quam in Deum?

X. Reſp. 1. Diſtinguenda eſt amoris æſtimatio, fortitudo, ab illa commotione affectus, quæ major aliquando poteſt eſſe in amore minore. Si enim quis ita ſit animatus, ut Deum non velit offendere, aut deſerere, quamvis propter eum alia omnia eſſent deſerenda, ſi ille magis comoveatur aliquando in aliis rebus, eas tamen non magis amat. Non fuit igitur ſolida & logica, ſed militaris argumentatio illa Joabi, 2 *Sam*. 19. 7. quam petiit à commotione Davidis erga Abſolonem.

XI. 2. Diſtinguenda eſt ſoliditas amoris, ab ejus levi titilaltione, ſicut lætitia vulgaris diſtinguitur à ſerio gaudio. Ubi ſpiritus magis intimè afficitur & affectus fundatur & radicatur, ubi major eſt amor *Eph*. 3, 18.

XII. 3. Diſtinguere debemus inter amorem ſpiritualem, & ſenſualem. Spiritualis enim poteſt eſſe tenerior & vehementior in ſuo genere, quam eſt ſenſualis in ſuo, quamvis corporei ſenſus in eo minus afficiantur, quam in iſto: ſicut ſenſualis affectus ita poteſt eſſe vehemens in ſuo genere, ut ſpiritus interim parum aut nihil afficiatur. Dum hic vivitur, talis eſt infirmitas noſtra, per peccatum

introducta, ut ordinariè sensus & spiritus nostri vitales ac animales, magis afficiantur rebus sensibilibus, quam spiritualibus Hoc tamen nihil impedit, quin spirituali bono magis interim spiritus nostri afficiantur, si illi adhæreant eo modo qui antea fuit declaratus.

XIII. 4 Distinguendum etiam est inter habitum amoris, & ejus actus. Actu enim potest affectus unus magis aliquando moveri, quam alius aliquis à quo dispositione interna multis modis superatur.

*a* Quæstio quinta, Quomodo & quatenus timor opponitur caritati?

XIV. Resp. I. Non quatenus culpa, vel offensa Dei metuitur, & cavetur, eatenus enim est effectum & fructus caritatis. Sed 1. quia caritatis est quærere unionem, & communionem cum Deo, & metus culpæ fugit illud quod separat à Deo. 2. quia caritas omnem honorem Deo vult & jubet deferri, & iste metus fugit illud, quod honori Dei adversatur. 3. quia caritas acquiescit in bonitate Dei, & iste metus fugit illos motus, quibus aliquid anteponitur Deo.

XV. 2. Non quatenus timor sonat reverentiam immensæ Dei Majestatis; eatenus enim debetur Deo ab omni creatura, & reperitur in angelis, ac spiritibus beatis, qui caritatem habent perfectam. *Esai*. 6. 2.

XVI. 3. Non quatenus pro statu imperfectionis & fragilitatis nostræ præsentis, ira Dei timetur. Quamvis enim iste metus opponatur caritati consummatæ, 1. *Ioh*. 4. 18 non tamen simpliciter caritati: quia caritas dum est imperfecta in lucta illa, quam habet adversus imperfectiones, ab isthoc timore juvatur.

XVII. 4. Timor ille, qui facit nos fugere à Deo, adversatur caritati, qua Deo adhæremus.

a De oppositione caritatis & timoris.

XVIII.

XVIII. 5. Timor ille, qui tam terribilem nobis Deum apprehendit, ut acquiescere non possimus in ejus bonitate, adversatur caritati; quæ complacentiam habet in Deo.

XIX. 6. Timor ille qui afficit hominem cruciatu, adversatur caritatur, quæ gaudium adfert & pacem.

a Quæstio sexta. Quomodo Deus potest odio haberi?

XX. Resp. 1. Quando Deum non esse, animo concipitur, tanquam jucundum, gratum.

XXI. 2. Quando Deum quis cupit & optat non esse talem, qualis est, id est, peccati justum vindicem & ultorem.

XXII. 3. Quando quis opponit sese voluntati Dei, & vult contrarium iis, quæ Deus vult.

Quæstio septima. Quinam hac tertia ratione habentur pro osoribus Dei?

XXIII. Resp. 1. Omnes illi, qui scientes volentes violant præcepta Dei, *Exod.* 20. 5. *cum* 6. quia caritas est observare præcepta Dei.

XXIV. 2. Qui alieni sunt à cognitione, & cultu Dei. *Joh.* 21. 14, 15.

XXV. 3. Qui odio habent disciplinam, & veram vitæ reformationem. *Psal.* 50. 17. *Prov.* 9. 8.

XXVI. 4. Qui non studiose quærunt sapientiam. *Prov.* 8. 36.

XXVII. 5. Qui odio prosequuntur illos, qui Deum amant, *Psal.* 139. 27. *&c.* 1 *Johan.* 4. 12. *&* 5. 1 *Matth.* 25. 40.

XXVIII. 6. Qui amant alia magis, quam Deum 2 *Tim.* 3. 4.

XXIX. 7. Qui Deum negligunt, & adhærent mundo. *Luc.* 16. 13.

a De odio Dei.

## CAPUT XI.

### *De Auditione Verbi Dei.*

QUæstio prima. Qualis attentio requiratur ad verbum Dei ritè audiendum?

I. Resp. 1. Attentio religiosa, quæ ex majestatis Dei consideratione, & reverentia ipsi debita proficiscitur: ita ut non gradu tantum, sed & toto genere differat ab attentione illa, quæ verbis hominum, quamvis authoritate præcellentium, debetur, *Actor.* 10 33. *Iud* 3.20. 1 *Thess* 2.13.

II. 2. Non sufficit igitur attentio ad verba tantum, neque ad sensum verborum, sed requiritur etiam attentio ad divinam illam obligationem, quæ variis nominibus nobis incumbit, voluntatis Dei nobis propositæ religiosè observandæ, *Deut.* 32.46, 47.

III. 3. Fundamentum hujus attentionis consistit in actu exercito timoris, ac reverentiæ Dei: *Esai.* 50. 1.

IV. 4. Hinc talis attentio requiritur, quæ postulat præparationem aliquam antecedentem. *Exod.* 19:10, 11. *Eccles.* 5.1.

Quæstio secunda, quænam inquisitio, aut consultatio requiratur in ilihac attentione?

V. Resp. Non est in consultationem vocandum, utrum præstanda sit voluntas Dei, necne, talis enim consultatio non caret impietate: sed inquirendum tantum ut intelligamus, quænam sit voluntas Dei. 1 *Joh.* 4.1. De hominum quorumcunque verbis judicium ferri debet, quo discernitur an sint bona & observanda, necne. 1 *Thess.* 5.2. sed Dei verbum nullum aliud judicium admittit, nisi quo discernatur esse verbum Dei. Ex Dei enim verbo de aliis omnibus judicamus: de illo autem ipso non judicamus, sed nosmetipsos ei submittimus judicandos.

VI. In-

VI. In hominibus audiendis, quatuor modis versari homines dicuntur: vel enim sunt *spongiæ*, sugendo attrahentes omnia, tam mala, quam bona: vel *clepsydræ*, qui quod aure una accipiunt, altera sinunt effluere: vel *sacci fæcum*, qui solas retinent fæces, bonum autem vinum patiuntur effluere: vel *cribrum*, qui quæ nihili sunt, prætermittunt, bonamque retinent farinam. Et intra ista quatuor genera auditorum, ultimum tantum, quod est cribrantium, approbatur: sed in puro Dei verbo audiendo, primum tantum approbatur, eorum scil. qui attrahunt sibi totum, instar spongiæ, aut terræ, imbrem venientem imbibentis. *Hebr.* 6. 7.

Quæstio tertia. Quænam requiritur intentio voluntatis, in auditione verbi Dei?

VII. Resp. 1 Intentio nostra non debet præcipuè & ultimo ferri in cognitionem, sed in praxim. *Luc.* 1.22. *paralogysmum* turpissimum, & periculosissimum admittunt, qui in cognitione acquiescunt. παραλογιζόμενοι ἑαυτούς.

VIII. 2. Intentio faciendi illa, quæ Deus vult ut faciamus, debet esse absoluta & universalis, sine ulla limitatione aut distinctione. *Deut.* 5. 33, 35. *Jer.* 42. 3, 5, 6. *Jac.* 2. 10.

IX. 3. Tam firma debet esse hæc intentio, ut vim habeat voti vel juramenti. *Psal.* 119. 106.

X. 4. Non debet mora, vel cunctatione aliqua tardari. *Psal.* 119. 60.

XI. 5. Intentio ista non debet niti nostris propriis viribus, sed gratia & potentia Dei. 1 *Thess.* 1. 5.

XII. 6. Debet hæc intentio actu renovari, quoties verbum Dei audimus. *Psal.* 27. 8. hac etiam ratione possumus inter audiendum, singula Dei mandata cordibus nostris infigere.

XIII. 7. Continuari debet hæc intentio, per assiduam & diligentem verbi auditi meditationem. *Psal.* 1. 2. & 119. 5, 109.

## CAPUT XII.

### *De Superbia adversus Deum.*

QUæstio prima. An possit creatura aliqua adversus Deum Creatorem suum superbire?

I Resp 1. Superbia est propriè excellentiæ inordinata affectatio;

II. 2. Affectatio ista excellentiæ duplici ratione exeritur. 1. Cum quis effert sese supra alium. 2. Cum arrogat sibi aliquid supra se.

III. 3. Priore modo, superbit aliquis vel directè cum simpliciter præfert sese aliis vel indirectè, & interpretativè, cum non vult se subjicere alteri, cui subjici debet.

IV. 4. Ultima ista ratione, superbiunt adversus Deum omnes, qui subjici nolunt ejus voluntati, aut verbum ejus audire. *Exod.* 6. 2. *Jer.* 13. 15. & 43. 5, 6. & 2.

Quæstio secunda. Quomodo ista superbia in omnibus illis locum habeat, qui verbum Dei nolunt audire, cum aliæ multæ cupiditatis sint causæ hujus inobedientiæ?

V. Resp. 1. Sicut peccatum, sic etiam peccati causa dupliciter consideratur; vel enim respicitur aversio à Deo, vel conversio ad aliud oppositum Deo. Multæ autem cupiditates sunt causæ inobedientiæ, quoad conversionem: sed superbia est initium omnis inobedientiæ, quoad aversionem à Deo, & subjectionem ipsi debitam.

VI. 2. Concupiscentiæ & cupiditates aliæ, dum inducunt hominem ad Dei voluntatem negligendam, inducunt etiam ad superbiam quandam, & contemptum Dei. 2 *Sam.* 12. 9.

VII. 3. Aliæ cupiditates (maxima saltem ex parte) ad peccandum inducunt, quatenus feruntur in præstantiam aliquam apparentem, *eritis sicut Dii*, in cujus appetitu aliqua superbiæ ratio reperitur.

Quæstio

Quæstio tertia. Quænam sunt propria media, quibus ista superbia possit retundi?

VIII. Resp. Consideratio magnitudinis, & potentiæ Dei. *Job.*39 35. *Rom.*20.2.

IX. 2, Consideratio vilitatis nostræ, *ibid. vers* 37.

X. 3. Consideratio obligationum illarum, quibus tenemur subjicere nos totos Deo, ut creatori, sustentatori ac Domino nostro.

XI. 4. Consideratio iræ Dei adversus superbos & gratiæ erga submissos. 1 *Petr.* 5. 5, 6.

## CAPUT XXIII.

### *De Consultatione Diaboli.*

QUæstio prima. Quando consulitur diabolus?

I. Resp. Non solum quando vel petitione recta, vel pacto expresso, implorant homines opem diaboli, sive ad res occultas cognoscendas, sive ad res arduas perficiendas: sed etiam quando tacito vel implicito pacto idem tentatur. Sicut enim in Consultatione Dei, non tantum ab ipso dicimur inquirere, cum immediatè eum adimus, sed & cum mediis illis utimur voluntatis ejus cognoscendæ, & perficiendæ, quæ sunt ab ipso instituta: sic etiam diabolus consulitur, cum iis mediis utimur aliquid vel cognoscendi vel efficiendi, quæ á diabolo sunt introducta. Differunt hæc duo tantum ut varii gradus ejusdem actus.

Quæstio secunda. Quando tacitè, & implicitè consulitur, & auditur diabolus, loco Dei?

II. Resp. 1. Generali quadam ratione hoc fit, quandocunque deserimus viam illam, quam à Deo habemus præscriptam, & suggestionem diaboli sequimur, alia via incedentes, aut aliis mediis felicitatem quærentes: Sicut videre est in tentatione, & lapsu primorum parentum.

III. Specialiter autem & propriè hoc fieri dicitur, quando vel illi homines consuluntur, qui communionem habent cum diabolo, vel illa media usurpantur, sive ad cognitionem, sive ad affectionem rerum, quæ talem usum non habent, vel ex natura sua, vel ex institutione Dei: cum nulla extraordinaria Dei operatio cum illis possit ex fide exspectari. Ratio est, quia talia media non habent vim illam, quam præ se ferunt à Deo, neque ut in ordine naturæ, neque in ordine gratiæ, neque extra ordinem per omnipotentiam suam operante: neque possunt talem vim ab hominibus accipere: quia homines non possunt illam virtutem, quam ipsi non habent, aliis communicare: neque à sanctis Angelis talem vim accipiunt, quia illi nihil agunt, nisi tanquam ministri Dei. Sequitur igitur, diabolum autorem esse & operationum & significationum illarum, quæ à talibus mediis pendent, & diabolum consuli ab iis, qui ab illis tale quidquam exspectant.

Quæstio tertia. Quænam est malitia hujus actionis?

IV. Resp. 1. Prima malitia, quæ in istiusmodi peccato reperitur, est infidelitas. Fides enim & spes non ponuntur in Deo, cum deseritur via ab ipso præscripta, & quæritur alia nova.

V. 2. Præcipua autem malitia est, quod qui hunc in modum diabolum consulit, ille aliquo modo submittit sese diabolo, & tribuit illi excellentiam quandam divinam, atque adeò honorem & cultum per interpretationem dicitur ipsi deferre.

VI. 3. Via etiam quasi directe sternitur, ad efficaciorem diaboli deceptionem, & pleniorem Dei desertionem.

Quæstio quarta. An hujus generis sint prædictiones Astrologiæ judiciariæ?

VII. R. Prædictiones ex astris de actionibus voluntariis, aut etiam de contingentibus in particulari.

lari, quamvis temeritati & imprudentiæ possint aliquando ascribi, si tamen serio adhibeantur, non possunt excusari ab omni participatione hujus peccati. Astra enim quamvis generalem quandam dispositionem aut inclinationem inferre possint inferioribus naturis, tanquam causæ communes, non possunt tamen certæ, aut signa naturalia hujus vel illius effecti in particulari, non magis quam gallina incubans varii generis ovis, causa est aut certum signum, quod alius pullus ex uno ovo, & alius ex alio nascatur.

VIII. Similis est ratio prædictionum ex elementis: ex structura humani corporis membrorum; ex insomniis, ex portentis, &c.

IX. In his enim & similibus aliquid inesse solet naturale, ex quo alia possint in generali concludi: sed nihil certi, in particulari, de contingentibus futuris, iis præsertim, quæ pendent ex electione voluntatis.

Quæstio quinta. Quibus in rebus admitti aut participari solet istud peccatum, à simplici, ignara & credula plebe in observationibus vanis?

X. Resp. 1. Quando magni fiunt omnia vulgaria, tanquam fausta, vel infausta: id est, læta vel tristia futura conjectantur ex fortuitis dictis, aut factis antecedentibus. Ut si certum aliquod animal, ut lepus, aut felis occurrat, aut transcurrat: si salinum in mensa evertatur, aut vinum effundatur: si cum primo mane domo exierint, sternutaverint, aut pedem in limine offenderint.

XI. 2. Qnando certi quidam dies habentur fausti, vel infausti ad opus aliquod incipiendum, eo nomine tantum, quia sunt tales dies hebdomadæ, vel anni, vel mensis, tali Sancto consecrati.

XII. 3. Quando certis orationum formulis, & conditionibus annexis, efficacia tribuitur ad hoc aut illud singulariter procurandum. Hujus generis inter Papistas, sunt brevia collo appensa, Ave Maria

cum oratione Dominica in globulis, ad certum numerum recitata.

XIII. 4. Quando ex rerum inutilium circumgestatione, commoditas aliqua exſpectatur: ut cum Papiſtæ Reliquias quaſdam ad colla ſolent geſtare, ut ex illarum vi muniantur adverſus pericula, morbos, aut tentationes.

XIV. 5. Quando figuris, imaginibus, characteribus, verbis, carminibus, aut ſcriptionibus, virtus tribuitur, morbos depellendi, aut alia realia effecta producendi.

XV. 6. Quando herbis, aut aliis medicamentis, non commode applicatis, ſed aliquo modo incantatis, vel certa forma ſepoſitis, ſimilis aſcribitur virtus.

XVI. 7. Quando fanaticorum hominum prædictionibus fides adhibetur, quaſi eſſent oracula Dei.

## CAPUT XIV.

### *De Oratione.*

QUæſtio prima. Qua in re conſiſtit eſſentia ipſa orationis piæ?

I. Reſp. Oratio quoad naturam ſuam internam, eſſentialem, & communem, nihil aliud eſt quam religioſus motus voluntatis noſtræ in Deum, ad illum ſimul quaſi commovendum.

II. In eo differt ab auditione verbi Dei, quod ibi movetur voluntas noſtra in Deum, ut nos ab ipſo commoveamur: ſed hic terminus motus immediatus eſt ipſe Deus, ut ipſe afficiatur noſtris deſideriis.

III. Hinc per ſingularem appropriationem vocatur, *elevatio cordis ad Deum*: *aſcenſio mentis in Deum*: *appropinquatio ad Deum*: & efficaciter apud Deum dicitur *valere*, tanquam ſacrificium, ex quo Deus

Deus percipit odorem gratum, quo afficitur, vel movetur.

IV. Quia enim non est nostrum, Divinam voluntatem aut virtutem applicare ad hoc aut illud, vel imperando, sicut ille nobiscum agit in suo verbo, quod est superiorum erga suos inferiores; vel familiari postulatione, quod est æqualium inter se mutuo agentium; vel ullo alio modo, quo obligationem ipsi imponamus, aut inclinationem ad hoc aut illud, reali aliquo conatu; hoc tantum superest, ut per modum submissæ & religiosæ affectuum nostrorum repræsentationis, occasionem & materiam hujus aut illius operationis, occasionem & materiam hujus aut illius operationis ipsi præbeamus. Hoc autem faciendum, non cum illa tantum subjectione, quæ necessaria est in omnibus actionibus observantiæ, sed & specialiter, illa submissione, quæ religionis actus decet.

*a* Quæstio secunda. Qualis intentio voluntatis requiritur ad orationem piam?

V. Resp. Requiritur 1. intentio Deum honorandi: non tantum generaliter ut in aliis omnibus.

VI. 2. Requiritur intentio desiderii boni, honesti, dicentis, id est, divinæ bonitati & voluntati consentientis, Deo repræsentandi.

VII. 3. Requiritur intentio talium affectuum in nobismetipsis excitandorum, quales Dei præsentiæ, & rei quam ipsi proponimus naturæ conveniunt.

VIII. 4. Requiruntur intentiones illæ omnes, quæ fidem, spem, & caritatem immediate & essentialiter consequuntur.

IX. 5. In omnibus istis intentionibus non nobismetipsis & orationibus nostris, sed Christo niti debemus.

*b* Quæstio tertia. Qualis attentio mentis requiritur?

a Intentio quæ requiritur in orando. b Attentio quæ requiritur

X. Resp. 1. Requiritur attentio ad Deum qui oratur.

XI. 2. Attentio ad rem de qua oratio habetur.

XII. 3. Attentio ad nosmetipsos, & dispositiones illas affectuum nostrorum, ex quibus oramus. Attentione enim invigilare debemus intentioni quam habemus.

XIII. Hinc ille, qui rectè orare cupit, debet necessario in se ipso esse collectus, non distractus, aut sensibus dissipatus & vagus.

Quæstio quarta. An hujusmodi attentio sit ita necessaria, ut illius defectus orationes nostras frustraneas reddat?

XIV. Resp. 1. Attentio hæc duplex est, actualis, qua ad singula animum distinctè & constanter advertimus: & virtualis, qua persistimus in eadem dispositione attendendi, qua incepimus: prior illa est maximè laudabilis: sed si posterior hæc adsit, quamvis illa ex parte deficiat, oratio retinet suam virtutem.

XV. 2. Distractiones & vagationes sunt duplicis generis, vel enim nostra negligentia & incuria accersuntur, vel irrepunt in mentes nostras, ita ut eas inviti & cum dolore patiamur. Priores illæ convertunt orationem in peccatum: posteriores annumerandæ sunt infirmitatibus fidelium, quæ consolationem eorum non excludunt.

*a* Quæstio quinta. Quo sensu tenemur continuo, vel sine intermissione orare omni tempore. *Eph.* 6. 18. 2 *Thess.* 5. 17.

XVI. R. 1. Quoad dispositionem & præparationem cordis ad orandum, debemus perpetuo illam retinere. Quia nunquam omnino desistere aut deflectere possumus absque peccato à cordibus & desideriis nostris versus Deum dirigendis.

XVII. 2. Quoad actum orationis, debemus occasionem omnem capere, & captare, illius exer-

a Quomodo oratio habeatur sine intermissione?

cendi,

cendi, *ἀδιαλείπτως, ἐν παντὶ καιρῷ*. Similis est phrasis, 2 *Sam.* 9. *ult.* *Mephiboseth semper comedebat in mensa regis*, & *Luc.* 2, 37.

*a* Quæstio sexta. An ullum sit præceptum de oratione stata quotidie habenda?

XVIII. R. 1. Præceptum est generale, ut serviamus Deo cunctis vitæ nostræ diebus. *Luc.* 1. 75. ille igitur cultus, qui commodè possit quotidie frequentari, non debet ullo die omitti: sed oratio est talis. Ergo.

XIX. 2. Instituimur in oratione Dominica, petere quotidie: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Ergo magis adhuc instanter quærendum est regnum Dei, ac justitia ejus. *Matth.* 6. 33.

XX. 3. In veteri testamento sacrificium juge publicè celebrari debuit quotidie. *Num.* 28. & simul etiam fuit hora precationis, *Actor.* 3. 1. Orationis etiam typus fuit ipsum sacrificium, & suffitus ei conjunctus, *Psalm.* 51. 17. & 141. 2 *Hebr.* 13. 15.

XXI. 4. Pii homines quotidie solebant semper orare. *Psal.* 55. 17. *Dan.* 6. 10.

XXII. 5. Communis hic est instinctus omnium, qui speciem aliquam habent religionis; ut inter Pontificios, & ipsos etiam Mahumetanos.

XXIII. 6. Quotidie à Deo variis beneficiis invitamur: ab hostibus animarum nostrarum variis periculis urgemur: à defectibus etiam nostris, & aliorum necessitatibus excitamur: & à natura ipsa orationis, in qua singularem & suavissimam communionem cum Deo, exercitium omnis gratiæ, & animarum nostrarum refectionem, ac reparationem habemus, ad quotidianum hoc exercitium allicimur, & quasi vi grata permovemur.

XXIV. Virtute igitur præcepti officium hoc quotidianum omnibus incumbit: & quamvis pro varietate conditionum vitæ, ab hominibus

*a* Oratio stata quotidie habenda.

non

non possit eadem mensura & eodem modo præstari, res ipsa tamen penitus non debet omitti.

## CAPUT XV.

### *De Confessione.*

QUæstio prima. An confessio sit in omni oratione necessaria?

I. Resp. Confessio expressa & explicita non est semper necessaria, sicut apparet ex variis formulis orationum, quas in Scripturis habemus probatas, in quibus nulla confessio directè applicatur: implicita tamen, & tacita saltem confessio necessariò debet adesse, 1. quia oratio est actus religionis, atque adeo submissionem & dependentiam nostram à Deo debemus in illa confiteri, saltem per tacitam agnitionem. 2. Quia humiliatio coram Deo, & paupertas spiritualis necessario requiritur ad orationem piam. *Luc.*1.15. *Jac.* 10. 1 *Petr.*5.6. 3. Quia nihil propriè possumus à Deo quærere vera fide, quod non prius agnoscimus esse supra meritum, & sufficientiam nostram. 4 Quia nos, & preces nostræ peccatis variis inquinatæ, non debent Deo repræsentari, sine indignitatis nostræ confessione.

quæstio secunda. Quando requiritur, ut peccata nostra distinctè & expresse confiteamur?

II. Resp. 1. Quandocunque conscientiæ nostræ peccatorum reatu onerantur, & eorum quærimus remissionem, ut conscientiæ possint exonerari. *Jer.*3.8. *Prov* 28 13. *Psal.*32.1. Ratio est, quia non possumus serio, & prout oportet, remissionem peccatorum quærere, nisi prius afficiamur eorum sensu. Hunc autem sensum confessio pia & explicando demonstrat, & commemorando infigit. 2. Quia Deus in verbo suo judicavit peccata, & peccatores, neque vult judicium illud remittere, per condonationem nisi prius à peccatoribus agnoscatur

ſcatur juſtum, & in conſcientiis ipſorum aliquo modo peragatur 1 *Corinth.* 11. 31. vult igitur, ut noſmetipſos de peccatis accuſemus, convincamus, & condemnemus in confeſſione noſtra, ne accuſationem diaboli, & ſententiam Dei irati ſubire cogamur. *Si tu ipſe fueris accuſator & Deus liberator, quid erit diabolus, niſi calumniator? Aug. ſerm.* 48. *de temp.* 3. Quia confeſſio peccatorum gloriam Deo tribuit, & juſtitiæ in judicando, & miſericordiæ in remittendo: *Nehem* 9.33. *Pſal.*51.6. *Dan.*9. atque adeo ſua natura viam facit ad reconciliationem cum Domino quem offendimus, ſicut inter homines videre eſt. *Gen.* 41. 9.

Quæſtio tertia. Quales conditiones requiruntur in iſtiuſmodi confeſſione?

III. Reſp. 1. Debet eſſe nuda, ſine occultatione, *Prov.* 28. 13. quamvis in perpetratione peccatum celare melius eſt, quam enunciare. *Eſai.* 3. 10. in confeſſione omnia coram Deo ſunt enuntianda, & nihil celandum.

IV. 2. Debet eſſe humilis, cum ſubmiſſione animarum noſtrarum, ad judicium Dei, quod peccatis debetur. Atque adeo cum dolore & deteſtatione peccati, quaſi in pulvere & cinere, *Job.* 42 6. & cum pudore faciei, *Ezechielis* 9. 6, 15. *Daniel.* 9. 7, 8, 9. Si iſta conditio abſit, enunciatio peccatorum non eſt confeſſio; ſed potius profeſſio.

Quæſtio quarta. An neceſſarium ſit, ut peccata noſtra ſingulariter confiteamur, & nominatim?

V. Reſp. Gravia & nota peccata ſingulariter ſunt confitenda: ſed alia ſatis eſt generaliter confiteri. *Pſal.* 19. 13. 1 *Sam.* 12. 19, 21.

Quæſtio quinta. An & quatenus confeſſio peccatorum etiam coram hominibus ſit neceſſaria, ut oratio noſtra ſit Deo grata?

VI. Reſp. 1. Quicunque ſincerè coram Deo confeſſus eſt ſua peccata, ille etiam paratus haud dubiè ſemper

ſemper erit eadem aliquo modo coram hominibus confiteri, ad Dei miſericordiam celebrandam. *Pſal.* 32. 6. Non tamen ſemper hoc requiritur in particulari. Illa enim peccata, quæ Deo ſoli nota ſunt, Deo ſoli, ex ordine, ſunt confitenda. Cum enim confeſſio ſua natura pertineat ad reatum peccatorum tollendum, & noxam illam amovendam, quæ peccatorum admiſſione fuit illata; nullum habet uſum per ſe, niſi erga eum, qui læſus eſt & offenſus illis peccatis, idque habet perſpectum.

VII. 2. Per accidens tamen fieri poteſt, ut peccata illa, quæ ſoli Deo nota fuerunt, coram hominibus patefieri debeant. 1. Cum Dei gloria ſingulari aliqua ratione hoc videtur poſtulare. *Joh.* 7. 19. & 2. Cum neceſſitas noſtra idem ſuadet, id eſt, cum particulare conſilium, & conſolationem hujus aut illius hominis circa peccata noſtra utilem nobis futuram judicamus. *Actor.* 10. 18. *Jac.* 1. 6.

VIII. 3. Peccata autem illa, quæ publice fuerunt nota, debent etiam confeſſione publica damnari, quia ad quos malum ipſum exempli contagione pervenerat, ad eos etiam pœnitentiæ ac emendationis documentum, ſi fieri poſſit, debet tranſmitti. Studium gloriæ Dei, & ſalutis hominum, officium illud fidelibus extorquet. *Actor.* 19. 19. 1 *Timoth.* 5. 20.

IX. 4. Illa verò peccata, quibus ſingularem aliquam & notam injuriam huic aut illi intulimus, debemus etiam ſingulariter ipſi, ſi fieri poſſit, confiteri, ad reſarciendam caritatem, quæ noſtra culpa diſſilivit. *Matth.* 5. 23. 24.

X. Publica etiam confeſſio coram Eccleſia, neceſſaria eſt, poſt ſcandalum publicum admiſſum. 2 *Corinth.* 2. 6. Hæc iiſdem rationibus nititur cum prioribus: & præterea debetur miniſteriali illi judicio, quod Chriſtus in Eccleſia, & per Eccleſiam exercet. *Matth.* 18. 17. 18.

CAPUT.

## CAPUT XVI.

### *De Promissione Deo facta.*

QUæstio prima. Qua in re consistit hujusmodi promissio?

I. Resp. 1. Essentialiter consistit in proposito sancto coram Deo repræsentato. *Psal.* 119. 30. 5.

II. 2. In illa repræsentatione contineri debet voluntas nosmetipsos obligandi, qualis est in juramento, *Psal.* 119, 106.

III, 3. Accedere solet ejusmodi voluntatis expressio, *Genes.* 28 2, 21, 23. 4. Solennis expressio hujus voluntatis maximè convenit rebus; & affectibus majoribus: cum vel in magnis angustiis versamur, ex quibus petimus liberationem. *Psal.* 66. 14. vel in magna lætitia ex singulari aliqua Dei benedictione, *Psal.* 118. 27.

Quæstio secunda. An necessario requiratur in oratione pia ut hujusmodi promissio Deo fiat?

IV. R. Requiritur, saltem implicitè, quoad propositum voluntatis. Quia petere aliquid à Deo, sine proposito illud ipsum omni legitimo conatu nostro assequendi; aut sine proposito, nomen ejus glorificandi de petitione concessa; aut Deum verbis laudare de ejus beneficiis nobis communicatis sine proposito factis etiam honorem ipsi tribuendi, aut denique, voluntatem ullam nostram Deo repræsentare, ut illius ratio habeatur coram ipso, sine proposito voluntatem ejus observandi, & convenienter tali actioni vivendi, hoc nihil aliud esset quam Deum aliquo modo irridere.

Quæstio tertia. Qualia debent Deo promitti?

V. Resp. 1. Non actio mala, vel res fœda aut vilis, *Deut.* 23. 18.

VI. 2. Non impossibilia, inevitabilia, neque illa quæ ex vocatione & facultate à Deo nobis collata, præstare

præstare nos & possimus, & parati simus. *Num*.30. 3, 4. *&c*.

VII. 3. Omnia illa sunt promittenda, quæ à Deo nobis præcipiuntur: quod intelligi debet, quatenus præstari possint per gratiam Dei absque speciali privilegio. Non licet enim simpliciter promittere abstenturos nos penitus ab omni peccato; quamvis debeamus spondere omnem curam & diligentiam pro nostro virili, vel potius infirmitate, per gratiam Dei in peccatis omnibus vitandis, & omni bono consectando. *Psal* 119.106.

VIII. 4. Omnia etiam illa possunt voveri, quæ quamvis non sint omnibus præcepta, omnibus tamen circumstantiis expensis, media possint esse nobis, vel Deum honorandi, vel præcepta ejus melius observandi.

Quæstio quarta. In rebus bonis & præceptis, quomodo potest nostra promissione, aut voto, obligatio addi obligationi illi, quæ nobis incumbit ex lege Dei?

IX. Resp. Non additur propriè in istis nova obligatio, neque augetur in sese prior, sed magis agnoscitur & recipitur à nobis, passive in istis æque fuimus antea obligati; sed activa recognitione arctius nobis applicatur à nobismetipsis.

Quæstio quinta. An res non præceptæ sint apta materia voti?

X. Resp. 1. Si simpliciter considerentur ut indifferentes, non debent Deo voveri: quia sic nihil habent conveniens, utile, aut aptum ad honorem Dei promovendum.

XI. 2. Quatenus tamen sunt media ad finem aliquem bonum, quo Deus glorificatur, rite ordinata, sunt apta materia voti.

Quæstio sexta. Qualis obligatio inducitur in hujus generis votis?

XII. R. Si votum sit licitum, obligatio est gravissima, quia religionis vinculum in voto continetur: atque

atque adeo illud quod antea fuit liberum, jam propter votum, factum est aliquo modo cultus Deo debitus. Quamvis enim subjecta materia, aut res quæ vovetur, per se sit indifferens & ad aliam aliquam virtutem per votum dirigatur, illius tamen voti observatio directe pertinet ad honorem illum, quem Deo ex religione debemus. Hujus igitur voti violatio, est perfidia profana adversus Deum: Perfidia, quia promissio non impletur: & profana, quia Deo facta est illa promissio, & pertinet ad ejus honorem.

## CAPUT XVII.

### *De Oratione mentali, & vocali.*

QUæstio prima. An sufficiat corde & mente orare?

I Resp. 1. Sufficit ad essentiam orationis: quia religionis virtus, quæ in oratione exercetur, actu interno exeri potest, quamvis nullus externus actus accedat 1 *Sam.*1.13. *Neh.*9 4. Deus etiam internum actum satis percipit, quamvis nullo externo signo exprimatur, *Psal.* 193, 4.

II. 2. Sed non sufficit semper ad officium orantis explendum: 1. quia Deus est glorificandus & religiose colendus à nobis, non tantum animis, sed & corporibus, atque adeo voce nostra 1 *Corinth.* 6. 20. 2. quia quamvis ad brevem ejaculationem desiderii, sufficere possit actus internus; difficile tamen est persistere in desideriorum nostrorum continuata repræsentatione coram Deo, nisi externus homo ab aliis rebus avocetur, ut simul cum interno hoc officium attendat. 3. Quia vox à corde profecta, auditur denuo & reciprocatur in ipsum, ita ut medium sit excitandi, continuandi, & augendi affectum illum pium, ex quo emanat. 4. Quia sæpe cum aliis orandum est, qui vocis nostræ beneficio ædificantur, & in ejusdem

ejusdem nobiscum orationis participationem admittuntur.

Quæstio secunda. Qualis attentio requiratur in oratione vocali?

a III. Resp. 1. Præcipua attentio non debet esse ad verba & vocem: 1. Quia illa sunt adjuncta tantum orationis, & possunt eodem modo usurpari ab eo qui non orat, ut ab amente, dormiente, infante, ludente. 2. Quia in tali attentione, studetur magis nostræ inani gloriæ, quam gloriæ Dei. 3. Quia hac ratione non promovetur, sed impeditur, minuitur, aut tollitur internus ille affectus, in quo orationis essentia consistit.

IV. 2. Aliqua tamen attentio ad verba requiritur: 1. Ut sint decentia, ne aliquid Deo & cultu ejus indignum eis immisceatur. 2. Ut sermo, quantum fieri possit, talis sit, qualem docet Spiritus sanctus. 1 *Cor*. 2. 13. 3. Ut humano modo proferantur, sed spirituali tamen habitu naturæ rei accommodato, quasi vestiantur. 4 Ut, si cum aliis oretur, eorum inserviant ædificationi.

b Quæstio tertia. Quale multiloquium sit, quod prohibetur à Domino, *Matth*. 6. 7.

V. Resp. 1. Non prohibetur omnis oratio prolixa: Christus enim ipse solebat aliquando in oratione pernoctasse. Neque ejusdem orationis repetitio ingeminata: illud enim Christus etiam suo exemplo approbavit. *Matth*. 26. 44.

VI. 2. Sed prohibetur, 1. affectatio prolixitatis & multiplicis repetitionis. 2. Istiusmodi rerum æstimatio, quasi valerent ad exauditionem. Prolixitas & repetitio, quæ non procedit ex abundantia interni affectus, sed ex ejus vacuitate.

a Quæstio quarta. An in precibus adhibenda sit certa aliqua, & præscripta forma verborum?

VII. R. 1. Licitum hoc esse aliquando, manife-

a Cura verborum. b Multiloquium. c Dei præscripta forma orationis.

stum

ſtum eſt, ex approbata ſanctorum praxi, quam in præſcriptis pſalmis, & benedicendi formulis, Scriptura nobis commendat.

VIII. 2. Utile etiam & neceſſarium eſt quibuſdam, iſtiuſmodi formam ſequi, quamvis ex libello ſit denotanda. 1. Quia ſunt quidam fideles adeo rudes, ut non poſſint ſua deſideria commodis verbis, ulla ex parte explicare.

IX. 2. Alii ſunt, qui quamvis poſſint hoc præſtare, quatenus ipſis privatim ſufficiat; ſi tamen cum aliis orandum ſit, vel facultate idonea deſtituuntur, vel eam exerendi libertate. 3. Non deſunt etiam, quibus utile eſt, ut hujuſmodi media in ſuis meditationibus ac deſideriis quaſi tegantur.

X. 3. In iſthoc tamen orandi modo non debet quiſquam acquieſcere: ſed eo potius niti, ut poſſit animi ſui ſenſus, abſque hujuſmodi adminiculo coram Deo explicare, 1. Quia formula præſcripta dum affectus noſtros inter nos non plane ſequitur, ſed ducit, minus perfecte illud agit, quod eſt ex natura orationis. 2. Quia formula præſcripta, non poſſunt explicari particularia illa omnia, quæ noſtra intereſt proponere coram Deo. 3. Quia etiam inter orandum Deus ſolet in cordibus noſtris excitare ſpeciales affectus, qui ſæpe impediuntur, & extinguuntur, ſi præſcriptæ formulæ perpetuo adhæreamus. 4. Quia hac ratione, obrepit nobis oſcitantia, & tepiditas, & torpor quidam inter orandum, ita ut formula dicatur tantum ex conſuetudine, & pro forma.

Quæſtio quinta. An Oratio dominica ſit formula nobis præſcripta, & obſervanda?

XI. 1. Chriſtus illam orationem docens, non voluit nobis præſcribere formulam verborum conſtanter obſervandam: ſed exemplar, vel ideam, ſecundum quam orationes noſtras dirigere debemus. Hoc inde ſatis apparet, quod non legamus, Apoſtolos illam formulam unquam uſurpaſſe.

XII. 2.

XII. 2. Non expedit huic formulæ adhærere, 1. quia particulariter magis, prout occasio datur, sæpe debemus orare. 2. Quia hac ratione apud Pontificios quasi incantandi carmen evasit. 3. Quia sic non proficitur in spiritu ac dono orandi.

## CAPUT XVIII.

### *De Orationis gestu.*

QUæstio prima. An ino omni oratione sit aliqua ratio gestus corporis habenda?

I. Resp. 1. In brevioribus ejaculationibus desiderii nostri coram Deo, gestus externus nec potest attendi, nec usum ullum habet, nisi qua naturaliter, & sine intentione destinata, sua sponte sequitur ex interno animi motu.

II. 2. In oratione secreta, quæ Dei cognitioni tantum præstatur, præsentibus tamen aliis, gestus & signa externa, quantum potest, debent occultari. *Neh.* 2.4. ne scil. suspicionem præbeamus vel hypocriseos, vel affectationis inanis gloriæ, cum Pharisæis, *Matth.* 6.5.

III. 3. In oratione privata solitaria, aliqua cura gestuum est utilis, propter nosmetipsos: quia sicut voce, sic etiam gestu & habitu corporis, interni affectus vel excitantur, vel sustentantur, & continuantur, *Dan.* 6.11.

IV. 4. In oratione cum aliis habenda, sive sit privata, sive publica, externorum gestuum & signorum strictior observatio est adhibenda, propter alios: partim ne illis præbeamus malam suspicionem non curantiæ: aut eos aliquo modo perturbemus, aut scandalizemus; & partim ut eorum devotionem nostro exemplo adjuvemus, *Psal.* 95.6.

Quæstio secunda. Qualis gestus requiratur?

V. Resp. 1. Gestus (in genere) tales debent esse, ut sanctè exprimant internos animi motus.

VI. 2.

VI. 2. Quia autem in omni oratione requiritur humilitas singularis, idcirco communis gestus solennis orationis, debet esse huic demissioni consentaneus, qualis est detectio capitis: & maxima ex parte, genuflexio, corporis incurvatio, aut erectio. Sessio per se, non est gestus orandi: quia nullam exprimit reverentiam, neqne in Scripturis approbatur.

VII. 3. Quia etiam in omni oratione, desiderium nostrum cum fiducia, ac spe, in Patrem nostrum cœlestem dirigitur, idcirco oculorum & manuum elevatio, convenit etiam omni orationi solenni.

VIII. 4. Particulares alii gestus singulares, in oratione cum aliis, non sunt adhibendi: propter causas ante dictas. In oratione privata, non tam sunt affectandi, quam ex animi impulsu admittendi.

Quæstio tertia. Quis usus sit faciei tegendæ inter precandum?

Resp. Nullus alius, nisi ut vel caveamus nobis ab avocationibus, quæ per oculos possunt insinuari; vel celemus singulares illos gestus, qui nobis aliquando sunt necessarii, sed aliis inepti aut hypocritici viderentur. Istis occasionibus demptis, tectio faciei convenit potius mulieribus, quam viris, 1 *Cor.* 11. 1. 5.

## CAPUT XIX.

### *De Cantu.*

QUæstio prima. Quem usum habet cantus supra communem pronunciationem?

I. Resp. 1. Suavem quandam delectationem adfert animis piis, *Psal.* 104. 34.

II. 2. Meditationem habet magis distinctam, & fixam, *ibid.*

III. 3. Magis copiosam & amplam habet pietatis professionem, *Col.* 3. 16.

IV. 4.

IV 4. Majorem habet ædificationis mutuæ communionem, si cum aliis fiat, *Eph.* 5. 19.

Quæstio secunda. An cantus æquè conveniat animo ægro atque læto?

V. Resp. Magis propriè convenit lætitiæ. *Iac.* 5. 13. propter suavem illam dilationem cordis, quam præ se fert. convenit tamen tristitiæ anteactæ utiliter commemorandæ: ut patet ex Psalmis illis qui dicuntur pœnitentiales: & aliquando etiam tristitiæ tollendæ, *Prov.* 25.20.

Quæstio tertia. Quomodo debeamus cantare Psalmos illos historicos, qui ad alios homines, & alia tempora spectant?

VI. Resp. 1. Si ita de illis meditemur, ut consolationem & spem inde percipiamus, *Rom* 15. 4.

VII. 2. In istum autem finem debemus cogitatione quasi induere personam, vel eorum de quibus illi Psalmi componebantur, vel eorum qui eos componebant: ita ut quicquid ibi dicatur, aliquo modo nobis dictum cogitemus.

Quæstio quarta. Quomodo possimus rectè cantare Psalmos illos, qui continent diras imprecationes?

VIII. Resp. 1. Possumus ex imprecationum illarum occasione cum timore & tremore meditari de horrendis Dei judiciis contra impœnitentium hominum peccata.

IX. 2. Possumus inde in patientia & consolatione proficere adversus tentationes, quæ oriri solent ex prosperitate impiorum, & piorum afflictione.

X. 3. Possumus etiam Deum simul precari, ut justam suam vindictam accelerare velit (non adversus nostros privatos inimicos;) sed adversus impios & incurabiles Ecclesiæ hostes.

CA-

## CAPUT XX.

### *De Petitione.*

Quæstio prima. Quomodo spiritualia sunt à Deo petenda?

I. Resp. 1. Eo modo omnia sunt petenda, quomodo sunt promissa. Spiritualia igitur bona quatenus sunt ad salutem necessaria, ad salutem debent absolutè peti: quia sunt absolutè promissa fidelibus, & petentibus, *Luc.* 11. 13.

II. 2. Spiritualia illa bona, quæ gradus admittunt, non possunt in omni gradu absolutè peti: quia res ipsæ, non gradus earum, sunt absolutè necessariæ, & à Deo absolutè promissæ, 2 *Corinth.* 12. 8, 9.

III. 3. Illam tamen gratiæ Dei mensuram, quæ necessaria est nobis, ad crimina aut scandala vitanda, & conscientiam bonam retinendam, absolutè petere debemus, *Iac.* 1. 5. 6. 1 *Cor.* 10. 13. *Psal.* 19. 15.

*a* Quæstio secunda. Quomodo temporalia sunt à Deo petenda?

IV. Resp. 1. Temporalia sunt tantum secundaria objecta spei nostræ: quatenus nempe faciunt ad beatudinem spiritualem; quod quia nobis non est certo notum, idcirco illa non possumus petere cum illa firmitudine spei, in particulari, qua spiritualia petimus: neque debent peti affectu tam acri & intenso, sed secundario, & remissiore, *Matt.* 6. 33.

V. Quatenus possumus sperare, temporalia nobis ad salutem profutura, & in gloriam Dei cessura, eatenus possumus illa petere. *Orat. Dom.* *Petr.* 4.

VI. 3. Petitio talis non est formaliter conditio-

a De petitione temporalium bonorum.

nalis, vel verbis, vel sensu. Quia sicut conditionalis assertio nihil certo asserit aut ponit de antecedente; sic conditionalis petitio, nihil petit.

VII. 4. Neque est generalis tantum petitio, ut Deus ageret nobiscum, sicut novit expedire, ad suam gloriam, & salutem nostram. Sic enim ægrotus aliquis non magis peteret liberationem à morbo, quam ejus continuationem, aut augmentum.

VIII. 5. Est igitur petitio absoluta, sed adjunctam habens vel expressam, vel tacitam subjectionem ad Dei sapientissimam ordinationem.

a Quæstio tertia. An omnia desideria nostra legitima possint Deo in petitione repræsentari, ut impleantur?

IX. Resp. Nequaquam: quædam enim desideria sunt licita, quorum tamen contraria sunt eligenda, *Philip*. 1, 23, 24, 25. quædam etiam desideria licita sunt ita levia, ut Deo non debeant commendari: quale est vincendi desiderium in lusoria aliqua contentione.

Quæstio quarta. Pro quibus orare debemus?

X. Resp. 1. Pro omnibus & singulis, qui sunt in vivis orare possumus aliquo modo: quia bonitas aliqua Dei extenditur ad omnes, 1 *Tim*. 4, 10.

XI. 2. Non possumus pro omnibus hominibus collectivè precari, ut serventur: quia constat nobis ex Scripturis non esse omnes salvandos.

XII. 3. Possumus tamen pro singulis speciatim orare, ut salvi fiant (nisi extra ordinem contingat aliquid quod impediat) quia de singulis, ex caritate, optime sperare debemus.

XIII. 4. Possumus ac debemus iisdem bona spiritualia precari, quibus temporalia bona auferri justè rogamus, dum per illa vel sibi vel aliis no-

a An omnia quæ desiderari possunt, possunt etiam Deo peti?

cent

cent. Et hæc est ratio pro potentibus Ecclesiæ hostibus orandi.

Quæstio quinta. An eodem plane modo pro aliisq́, ac pro nobismetipsis possimus orare?

XIX. Resp. Possumus ac debemus hoc facere eadem caritate: sed eadem fide, ac spe non possumus: quia fide non tam propriè aliis, quam nobismetipsis apprehendimus & applicamus promissiones Dei.

## CAPUT XXI.

### *De Iejunio*

QUæstio prima. Qualis abstinentia requiratur in jejunio religioso?

I. Resp. 1. Major abstinentia requiritur, quam communis regula temperantiæ præscribit. Temperantia enim debet esse perpetua: sed jejunium extraordinarium est, & ex occasione singulari.

II. 2. Abstinentia hæc non tantum circa cibum & potum versatur, sed etiam circa alia omnia, quibus voluptati corporeæ indulgetur, *Dan.* 10, 3.

III. 3. Talis ac tanta debet esse abstinentia, ut ex illa reddamur aptiores ad extraordinariam humilitatem, *Exe.* 8, 21.

IV. 4. Quia vera omnes & singuli non sunt ejusdem temperamenti & constitutionis; idcirco hæc aptitudo ad religiosam humiliationem varietatem aliquam infert abstinentiæ: ita ut ille gradus abstinentiæ quibusdam sit utilis & necessarius, qui aliis esset impedimento: neque possit certa regula particularis de gradu & mensura abstinentiæ, omnibus & singulis præscribi.

Quæstio secunda. Quia in re consistit religio jejunii?

V. Resp. 1. Religiosum jejunium à naturali &

nalis, vel verbis, vel sensu. Quia sicut conditionalis assertio nihil certo asserit aut ponit de antecedente; sic conditionalis petitio, nihil petit.

VII. 4. Neque est generalis tantum petitio, ut Deus ageret nobiscum, sicut novit expedire, ad suam gloriam, & salutem nostram. Sic enim ægrotus aliquis non magis peteret liberationem à morbo, quam ejus continuationem, aut augmentum.

VIII. 5. Est igitur petitio absoluta, sed adjunctam habens vel expressam, vel tacitam subjectionem ad Dei sapientissimam ordinationem.

a Quæstio tertia. An omnia desideria nostra legitima possint Deo in petitione repræsentari, ut impleantur?

IX. Resp. Nequaquam: quædam enim desideria sunt licita, quorum tamen contraria sunt eligenda, *Philip*. 1, 23, 24, 25. quædam etiam desideria licita sunt ita levia, ut Deo non debeant commendari: quale est vincendi desiderium in lusoria aliqua contentione.

Quæstio quarta. Pro quibus orare debemus?

X. Resp. 1. Pro omnibus & singulis, qui sunt in vivis orare possumus aliquo modo: quia bonitas aliqua Dei extenditur ad omnes, 1 *Tim*. 4, 10.

XI. 2. Non possumus pro omnibus hominibus collectivè precari, ut serventur: quia constat nobis ex Scripturis non esse omnes salvandos.

XII. 3. Possumus tamen pro singulis speciatim orare, ut salvi fiant (nisi extra ordinem contingat aliquid quod impediat) quia de singulis, ex caritate, optime sperare debemus.

XIII. 4. Possumus ac debemus iisdem bona spiritualia precari, quibus temporalia bona auferri justè rogamus, dum per illa vel sibi vel aliis no-

a An omnia quæ desiderari possunt, possunt etiam Deo peti?

cent

cent. Et hæc est ratio pro potentibus Ecclesiæ hostibus orandi.

Quæstio quinta. An eodem plane modo pro aliis, ac pro nobismetipsis possimus orare?

XIX. Resp. Possumus ac debemus hoc facere eadem caritate: sed eadem fide, ac spe non possumus: quia fide non tam propriè aliis, quam nobismetipsis apprehendimus & applicamus promissiones Dei.

## CAPUT XXI.

### *De Iejunio*

QUæstio prima. Qualis abstinentia requiratur in jejunio religioso?

I. Resp. 1. Major abstinentia requiritur, quam communis regula temperantiæ præscribit. Temperantia enim debet esse perpetua: sed jejunium extraordinarium est, & ex occasione singulari.

II. 2. Abstinentia hæc non tantum circa cibum & potum versatur, sed etiam circa alia omnia, quibus voluptati corporeæ indulgetur, *Dan.* 10, 3.

III. 3. Talis ac tanta debet esse abstinentia, ut ex illa reddamur aptiores ad extraordinariam humilitatem, *Eze.* 8, 21.

IV. 4. Quia vera omnes & singuli non sunt ejusdem temperamenti & constitutionis; idcirco hæc aptitudo ad religiosam humiliationem varietatem aliquam infert abstinentiæ: ita ut ille gradus abstinentiæ quibusdam sit utilis & necessarius, qui aliis esset impedimento: neque possit certa regula particularis de gradu & mensura abstinentiæ, omnibus & singulis præscribi.

Quæstio secunda. Quia in re consistit religio jejunii?

V. Resp. 1. Religiosum jejunium à naturali & civi-

civili, in eo differt, quod à religione imperatur: id est, directè & immediatè, ad cultum & honorem Dei refertur.

VI. 2. Non tamen ita refertur ad Dei honorem ut pars cultus, sed tantum ut medium, quo verus cultus promovetur.

VII. In testamento Novo, non est propriè medium cultus, vel qua efficit aliquid, vel ex institutione significat, vel qua coram Deo, vel coram hominibus, sed quatenus disponit ad extraordinarium exercitium cultus.

VIII. 4. Disponit autem præcipuè impedimenta illa removendo, quæ extraordinariæ Dei invocationi repugnant.

Quæstio tertia. An liceat hujusmodi jejunia publicè indicere?

IX. Resp. Non ad placitum: quia nihil est religiosum, quod omnino pendet ex voluntate humana: sed ex causa extraordinariâ, vocare homines ad extraordinariam Dei invocationem, hoc & licitum est & pium.

Quæstio quarta. Quibus causis præcipuè improbanda sunt Pontificiorum jejunia?

X. Resp. 1. Quod stata quædam tempora, ex ordine recurentia jejuniis dicantur: quod naturæ extraordinarii exercitii, ex occasione speciali pendentis, planè repugnat: ita ut formam jejunii, sine vi & potestate ejus introducat.

XI. 2. Quod illa tempora nonnunquam producant ultra spatium, vel exercitio extrordinario, vel abstinentiæ jejunii congruens: ut in quadragesima: unde etiam forma illa jejunandi necessario redditur magis inanis.

XII. 3. Quod in illis temporibus, delectum quendam habent ciborum: & ridiculum, dum carne abstinentes, vino & cupediis utuntur: & impium, quia carne abstinent, tanquam pro illo tempore, immunda, quæ est doctrina dæmoniorum.

XIII. 4. Quod hæc tempora, & hunc ciborum dele-

delectum, legibus humanis, & conscientiam obligantibus, toti Ecclesiæ obtrudunt: eaque magis rigidis & severis pœnis sanciunt, quam legem ipsam Dei.

XIV. 5. Quòd cultum collocent in ipsa abstinentia, quam præscribunt.

XV. 6. Quod satisfactionem & meritum suis jejuniis asscribant.

## CAPUT XXII.

### *De Juramento.*

QUæstio prima. An juramentum sit licitum Christianis?

I. Resp. Est evidenter licitum ex natura sua: 1. Quia non est intrinsecè malum ex natura sua: nihil enim continet, præter confirmationem testimonii nostri, per invocationem testimonii Dei. Si etiam intrinsecè malum esset, tum nunquam fuisset licitum: cum tamen nemo Christianus negabit, quin licitum fuerit sub veteri testamento.

II. 2. In veteri testamento, non fuit pars legis vel ceremonialis, vel judicialis: quia nihil habet proprium Judæorum; ergo juris fuit moralis: quod æquè ad Christianos pertinet, atque ad Judæos.

III. 3. Quia nulla ratio reddi potest, cur olim licitum fuerit jurare, quæ non æquè locum habet inter Christianos.

IV. 4. Quia laudata sunt exempla juramenti adhibiti in testamento novo, 2 *Cor.* 1. 23. *Apoc.* 10. 6.

V. Cum Christus vetat omnino jurare, *Matth.* 5. 34. formulas illas jurandi simpliciter vetat, quas nominat cum earum similibus: & simul juramentum illum admiscere in familiari sermone, aut sine necessaria causa; quoniam Judæi putabant mandatum tertium non violari, si hunc in modum jurarent: sed tantum si pejerarent, *Jac.* 5. 12.

Quæstio secunda. An licitum sit per creaturas jurare?

VI. Resp. Pontificii docent, posse aliquem jurare per creaturas, duplici ratione: per creaturas irrationales, præsertim sacras, & Deo dicatas., in ordine & relatione ad Deum. Per creaturas autem quasdam rationales, id est, angelos, & sanctos in cœlo regnantes absolutè.

VII. Nonnulli etiam ex nostris, quamvis absolutum illum modum per creaturas jurandi damnent, relativum tamen admittunt: ex *Matth.* 5. 34. & 23, 16. &c.

VIII. Sed neutra sententia est admittenda. Quamvis enim creatura possit inter jurandum nominari, ut 1 *Cor.* 1. 23. non possunt tamen absolutè spectari, sine sacrilegio, & idololatria: sicut ex natura rei patet. Neque relativè adhiberi loco Dei ipsius, sine peccato.

IX. 1. Quia nullam approbationem habemus hujusmodi formularum in Scripturis. Christus enim, *Matth.* 23. 16. non formas approbat faciendas, sed factas obligare tantum docet. Apostolus 1 *Cor.* 15. 31. non propriè jurat, sed probat, se morti obnoxium fuisse, & 1 *Tim.* 5. 21. Angelos in testes appellat, sicut homines præsentes possunt per obtestationem nudam appellari.

X. 2, Quia jurare per creaturam in relatione ad Deum, est religiosè invocare creaturam in relatione ad Deum. Hoc autem in Scripturis (ex omnium nostrorum confessione) ubique damnatur.

XI. 3. Scandalum adferunt tales formulæ: & jurantibus eo modo ad exemplum aliorum, sine distinctione relativi juramenti ab absoluto, & etiam audientibus, qui non possint dignoscere, quando licitè, & quando illicitè juratur.

XII. 4. Tales formulæ, minuunt reverentiam juramentorum, & hac ratione efficiunt, ut nimis familiariter, ac temere adhibeantur, etiam ab iis

ab iis, qui non sunt profani; sicut videre est in Judeis.

XIII. 5. Hæretici primi auctores fuerunt istiusmodi formularum, in Ecclesia Dei: qui etiam eo nomine damnati fuerunt. Elixai (qui Ossenorum hæreticorum sectator, tempore Trajani vixit) docuit, jurandum esse per salem, aquam, panem, terram, cœlum, æthera, ventum: quem refutans Epiphanius lib. 1. per solum Deum jurandum esse contendit, secundum illud in lege: non erunt tibi alii Dii. De Manichæis etiam inter eorum novitates refertur ab August. lib. 19. contra Faust. cap. 22 quod *jurabant sæpissime, nulloque mentis scrupulo, per creaturas.*

XIV. 6. In jure civili, ab optimis interpretibus, damnantur hujusmodi formulæ. Wesembec. dig. lib. 2. tit. 2. Imperatores, Arcad. & Honor. in L. *si quis major*, Cod. *de transactionibus*, sic edicunt; *eos etiam hujus legis vel jactura dignos esse jubemus, vel munere, qui nomina nostra placitis inserentes, salutem Principum confirmationem initarum juraverint esse pactionum.*

Object. Quid igitur sentiendum de iis formulis, in quibus mentio fit *animæ, vitæ, salutis, mortis, damnationis? &c.*

XV. Solut. In istis formulis execratoriis, per Deum directè juratur; & istis additionibus, efficaciter ostendunt jurantes, quod severo Dei judicio se exponunt, ut si fallant, vel rebus optimis priventur, vel maximis malis afficiantur. Cum verò attestatio ipsa per creaturam fit, hoc nulla ratione potest excusari.

Quæstio tertia. Quid sentiendum de formulis illis usitatis, *in fide, in veritate, & in conscientia?*

XVI. Resp. Non sunt juramenta, quia novam attestationem non addunt testimonio confirmando, sed illud tantum serium, deliberatum, syncerum, & certum declarant. Ab iis tamen for-

 mulis,

in quibus particula *per* ad creaturam refertur, abstinendum est, tanquam à specie mali & scandalo.

Quæstio quarta. Quid sentiendum de usitata illa formula; qua *sacramentum*, aut tale quid nominatur, jurandi causa?

XVII. Resp. Præter commune peccatum quod semper admittitur, cum per creaturas juratur, accedit etiam vel superstitiosa opinio de talibus rebus, vel saltem communicatio quædam cum illa superstitione.

Quæstio quinta. An liceat in jurando uti æquivocatione vel amphibologia?

a XVIII. Resp. 1. Æquivocatio in juramento duplici ratione adhibetur, 1. cum verba ipsa quæ usurpantur, sunt ambigui sensus, & illo sensu accipiuntur à jurante, quem audientes cupit celare, ut alio sensu ab ipsis accipiantur. Ut, si Gallus aliquis de gente sua rogatus, juraret, se non esse gallum, intelligens gallum gallinaceum. Aut si quis rogatus, an Petrus esset domi, responderet non est, id est, non comedit. 2. cum verba ipsa quæ adhibentur, unum simplicem habent sensum, sed per tacitam restrictionem, aut interpretationem quam sibi in mente reservat, in alium commutantur: quomodo S. Franciscum pium monachū fecisse scribunt, qui rogatus, qua perrexisset quidam homicida, qui juxta eum transierat, manus in manicas immittens, respondit non transisse illac, intelligens, non transisse eum per illas manicas. Quomodo etiam Jesuitæ plerique defendunt, sacerdotem rogatum an sit sacerdos, si vel à non juridico rogetur, vel rationabilem habeat causam veritatem dissimulandi, posse respondere, se non esse sacerdotem, dummodo intelligat, se non esse Sacerdotem Baal, aut Isidis, aut non esse sacerdotem ut alteri dicat. Prior illa

a De æquivocatorio juramento.

vocari

vocari potest verbalis æquivocatio, & altera mentalis.

XIX. 2. Mentalis æquivocatio in juramento, sine gravissimo peccato non potest adhiberi. 1. quia in juramento, testimonium aliis perhibemus maximè solenne, cum autem nihil certi verbis explicamus, sed fictum aliquid & simulatum, tum nihil aliis ex intentione testamur: juramenti igitur natura per istam simulationem violatur, & evertitur in primo ejus fundamento. 2. Quia mentalis hujusmodi æquivocatio, est mendacium directum & manifestum, quia verbis testatur tam contra mentem & conscientiam testis, quam contra rem ipsam. 3. quia fidem falsam suo testimonio audientibus ingenerare studet: quod non est permittere tantum eos decipi & falli, sed illos directè fallere ac decipere. 4. quia gravis est erga Deum injuria & provocatio, adferre ejus testimonium, quamquam ficte, ad rem falsam comprobandam, & propterea illud exterius juramentum fertur super mendacium grave, cum magna divini invocati testimonii illusione. 5 quia hac ratione aperitur janua omnibus mendaciis fovendis. Nihil enim est (ut Azor: Jes: observat) tam falsum, quod non queat ab omni mendacio liberari, si aliquid, arbitratu nostro, mente tacitum retineamus. Possemus enim quicquid à nobis petitur, quamvis id apud nos habeamus, diffiteri nos habere intelligentes, *ut demus*: quicquid fecerimus, viderimus, cogitaverimus, decrevimus, de eo rogati, possemus dicere, non fecimus, non vidimus, non cogitavimus, non decrevimus, eo nimirum sensu, *ut tibi dicamus*.

Object. 1. Ex ratione vocali, & restrictione mentali fit una ratio composita, & totalis, in qua nulla falsitas est: ut cum sacrificulus affirmat verbis, se non esse sacrificulum, intelligens, *ut alteri dicat*. Liberum autem est homini orationem suam componere ex terminis vocalibus & mentalibus.

XX. Solut. Quamvis oratio hujusmodi mixta possit pro axiomate admitti, quando quis secum aliquid commentatur, aut quando cum Deo solo negotium habemus, quia Deus & spiritus noster totum illud quod est in mente æquè percipiunt, ac si verbis exprimeretur; nullum tamen locum habet in testimonio coram hominibus ferendo: quia reservatio mentalis nihil testatur audientibus: qualiscunque igitur illa fuerit, testimonium est mendacium, & si juramento confirmetur, perjurium, cum illud quod in testimonio oratione vocali significatur, conscientiæ testis repugnat.

XXI. 3. Verbalis æquivocatio, est etiam illicita in juramento. 1. Quia nihil certi testatur: & sine testimonio certo, juramentum saltem est vanum. 2. Quia non tendit ad juramenti finem, ut sit *controversiæ terminus, veritatem confirmando, Hebræor.* 6. 16. sed in contrarium. 3. Quia fallit ac decipit audientes, quod juramenti naturæ adversatur, *si sciens fallo*. 4. Quia affirmatio aut negatio quæstionis propositæ, si ex conscientia respondentis, non verè conformetur sensui rogantis aut quærentis, est mendacium. Quæstio enim ipsa, eo sensu quo proponitur, est sententia testanda, & affirmatio, vel negatio ejus, quæ cum illo sensu consistere non potest, est falsitas; quæ si sit contra conscientiam testantis, non potest non esse mendacium completum. 5. Quia juramentum istiusmodi mendacium confirmans, perjurium est manifestum, ex natura rei: & ex ipsa intentione jurantis, est profanatio nominis divini.

Object. Si minus juridicè rogemur, aut injuria nobis inferatur, fas & integrum nobis est, nostro bono consulere, dummodò ambigue loquamur.

XXII. Sol. Nulla injuria nobis ab hominibus illata, justam causam nobis præbere potest injuriam faciendu nomini divino. Gravis autem fit injuria

juria Deo, in mendacii peccato, & multo gravior in perjurio.

Quæstio sexta. Quo sensu accipi debent verba juramenti?

XXIII. Resp. Eo sensu quem audientes concepturos judicamus: id est, regulariter, in sensu quem habent in communi hominum usu. Quia verborum significatio pendet ex hominum usu.

Quæstio septima. An liceat aliquando respondere ad intentionem petentis præcipuam & remotam? verbi gr. cum civitas aliqua non admittit cives alterius civitatis, quam falso putat peste infectam, si rogetur aliquis inde veniens, an ab illa civitate venerit, possit tuto juratus negare, vel quia civitas non est infecta, vel quia civitate infecta, novit semetipsum esse immunem, & sic principali intentioni rogantis satisfacit cum veritate?

XXIV. Resp. Non licet. Quia quæstio proponitur, & juramentum non exigitur propriè circa finem, qui præcipuè intenditur, sed circa medium illud singulare, quod ad finem illum spectare videtur. Quæstio autem & affirmatio aut negatio ejus unum & idem constituunt axioma.

Quæstio octava. An strictè semper sunt accipienda verba juramenti, prout sonant?

XXV. Resp. 1. Juramentum propter periculum perjurii, est stricti juris & interpretationis, ita ut non admittat latiores illas explicationes, quæ in factis, aut dictis aliis sæpe locum habent.

XXVI. 2. In juramento tamen subintelligi sæpe debent conditiones illæ, quæ ex more & consuetudine recepta, concipi præsumuntur ab iis, ad quos juramentum spectat. Ex. gr. 1. In omnibus promissoriis juramentis, subintelligitur illa conditio, *si Deo placuerit*: 2. In iis rebus, quæ superioris potestati subjiciuntur, subintelligitur, *si ipsi etiam placuerit*. De rebus ita mutabilibus, ut rem promissam faciant illicitam subintelligitur, *si res in eodem statu permanserint*. 4. Quia

jurat, se statuta societatis alicujus servaturum, subintelligere judicandum est, prout illa statuta sunt in more posita, & approbata consuetudine ab aliis observantur. 5. Qui jura stare præceptis aut statutis alicujus vel hominis vel societatis, eo sensu debet intelligi, ut juramentum non extendatur, nisi ad verisimiliter cogitata, non ad ea, quæ si cogitationi jurantis occurrerent, verisimile est, eum non promissurum.

Quæstio nona. An omne juramentum obliget jurantem. ad impletionem sui?

XXVII. Resp. Obligat omne juramentum, quatenus aliquid licitum & possibile testatur: sed non ultra. Hinc 1. Obligat juramentum tale, etiam si per vim, aut metum extorqueatur, tametsi cum injuria conjungatur. Duplex enim in juramento promissorio est obligatio, una homini, altera DEO. Quamvis autem injuria facta tollat obligationem respectu hominis injuriam inferentis, quoniam in injuria nullum jus fundatur; manet tamen obligatio Deo facta, quæ sine irreverentia & injuria Dei, non potest admitti, & insuper haberi. Hic est casus hominis à latronibus ad juramentum adacti, de redemptionis pretio solvendo. Vel non jurare debet vel juramentum quod licitum habet, religiosè observare.

XXVIII. 2. Quamvis error circa substantiam rei, quæ juramento spectatur, vel circa propriam causam, promissionis obligationem tollat, qui casus est matrimonium contrahentis cum una persona particulari, quam putat esse aliam: error tamen circa circumstantiam aliquam, vel causam extrinsecam & accidentariã, non tollit obligationem: qui casus fuit Israëlitarum, erga Gibeonitas, *Jos.* 9. & ejus, qui matrimonium contrahit cum plebeia, aut paupere, putans, eam nobilem, aut divitem esse. In primo errore testimonium, nullum fuit; sed in secundo, testimonium licitum adhibetur.

XXIX.

XXIX. 3. Juramentum posterius, contra juramentum, aut etiam promissionem antecedentem & honestam, non obligat: quia tale juramentum est planè, ex intrinseca sua natura, ex supposita promissione antecedente, illicitum.

XXX. 4. Juramentum de peccato aliquo committendo, aut officio omittendo, non tantum non obligat, quia res mala nullam vim accipit à juramento: sed si observetur, auget reatum; quia tum duo peccata committuntur: unum ejus speciei, cujus est factum per se consideratum, & alterum contra religionem, ex irreverentia & abusu nominis Dei, quatenus propositum malum auctoritate Dei firmatur.

XXXI. 5. Juramentum tamen licitè factum, quamvis observatio ejus majus bonum impediat, debet impleri, nisi illud bonum tale sit, ut generalem inferat obligationem, & generaliter, tanquam exceptio, in promissione tali, subintelligatur.

Quæstio decima. An juramentum defuncti obliget hæredes, & successores?

XXXII. Resp. 1. Non propriè obligat, sub ratione juramenti: quia juramentum est vinculum personale. Cives igitur non sunt propriè perjuri, si non impleant statuta, à majoribus jurata, quæ ipsi non jurarunt.

XXXIII. 2. Obligat tamen aliquando ratione rei, quæ causam propriam dedit juramento. Si scil. contractus ratio intercedat; qui casus est illius, qui jurat, se hoc aut illud soluturum, aut facturum, modo tali commodo illa ratione fruatur. Hæredes enim si illo commodo frui velint, eodem juramento tenentur.

Quæstio undecima. An, & quomodo, auferri possit obligatio juramenti?

XXXIV. Resp. 1. Nulla absolutio à juramento, propriè sic dicta, vel per dispensationem, (quæ est simplex vinculi solutio) vel per com-

commutationem, (quæ est vinculi ab una materia in aliam translatio) potest ab humana auctoritate exspectari. Quia religio juramenti pertinet ad forum divinum, atque adeo non subest foro humano. In dubitationibus illis, quæ incidere solent circa juramenta, consilium peritiorum multum juvat: sed auctoritas vinculum juramenti, vel ex toto per dispensationem, vel ex parte, per commutationem solvendi, nulli generi aut ordini hominum est concessa

XXXV. 2. Datur tamen irritatio juramenti aliquando per superiores, si in illa ipsa materia sint superiores, circa quam juramentum versatur. Sic Parentes, Mariti, Domini, Principes irrita pronunciare possunt, vel juramenta, vel vota à filiis, uxoribus, servis, subditis facta, sine ipsorum consensu, in iis rebus, quæ ipsorum potestati subjiciuntur.

XXXVI. 3. Quum aufertur ratio formalis juramenti, juramentum cessat ratione eventus: qui casus est eorum, qui jurarunt se obedituros Domino aut Principi alicui, postea cessat esse talis.

XXXVII. 4. Quum juramentum factum spectet solummodo obsequium, vel commodum hominis, cui aliquid promittitur, tum cessat obligatio, ex remissione vel consensu illius hominis, cui promissio facta est. Ratio est, quia fundamentum hujusmodi promissionis cessat, & ex natura rei, includitur semper ista conditio in tali promissione, nisi alter condonaverit, aut remiserit. Hic est casus creditoris erga debitorem, & similium. Sed non potest hoc ad sponsaliorum contractum extendi: quia ibi non utilitas hominis tantum spectatur, sed institutum Dei.

Quæstio duodecima. An liceat alicui eum inducere ad jurandum, quem novit, aut vehementer suspicatur, contra conscientiam juraturum?

XXXVIII.

XXXVIII. Resp. Non licet unquam determinatè petere, ut juret hoc quod falsum est. Neque licet indifferenter petere, ut talis juret, an hoc sit necne, nisi necessaria causa intercedente: quia & Deo injuriam faceret, & esset fratris homicida. Necessaria autem causa est judici hoc exigenti ad instantiam actoris, cum nullum aliud remedium potest adhiberi: quia non exigit tum in sua persona, sed nomine Actoris. Actori etiam aliquando potest esse causa necessaria hoc postulandi, cum scil. non potest alia ratione, grave incommodum vitare. Privato autem, illud credenti, privatim id exigendi, nulla potest esse necessaria causa: quia privata nulla utilitas potest inde redundare.

Quæstio decima tertia. An privato homini liceat eum ad jurandum inducere, quem scit falsum quidem juraturum, sed bona fide deceptum? e. g. Titius novit, Sempronium hoc anno non fuisse Franekeræ: scit præterea, Cajum bona fide putare, se eum hoc anno Franekeræ vidisse: quæritur an Titio fas sit, Cajum hortari, & rogare: ut juret, Sempronium hoc anno Franekeræ fuisse?

XXXIX. Respond. Non est hoc licitum: quia quamvis jusjurandum hoc in Cajo culpa vacaret, in Titio tamen suasore vel monitore haberet rationem perjurii. Ille quidem non tantam injuriam faceret Cajo, ac si eum induceret ad illud jurandum, quod ipsemet novit esse falsum: sed eandem injuriam faceret DEO, cujus nomine sciens abuteretur ad confirmationem falsi.

Quæstio decima quarta. An liceat homini Christiano, jusjurandum accipere, & exigere ab eo, quem scit per idola juraturum?

XL. Resp. Licet hoc facere ex gravi causa, sicut Jacob fecit, *Gen.* 31. 53. 1. Quia perversitas juramenti ab eo cui juratur, non respicitur, sed confirmatio testimonii & fidei datæ. 2. Quia uti malo ad

ad bonum, non est per se malum. 3. Quia non tam perversitate juramenti, quem communi ejus natura utitur ille, qui postulat simpliciter jusjurandum, non tale jusjurandum.

Quæstio decima quinta. An liceat judici, exigere à reo juramentum, de crimine ipsi objecto? Juramentum hoc *inquisitorium*, & *ex officio* vocatur.

XLI. Resp. 1. Non licet omnino de crimine planè occulto. Quia solus Deus judicat de occultis.

XLII. 2. Non licet juramentum alicui deferre, quo semetipsum de crimine cogeretur accusare. Quia est contra naturam, ut quis sibimet pœnam accersat. 2. Quia hac ratione, plerique inducerentur ad pejerandum.

XLIII. 3. Accusatione præeunte, non licet hujusmodi juramentum à quoquam exigere loco probationis, quia in testibus & argumentis illis, quæ testimonii vim habent, omne judicium debet fundari. *Deuter.* 19. 15. 2 *Corinth.* 14. 1.

XLIV. 4. Prævia infamia, aut probatione non sufficiente, & plena deficiente, potest quis admitti ad juramentum purgationis, si eo sese offerat paratum: *Exod.* 22. 11. sed non potest eo cogi.

XLV. 5. Si delictum sit notorium, potest quilibet generaliter etiam sub religione juramenti, interrogari de auctore, *Deut.* 21. 7.

Obj. 1. Adjurare licuit uxorem suspectam, *Num.* 5. 19.

XLVI. Resp. Fuit hoc singulare institutum, extraordinariæ dispositionis propter duritiem cordis Judæorum concessum, sicut repudium non adulteræ.

Object. 2. Jehosua postulat ab Achane, ut suum crimen agnosceret, *Jos.* 7. 19.

XLVII. Resp. Post accusationem & judicium, suadet tantum confessionem.

Object.

Object. 3. Dominus Pontifici adjuranti respondet. *Matth.* 26. 63, 64.

XLVIII. Resp. 1. Non legitimè fuit abjuratus, *Joh.* 18. 10, 21. 2. Non aliter quam Pilato non adjuranti. 3. Non ut fateretur crimen, sed ut testimonium veritati præberet, *Joh.* 18. 37.

## CAPUT XXIII.

### *De Sorte.*

QUæstio prima. Quomodo possit licitè usurpari?

I. Resp. 1. Sors illa, quæ mittitur ad inquisitionem quid sit de jure, nullo modo liceat. Quia verbum Dei est medium à Deo constitutum, ad regulam vitæ hominibus patefaciendam: neque unquam hanc suam voluntatem sorte revelavit.

II. 2. Sors consulatoria, vel divinatoria, ad veritatem occultam præteritam, vel ad aliquem eventum futurum præcognoscendum adhibita non potest esse licita, nisi fiat ex inspiratione divina. Quia medium hoc est extraordinarium, atque adeo non habet regulam ordinariam, neque potest adhiberi absque extraordinaria directione, sine temeraria tentatione Dei.

III. 3. Sors divisoria, quæ mittitur ad aliquid de facto determinandum, potest esse licita, vel illicita, secundum circumstantias, quibus vestitur. Illicita est, 1. Si fiat prava intentione, decisionem quæstionis, vel à fortuna, vel ab alia aliqua causa, præterquam providentia divina exspectando. Quin tum vel est vanitas mera, vel superstitionem habet admixtam. 2. Si fiat sine justa necessitate, aut prætermissis aliis ordinariis mediis providentiæ divinæ. Tum enim themeritatem habet admixtam, & per-

pertinet ad tentationem Dei. 3. Si fiat indebito modo, sive cum fraude, sive absque reverentia providentiæ divinæ. Est autem licita, si fiat. 1. Ex recta intentione, directionem Dei spectando. 2. Ex causa necessaria, quia non invenitur melior modus difficultatem ac dubitationem tollendi. 3. In materia congrua, ubi nullum est periculum injustitiæ, quia talium quæstionum decisionem habemus in verbo Dei. 4. Cum debita reverentia, ut admittatur id, quod sors tulerit, tanquam ex divina voluntate profectum.

Quæstio secunda. Quænam est causa justa sortis divisoriæ mittendæ?

IV. Resp. Cum nulla alia ratio occurrit, grave aliquod incommodum vitandi. Gravitas autem incommodi, aliquando pendet ex gravitate rei ipsius: ut, cum sorte eligitur, quis ex ministris idoneis permanere debet in civitate, tempore pestis grassantis. Pendet autem sæpe ex hominum affectu, ut cum inter socios, & omni modo pares mittitur sors ad jurgia vel discordiam tollendam.

a Quæstio tertia. An sortes lusoriæ, vel ludi illi, qui fortuna aut contingentia mera nituntur, sint liciti?

V. Resp. Istiusmodi ludi, sive merè nitantur fortuna, qui dicuntur aleares, sive principaliter illa nitantur, qui vocantur quasi aleares, ut ludus chartarum, & tabularum cum taxillis, sunt sua natura illiciti. 1. Quia non debet illud in ludum verti, quod sua natura singularem respectum habet ad specialem Dei providentiam. At vero sors ex sua natura quæstionis determinationem exspectat à speciali Dei providentia. Mera enim contingentia per se, nullam omninò aptitudinem habet ad quæstionem aliquam determinandam. Neque præter meram contingentiam, quidquam spectari potest in sorte, præ-

a Sortes lusoriæ.

ter

ter ſpecialem Dei providentiam, aut opem diaboli, vel ficti alicujus numinis in illa contingentia dirigenda. 2. Quia in iſtiuſmodi ludis, ratio ipſa ſortis, occaſionem præbet variis peccatis: ut blaſphemæ cujuſdem execrationis fortunæ, quando ſors eſt adverſa; prædicationis bonæ fortunæ, quando ſors favet; & pertinacis contentionis, propter expectationem ſortis æquioris.

Quæſtio quarta. Quid judicandum de ſortilegiis illis publicis, quibus multa bravia vel præmia exponuntur ſortito conſequenda?

VI. Reſp. 1. Eo modo poſſunt forſan inſtitui, ut eſſent licita. Si nempe opus ſit contributione ad uſum aliquem pium; & ad incommoda vitanda, permitteretur negotium ſorti, quinam contribuerent; & illi etiam qui ſortes mitterent, illud tantum exponerent, quod non illibenter donarent, atque adeo, non ex ſpe lucrandi, ſed ex intentioe largiendi, accederent ad ſortitionem.

VII. 2. Prout nunc uſurpari ſolent, videntur illicita: quia fraude, & fallacia, ad quæſtum comparantur, & occaſionem præbent multis.

## CAPUT XXIV.

*Hactenus de primo Præcepto. Jam de ſecundo. & 1. de Eccleſia.*

Quæſtio prima. An teneatur fidelis adjungere ſeſe certæ alicui Eccleſiæ particulari?

I. Reſp. Vel maxime ad hoc tenetur. 1. Reſpectu inſtitutionis Dei. *Matth.* 18.17. in qua non præcepti tantum, ſed & medii neceſſitas quædam continetur.

II. 2. Reſpectu præſentiæ Dei, & Chriſti. *Apoc.*

*Apoc.* 1. 13. si enim ad Deum accedamus ad illum etiam cœtum accedere debemus, ubi Deus est singulari modo præsens, ut à quærentibus eum possit inveniri.

III. 3. Respectu gloriæ Dei quæ hac ratione publicè promovetur & propagatur. Sicut enim nomen Dei in veteri testamento collocatum fuit Hierosolymis, sic nunc in Ecclesiasticis cœtibus, quamvis non in hoc aut illo loco.

IV. 4. Respectu fœderis & promissionis Dei. Qui enim sunt in Ecclesia, quasi directè subjiciuntur benedictionibus Dei, ut in ipsos effundantur, *Psal.* 65. 5. & 133. 3.

V. 5. Respectu professionis nostræ: quoniam alias fieri non potest, quin conturbentur signa illa, quibus fideles ab infidelibus discerni possint, 1 *Cor.* 5. 12.

VI. 6. Respectu mutuæ ædificationis, quæ sequitur per se, ex fidelium combinatione, *Heb.* 10. 24, 25. 1 *Cor.* 11. 17. & 12. 26, 27. *Rom.* 1. 12.

Quæstio secunda. Quali Ecclesiæ debemus nos adjungere?

VII. Resp. 1. Non nisi veræ, id est, fidem veram profitenti.

VIII. 2. Ex veris, eligere debemus puriorem, quantum in nobis.

IX. 3. Quamvis Ecclesiæ illi adjungere nos possumus, in qua multi defectus sunt necessario tolerandi, non tamen illi in qua necessario participare debemus peccata, *Ephes.* 5. 11. neque illo animo accedere licet ad ullam Ecclesiam ut ullos defectus nostro silentio foveamus, sed ut (quantum fieri possit cum ædificatione, iisdem tollendis operam navemus.

Quæstio tertia. An illius Ecclesiæ communio sit admittenda, quæ tolerat improbos, & bonis adversatur?

X. Resp. 1. Toleratio notoriæ improbitatis, est grave Ecclesiæ peccatum, *Apocal.* 2. 20. & sua natu-

natura tendit ad Ecclesiæ corruptionem, 1 *Cor.* 5. 6.

XI. 2. Polluit in sese communionem, iis improbis qui tolerantur, & illis etiam qui in causa sunt, ut tolerantur, & illis etiam qui in causa sunt, ut tolerentur, *Hag* 2. 13.

XII. 3. Participant istam pollutionem omnes illi, qui non student, quantum in ipsis est, scandala talia removere, 1 *Cor.* 5.

XIII. 4. Mixtura illa, quæ ex ista toleratione exoritur, minuit consolationem & ædificationem piorum.

XIV. 5. Omnes igitur omnibus legitimis mediis contendere debent, ut in illis Ecclesiæ vivant, ubi res pretiosa separatur à vili, *Jer.* 15. 19.

XV. 6. Ab illa tamen Ecclesia, ubi impii quidam tolerantur, & pii deprimuntur, separatio statim non est facienda, 3 *Joh.* 9. 10, 11. 1. Quia error potest esse aut infirmitas Ecclesiæ. 2. Quia patientia & longanimitas est adhibenda erga particularem fratrem, offensa aliqua præoccupatum: *Gal.* 6, 1. multo igitur magis erga integram societatem fratrum vel Ecclesiam. 3. Quia temerario piorum discessu, correctio malorum non promovetur, sed impeditur. 4. Quia ab illo cœtu ad puriorem non datur sæpe transitus, sine gravissimis incommodis: quæ caveri semper debent, quantum possunt absque peccato, imò faciunt aliquando, ut præceptum affirmativum desinat obligare, quod alias non possit non observari sine peccato.

XVI. 7. Si quis vel vexatione iniqua fatigatus vel suæ consulens ædificationi, vel in testimonium adversus improbitatem, à tali cœtu, ad puriorem tandem discedat, sine condemnatione Ecclesiæ illius quam relinquit, non est idcirco vel schismatis vel peccati alicujus arguendus.

Quæstio quarta. An illi Ecclesiæ adhærere liceat, cui potestas adimitur scandala removendi, & improbos expurgandi?

XVII. Resp.

XVII. Resp. 1. Potestas ipsa de jure vel quoad actum primum, non potest ab Ecclesia vera separari, quia immediatè & necessario fluit ab ipsa essentia. Fœdere enim illo continetur, quo fideles in Ecclesiam aggregantur.

XVIII. 2. Usus hujus potestatis, non potest adimi, sine gravi peccato auferentium, & atroci injuria eorum quibus aufertur.

XIX. 3. Neque debet Ecclesia in eo acquiescere, quod inique ab aliis oppressam se videt: pertinet enim ad officium Ecclesiæ, tueri libertatem illam, qua donata est à Christo.

XX. Si tamen pro libertate sua contendentes fideles, non possunt jus suum illa parte obtinere, nec sine gravissimis incommodis, ad liberiorem Ecclesiam accedere, & à peccati approbatione se abstineant, atque etiam defectum illum quantum in ipsis est, studeant supplere, non peccant, si tali Ecclesiæ se adjungant aut in ea persistant.

Quæstio quinta. An illi Ecclesiæ adhærere liceat, in qua desunt instituta quædam Christi, & eorum loco humana quædam sunt introducta?

XXI. Resp. 1. Defectus quorundam institutorum, quamvis non debeat approbari, potest tamen tolerari. Quia imperfectio, sive sit in privatis, sive in publico statu, non tollit rationem illam officii, quæ in personis, aut statu aliquo absoluto reperitur.

XXIII. 2. Humana instituta, si sint Ecclesiæ & cultui extrinseca, & faciant ad instituta Christi, & ædificationem Ecclesiæ promovendam, tum admitti & approbari debent, tanquam civilia media, ad spirituales fines adhibita & applicata. Si vero statum habeant religiosum, & intrinsecè pertineant ad cultum, vel eandem naturam præ se ferant cum institutis Christi, eorum lo-

a De Ecclesiis non satis puris.

cum

cum occupantia, tum nullo modo debent approbari.

## CAPUT XXV.

### *De Vocatione ad Ministerium.*

QUæstio prima. An vocatio sit necessaria?

I. Resp. 1. Vocatio singularis non requiritur ad Euangelium ex occasione docendum & prædicandum, *Actor.* 1. 4. & 11. 19. 2. 1. & 18. 24.

II. Ratio est 1. quia hoc est officium omnium Christianorum, ut quantum possint, promoveant Regnum Dei, atque adeo alios doceant Theologiam. 2. Quia aliquando necessarium est, ut homines arguantur errorum, & in veritate instituantur antequam possit vocatio rite institui. 3. Quia populus aliquando ministro destitutus, non potest sine ædificationis incommodo, alia ratione sublevari, nisi eorum institutionem admittat, qui necdum sunt ad ministerium ritè vocati.

III. 2. Prædicatio non tantum privata, sed etiam publica sine singulari vocatione potest exerceri, 1. in Ecclesia constituenda. 2. in Ecclesia etiam constituta, cum illius approbatione, si vitetur confusio, & ordo observetur. 1 *Corinth.* 14. 23. &c. *Actor.* 13. 15. pertinet enim ad Ecclesiæ ædificationem, ut ii qui donis excellunt cæteris, exerceant illa dona coram cæteris, ad eos juvandos & excitandos.

IV. 3. Ministerii tamen singulare munus invadere, sine vocatione singulari, hoc est planè illicitum, *Hebr.* 5. 4. *Tit.* 1. 5. *Jerem.* 14. 14. 1. Quia requiritur hic separatio DEI singularis, *Actor.* 13. 3. & 20. 38. *Roman.* 3. 1. 2. Requiritur singularis & gravissimæ functionis susceptio: cujus auctor & dispensator est Deus ipse, *Ephes.*

4. 11.

4. 11. 1 *Cor.* 12. 5, 6. *Matth.* 9. 38. 3. Requiritur singularis fiducia assistentiæ Dei. 4. Requiritur singularis expectatio benedictionis à Deo, *Matth.* 28. 20. 5. Requiritur singularis fides & alacritas, 1 *Tim.* 4. 16. 6. Requiritur ut Ecclesia illa, cui ministratur, certior fiat de voluntate Dei, qua hunc aut illum ministrum ipsi destinavit, ut ex conscientia possit illi se subjicere, *Heb.* 13. 17. 7. Requiritur denique ordo, 1 *Cor.* 14. 40.

Quæstio secunda. Quænam necessario requirantur in vocando, vel in eo, qui ritè vocari possit ad ministerium?

V. Resp. 1. Integritas vitæ talis, ut non tantum scandalo careat, sed etiam testimonium habeat bonum, 1 *Tim.* 3. 7. per testimonium autem intelligitur illa fides quam fecit hominibus de sua integritate, per conversationem honestam & piam.

VI. 2. Doctrinæ Christianæ notitia, sive peritia, supra fidelium vulgus. 2 *Timoth.* 3. 16. ad quam etiam accedere debet intelligentia eorum, quæ pertinent ad suum officium, in Ecclesia gubernanda. 1 *Timoth.* 3. 16.

VII. 3. Dexteritas aliqua docendi, sive aliis communicandi notitiam illam quam habet, 1 *Tim.* 3. 2. 2 *Tim.* 2. 2.

VIII. 4. Voluntas aliquo modo parata, ad ministerium suscipiendum, & exequendum. Quæ voluntas oriri debet non ex inopiæ aut similis incommodi metu, vel ex cupiditate superioritatis, famæ, aut lucri, & similium. 1 *Petr.* 5. 2. hæc enim voluntas est aliquo modo coacta, & non propriè ac directè fertur in opus ministerii: sed ex amore & zelo puro, *Joh.* 21. 15. 17. 17.

IX. 5. Differentia in istis requisitis, talis est; ut 1. doctrinæ notitia cum aliqua dexteritate docendi, necessario requiratur, ad ipsam essentiam ministri, quia sunt propria fundamenta vocationis. Sed integritas vitæ ad bene esse tantum necessaria est, ut

ut medium, quamvis ad ipsum esse sit etiam necessaria ex præcepto. 2. De doctrina & dexteritate judicium ab aliis potest ferri. Sed de voluntatis inclinatione præter ipsum vocandum, nemo potest certo & semper judicare. 3. Doctrina & dexteritas non potest ab aliis subito procurari. Sed voluntas ex aliquo metu aut modestia reluctans, potest ac debet hortationibus excitari. Qui possunt & non volunt, de iis vocandis recte laboratur: sed non de iis, qui volunt & non possunt.

Quæstio tertia. An qui legere norunt, vel ex præscripto aliorum concionem memoriter recitare, sint instructi donis ad ministerium necessariis?

X. Resp. Nullo modo. Nam 1. donum legendi, & memoriter recitandi, non est donum ministerii, sed donum sapientiæ & cognitionis. 1 *Cor*. 12.8.

XI. 2. Minister debet necessario facultatem habere, applicandi verbum Dei, secundum diversitatem auditorum, temporum, locorum, & aliarum circumstantiarum, cum illa varietate, quam occasiones variæ requirunt. 2 *Tim*. 2. 15. hoc autem legendo vel recitando ex alterius præscripto, facere non potest.

XII. 3. Debet etiam paratus esse rationem reddere eorum quæ docet, cuilibet postulanti, & convincere contradicentes. *Tit*. 1. 9. quod legendo & recitando non potest præstare.

XIII. 4. Debet Ecclesiæ præire in iis donis, quæ ab omnibus fidelibus sunt affectanda & quærenda. 1 *Tim*. 4. 13. 14. *&c*. sed omnes fideles debent eo niti, ut sermo Domini in ipsis habitet copiose. *Col*. 3. 16.

XIV. 5. Nemo potest vel advocati, vel medici munus tueri, formulas præscriptas recitando. Minister autem est & advocatus & medicus spiritualis.

Quæstio quarta. An liceat petere ministerium?

*a* XV. R. 1. Ambire locum in ministerio, vel propter honorem, vel propter commodum quod secum adfert, hoc est plane damnandum. Hoc enim est quæstui habere pietatem. 1 *Tim.* 6. 5.

XVI. 2. Opus ministerii desiderare, ex studio & zelo Ecclesiæ ædificandæ, & Deum glorificandi, hoc pium est, & laudandum. 1 *Cor.* 16. 15. 1 *Tim.* 3. 1.

XVII. 3. Offerre sese aliorum judicio explorandum, & probandum ad ministerium, honestati ministerii nullo modo repugnat.

XVIII. 4. Qui testimonium habet bonum suæ aptitudinis ad ministerii opus, Potest etiam sine conscientiæ læsione Ecclesiæ alicui operam suam modestè deferre. *Esai.* 6. 8. Deus enim tales Ecclesiis offert.

XIX. 5. Importune tamen urgere suam vocationem, & artificio aliquo eandem procurare, hoc est plane alienum ab animo rite ad ministerium comparato. 2 *Corinth.* 2. 16.

XX. 6. Fraudulentia, vel violentia, obtrudere se Ecclesiæ invitæ, hoc est plane Diabolicum.

XXI. 7. Ita pervenire ad ministerii officium, sicut ad rem emptioni & venditioni subjectam, hoc est vitium Simoniacum. Quia officium curæ animarum est spirituale Dei donum, quod à Deo solo proprie communicatur: & proinde idem in genere, & ex natura rei est illud officium emere, cum eo quod fecit Simon. *Actor.* 8.

XXII. 8. *b* Simonia committitur, non tantum per munus à manu, quando pecunia datur ad officium tale procurandum; sed etiam per munus ab obsequio, quod in illum finem alicui præstatur; & etiam per munus à lingua, quando intercessione & precibus procuratur, ita ut dignitas non præcipuè spectetur.

Quæstio quinta. *c* Penes quos est jus & potestas ministros vocandi?

*a* Ambitus Ministerii, *b* Simonia, *c* Jus ministros vocandi.

XXIII. Resp. 1. Summum jus vocationis est penes Christum solum, qui est Ecclesiæ caput, & ministerii auctor, ac dominus ministrorum.

XXIV. 2. Jus delegatum non potest proprie esse vel Episcoporum Diœcesanorum, vel Patronorum, vel Magistratuum, qua sunt tales: quia Christus, qui ministerium instituit, de istis ordinibus nihil singulare præscripsit, nihil novi juris ipsis communicavit, & Ecclesiam sine illis optime ordinatam reliquit.

XXV. 3. Jus delegatum est penes Ecclesiam illam totam, cui minister vocandus debet inservire. Nam 1. Ministri dati sunt Ecclesiæ à Christo, ut eadem ordinaria & certa ratione, possint ab omni Ecclesia procurari. Sed si ab aliis penderet vocatio, Ecclesia sæpe destitueretur certa ratione ministros sibimet procurandi, & proinde talis Ecclesia esset à Christo instituta, quæ non esset sibimet sufficiens in seipsa. 2. Si penes alios homines esset jus vocandi, tum Ecclesia non immediate acciperet ministros à Christo, sed ab illis, quorum jus hoc esset. 3. Alia ratione, non potest fieri, ut Ecclesia semper ex libera voluntate subjiciat sese suis ministris: quod tamen in ministerio non minus est necessarium, quam in conjugio.

XXVI. 4. Jus vocandi, ita quoad proprietatem in Ecclesia manet, ut non possit vel auctoritate aliena eripi, vel voluntaria concessione amitti, vel alienæ fidei plane committi. Actus enim Ecclesiæ est causa necessario ad vocationem Ecclesiasticam requisita.

XXVII. 5. Actus tamen varii ad vocationem pertinentes, possunt aliis committi, & ex ordine debent à præcipuis Ecclesiæ membris, vel presbyteris præstari. Cura etiam ut omnia recte fiant, pertinet ad Magistratum.

Quæstio sexta. Quis est actus, in quo proprie consistit vocatio?

a XXVIII. Resp. 1. Vocatio proprie & essentialiter consistit in electione. Nam 1. Voluntaria illa relatio, quæ inter ministrum & Ecclesiam intercedit, non potest aliud fundamentum habere, quam voluntariam electionem. 2. Ecclesia libera, libertate salva, non potest alicui subjici, nisi per liberam electionem. 3. Omnes alii actus, qui pertinent ad vocationem, vel tendunt ad electionem, ut nominatio, præsentatio, examinatio, vel ab electione pendent, ut ordinatio, institutio, vel immissio, quæ nihil aliud est, quam electionis complementum, & declaratio solennis, ut coronatio Regis, aut inauguratio Magistratus, atque adeo pro electione aut vocatione, metonymicè solet usurpari.

Quæstio septima. Ubi libertas electionis, ab Episcopis, Magistratu, patronis, imminuitur, qualis potest esse vocatio?

XXIX. Resp. Quamvis Electio non sit eo modo & gradu libera, quo oportet; consensus tamen voluntarius, ut in conjugio, sic in ministerio, quamvis iniquis rationibus procuretur, essentiam habet electionis & vocationis necessario requisitæ

b Quæstio octava. Cum multi sunt idonei, quis ex omnibus est eligendus?

XXX. Resp. 1. Ille qui est maxime idoneus, in conscientia electoris bene informata, quia aliter facere esset acceptio personarum, quæ cum â Deo sit plane aliena; â rebus divinis prorsus debet abesse. Sed hoc ita intelligi debet 1. ut comparatio fiat inter illos, qui commode possint haberi.

XXXI. 2. Ut ille maxime idoneus judicetur, qui quamvis simpliciter & absolute sit inferior, in relatione tamen ad illam Ecclesiam cui quæritur minister, omnibus circumstantiis expensis, aptior invenitur.

a Actus vocationis. b Quis eligendus?

Quæ-

Quæstio nona. An vocatio ad ministerium institui possit ad certos annos?

XXXII. Resp. 1. Ut hoc exprimatur in ipsa vocatione, aut directe includatur, repugnat plane ministerii naturæ. Nam 1. Minister non Ecclesiæ præcipuè, sed Christo suam operam addicit. Christus autem suam voluntatem de ministerii tempore definito, nusquam revelavit. 2. Istiusmodi vocatio minuit affectum, & curam ministri erga populum, & populi vicissim erga ministrum. 3. Minuit etiam dignitatem ministerii, dum specie saltem reddit illud mercenarium. 4. Varia pericula, tam ministro quam populo, secum infert. Minister enim sine justa causa possit dimitti: & populus etiam intempestive deseri possit.

XXXIII. 2. Ut tamen implicitè subintelligatur dimissionis honestæ impetrandæ facultas, ex conditione aliqua, cujus necessitatem adfert vel vocati, vel vocantium, vel Ecclesiæ communis conditio, nihil est quod absolute vetat.

Quæstio decima. An ad ministerium rite vocato, licitum sit postea ministerio se abdicare?

XXXIV. Resp. 1. Non licet hoc cuiquam pro arbitrio suo tentare. 1. Quia obligatus est Deo in illa vocatione, neque potest ejus injussu deserere suam stationem. 2 Obligatus est etiam Ecclesiæ, non pacto humano, sed fœdere divino. Eamque non magis deserere potest, quam ab ipsa deseri.

XXXV. 2. Si tamen causa talis intercedat, quæ vel ineptum aliquem reddit ad ministerium exercendum; vel exercitium ejus impossibile reddit; vel peccandi necessitatem adfert exercenti, tum nutu divino, ministerio solvi videtur.

Quæstio undecima. An liceat ministro migrare de una Ecclesia in aliam?

XXXVI. R. Aliud est migrare, aliud transferri. Migrare non licet, dum vocationis prioris fundamenta manent. Sed transferri tamen potest aliquis

ex judicio aliarum Ecclesiarum, & consensione illius cui est obligatus, ad majorem fructum communis ædificationis.

## CAPUT XXVI.

### DE CONCIONIBUS HABENDIS.

QUæstio prima. Quis debet esse textus, vel argumentum concionis?

I. Resp. 1. Quum nihil prædicari debeat, à ministro Ecclesiæ Christi, præter verbum & voluntatem Christi, & verbum illud non sit quærendum nisi in Scripturis, necessario sequitur, solas Scripturas pro concione esse tractandas.

II. 2. Quamvis Catechismus quo contracta Scripturæ summa, quæ maxime est omnibus necessaria, necessario debeat cum omni diligentia inculcari; differentia tamen semper observari debet inter istiusmodi formulas humanas, & sacram Scripturam. Non est igitur consentaneum, ut Catechismus eodem modo pro textu in Ecclesia proponatur, quo solet ipsa Scriptura.

III. 3. Propter honorem igitur Scripturæ, efficaciam veritatis prædicatæ, & periculum scandali, quod ex illo more nasci potest, consultissimum est, ut selecti Scripturæ loci pro fundamento catecheticæ institutionis proponantur, & Catechismi doctrina ex ipsis eliciatur tanquam documentum Scripturæ.

Quæstio secunda. An probanda sit illa consuetudo, quæ in Papatu obtinuit, & adhuc in quibusdam Ecclesiis reformatis observatur, pro concione ex ordine tantum explicare pericopas & lectiones quasdam Dominicales, quæ usitatè Euangeliorum & Epistolarum nomine appellantur?

IV. Resp. 1. Sectionum harum lectio publica reliquis Scripturis præteritis, repugnat expresso Dei manda-

mandato, qui jussit integrum librum legis lectitari. *Deut*.31.10.11.12. & veteris Ecclesiæ praxi. *Neh*. 8. 2. *Chron*. 34. 30. *Actor*. 15. 21. *Col*, 4. 16.

V. 2. Sectionum istarum expositio non est sufficiens ad debitam Ecclesiæ ædificationem. Multa sunt enim necessaria scitu, quæ in illis sectionibus non continentur. 2 *Tim*. 3. 16.

VI. 3. Sunt perversæ sectiones, quatenus membra quædam à suis integris corporibus ita separantur, ut per se proponantur mutila, sine capite & cauda.

VII. 4. Qui istis sectionibus adhærent, ii divinum ordinem & modum Scripturæ negligunt, & populum celant, cum magno religionis detrimento.

VIII. 5. Hoc institutum ex Dominicalibus tantum concionandi, depravatis Ecclesiæ temporibus in tenebris fuit introductum, non sine superstitioso quodam respectu ad solemnitates certas ab hominibus excogitatas, contra Scripturæ regulam, & praxin Ecclesiæ primitivæ.

IX. 6. Experientia docuit, & docet adhuc, cognitionem Dei magis abundare in illis Ecclesiis, ubi isthoc agendi modo relicto, Scripturæ partim per integros libros ordine continuato, partim ut occasio & necessitas aliqua singularis exigit, libere tractantur.

Quæstio tertia. An ex postillis liceat conciones parare?

X. Resp. 1. Emendicare, aut verbatim recitare concionem ex alterius præscripto, hoc ministro Euangelii est plane indignum. 1. Quia hac ratione non exercentur dona illa quæ Deus hominibus dedit ad ministerium, sed memoriæ tantum & pronunciationis. 2. Quia sic agentes non possunt rectè secare verbum Dei per accommodationem ejus aptam ad conditionem auditorum, secundum occasionum varietatem. 3. Quia vis & efficacia illius concionis perit, quæ non depromitur ex

certo judicio & intimo affectu dicentis, quod ab iis non potest exspectari, qui omnia ex præscripto loquuntur. 4. Quia hæc agendi ratio facit ut ministri non proficiant in scientia, sed memoria tantum. 5. Facit etiam ut apud multos contemptui habeantur.

XI. 2. Commentaria tamen & conciones etiam piæ, ab aliis habitæ, magno possunt esse usui concionatori minus exercitato. 1. Quia imperfectiores tirones exemplo perfectiorum veteranorum excitantur, & in via recta diriguntur. 2. Quia varia occurrunt in istiusmodi scriptis, quæ minus exercitati in suum usum possunt transferre. 3. Quia majore cum fiducia quædam à tironibus proponuntur, cum eadem vident à gravissimis Theologis usurpata.

XII. 3. *a* Sed concionibus illis, quæ vulgo postillæ vocantur, ne tantum quidem est tribuendum, ut inter singularia concionum adminicula numerentur. 1. Quia pleræque harum postillarum vel à Pontificiis hominibus scribuntur, qui vim & efficaciam Euangelii ignorant; vel ab aliis heterodoxis, quorum declamationes majore cum periculo, quam fructu ab imperitis leguntur; vel denique à levioribus quibusdam doctoribus, qui sine magno judicio tempori sese hac in parte temperarunt. 2. Quia istæ postillæ ad sectiones Dominicales tantum accommodantur, quibus minister Euangelii non debet adhærere. 3. Quia neque continent Theologiam docendam, nisi ex minima ejus parte, neque modum docendi tradunt certum, & ædificationi inservientem, sed qui comparatur ad vanissimis hominibus placendum. 4. Quia in illis Ecclesiis ubi maxime sunt in usu, vera religio in suo vigore non habetur; sed vel ignorantia, vel forma quædam religionis obtinet, potestate ejus abnegata.

*a* Postillæ.

Quæstio

Quæstio quarta. An Ethnicorum scripta dictaque, in concionibus Ecclesiasticis sint alleganda?

XIII. Resp. *a* In concione ordinaria, apud auditores harum rerum imperitos, qui divinam Scripturæ auctoritatem agnoscunt, abstinendum est plane ab istiusmodi allegationibus. 1. Qui non sunt medium aptum ad fidem & vitam spiritualem generandam, alendam & conservandam. 2. Quia neque Moyses, qui doctus fuit in omni sapientia Ægyptiorum, neque Christus, in quo erant omnes cognitionis thesauri, tale quidquam unquam afferebat. 3. Quia fit injuria Christo, quasi ille solus non esset audiendus. 4 Injuria fit Scripturæ, quasi per se non sufficeret ad Ecclesiæ ædificationem. 5. Quia scandalum hac ratione infertur Ecclesiæ, dum promiscue audit Ethnicorum testimonia cum oraculis Dei misceri, quasi similis essent auctoritatis. 6 Quia occultanda est humana sapientia in Euangelii prædicatione; 1 *Corinth*. 2. 1. 2 *Corinth*. 2. 4. quia spiritus demonstrationi, & prædicationis efficaciæ adversatur.

*b* Quæstio quinta. An Patrum sententias in concionibus promiscue afferre liceat?

XIV. Resp. 1. Non possunt adferri probationis loco: quia fuerunt homines erroribus obnoxii, atque adeo non faciunt fidem certam & divinam. 2. Illustrationem nullam possunt adferre, apud vulgares auditores, quibus vel nomina ipsa Patrum sunt ignota. 3. Exornationis causa non possunt adduci; quia mixturæ humanæ non ornant sed contaminant. 4. Aliquando tamen ad pervicatiam quorundam convincendam, ad calumnias adversariorum refellendas, & ad imbecillitatem infirmiorum sublevandam, necessarium potest esse istiusmodi testimonia usurpare. Sed tum ita debent proferri ut plane appareat ministrum coactum egredi Scripturæ cancellos, & ex abundanti hoc

*a* Ethnicorum scriptorum citatio *b* Allegatio patrum.

facere propter causas modo dictas, verbo Dei, & fidelium ædificatione nihil tale directe postulante.

*a* Quæstio sexta. An intermiscere liceat concioni vocabula artium, verba latina, Græca, Hebraica? &c.

XV. Resp. Apud imperitos non licet. 1. Quia peregrinæ voces impediunt intelligentiam, & interturbant attentionem auditorum. 2. Quia si non explicentur, tum non faciunt ad ædificationem imperitorum; si vero explicentur, tempus inutiliter consumunt. 3. Quia ostentationem sapiunt in ministro, & imperitis occasionem & argumentum suppeditant, ignorantiam suam fovendi & excusandi.

*b* Quæstio septima. An allegoriæ studio humano inventæ sint pro concione proponendæ?

XVI. Resp. 1. Continuatæ metaphoræ (quæ maxime proprie allegoriæ vocantur) quatenus in sermone modificando consistunt, si sint aptæ, non possunt ulla ratione improbari. Si enim uti metaphora licet, licet etiam eandem continuare. 2. Allegoricæ rerum interpretationes, quæ in ipsa Scriptura non habent certum fundamentum, non debent pro certis proponi. 1. Quia sunt inventa humana, non verbum Dei. 2. Quia verbum Dei à suo proprio scopo detorquent. 3. Quia subjiciunt eloquia divina vanorum hominum arbitrio, ut huc aut illuc pro ipsorum libitu trahantur. 4. Quia cum ex verbo Dei non proferantur, sed ab hominibus eidem inferantur, nullam efficaciam habent spiritualem in conscientiis hominum afficiendis. 5. Quia nihil possunt in sese doctrinæ sanæ habere, nisi quod in aliis Scripturæ locis cum certo fundamento habetur, & proinde cedunt in illius doctrinæ prejudicium, quæ inepte, & extra suum locum tractatur, absque fundamento, quasi nullum usquam

a Vocabula. b Exotica.

haberet

haberet. 6. Quia nullam fidem possunt facere, præter illam quæ in sapientia hominum consistit. 7. Quia solidam & salutarem prædicationis Euangelii simplicitatem, imperitis hominibus, qui istiusmodi lusibus capiuntur, insipidam reddunt & ingratam.

Quæstio octava. *a* An exordiorum habenda sit ratio in concionibus instituendis?

XVII. Resp. 1. Exordium ab ipsis oratoribus non habetur pro orationis humanæ parte necessaria & interna: magnus igitur judicii defectus in iis, qui exordium volunt necessarium in concione sacra.

XVIII. 2. Captatio benevolentiæ, docilitatis, attentionis (in qua finis exordiorum collocatur) apud fideles bene institutos, pastorem suum agnoscentes, precibus privatis & publicis, ad verbum Dei audiendum præparatis & excitatis nullum necessarium habet usum.

XIX. 3. Exordium, si alienum sit à re tractandâ, ab omnibus damnatur; si rem aliquam tractet, quæ in textu continetur, tum vel perversam ordinis perturbationem, vel tautologiam inducit.

XX. 4. Proverbia, apophtegmata, sententias, vel selectas historias quærere, ad exordia concionum per accommodationem earum conficienda, non tantum humanum aliquid sapit, verbo divino indignum, sed puerilem quandam affectationem habet, quæ in gravioribus hominum orationibus non probatur.

XXI. 5. Connexionis aut dependentiæ textus explicatio, quæ pars est analyseos, utilissime proponi potest vulgarium exordiorum loco. 6 Brevis etiam insinuatio aliquando potest adhiberi, qua aliquid ex occasione singulariter ad propositum spectans indicatur: sed non ex ordinario instituto.

Quæstio nona. Quis textus sit eligendus?

*a* Exordia.

XXII. Resp. 1. Quoad qualitatem textus, ex conditione auditorum, locorum & temporum, electio dirigi debet. Maximè enim necessaria vel utilia maxime semper debent inculcari.

XXIII. 2. Quoad quantitatem, brevitas aut paucitas verborum nulla ratione debet affectari. 1. Quia quo plus verbi commode explicatur, eo magis ædificantur auditores. 2. Quia planius & efficacius demonstrari possunt varia documenta proponenda ex textu variarum propositionum, quam unius. 3. Quia inutiles & ingratæ vel tautologiæ, vel digressiones ex hac brevis textus affectatione sequuntur. 4. Quia ostentationem quandam olet, multa semper ex paucis videriv esse protulisse.

Quæstio decima. An ex Scripturis & ratione omnia quæ possunt ad rem afferri, sint pro concione proponenda?

XXIV. Resp. Scripturæ testimonia & rationum firmamenta non sunt absque prudenti discretione accumulanda. Nam 1. Solicite illud inter fideles probare de quo nemo fere Christianus dubitat, hoc esset tempus contercre, & auditores fatigare sine ullo fructu.

XXV. 2. In eo confirmando quod probationem desiderat, delectus & modus debet adhiberi, ne vel memoria auditorum obruatur, vel firmæ & aptæ probationes infirmiorum & alienarum commixtione aliquo modo labefactentur.

XXVI. 3. Accumulatio vel probationum aut illustrationum non necessaria, vel judicii defectum, vel ingenii & memoriæ ostentationem aliquam præ se ferre videtur.

XXVII. 4. Alia quæ majoris essent ædificationis propter hæc omittuntur, quæ omissio cum non possit defendi, angustia temporis sponte quæsita & accersita, ridicule solet excusari.

Quæstio undecima. In qua parte maxime sit insistendum, in explicatione textus, in doctrinis

nis tractandis, vel in earum usu & applicatione?

XXIII. Resp. Occasio aliqua efficere potest explicationem alicujus textus, aut doctrinæ alicujus tractationem prolixam valde necessariam: sed regulariter, & ex ordine ac instituto, præcipua opera concionis, non catecheticæ, est in usu & applicatione collocanda. 1. Quia usus est finis tam explicationum, quam doctrinarum. Finis autem est præcipue curandus & illa quæ intime spectant ad finem, cætera etiam omnia ad illum sunt dirigenda.

XXIV. 2. Quia majorem habet difficultatem & necessitatem, in maxima parte auditorum. Talis enim est cæcitas & perversitas hominum, ut eorum animi nihil difficilius admittant, neque conditio eorum quidquam magis desideret, quam efficacem accommodationem verbi ad conscientias eorum voluntati divinæ in omnibus subjiciendas. Facilius multo in aures & intellectum, quam in cor & manus hominum ingeritur verbum Dei. 3 Quia sic Christus, Prophetæ, & Apostoli conciones suas instituisse leguntur: omnia enim ad usum & praxin vitæ dirigebant, & in illa praxi persuadenda, maximam operam collocabant.

Quæstio duodecima. An ornamenta rhetorica locum habeant in concione sacra?

XXV. Resp. Illa rhetorica quam videmus in Scripturis à Prophetis & Apostolis usurpatam, magnum usum habet in concionibus sacris, si cum simili prudentia exerceatur. In Scripturis autem frequens est usus troporum, & figurarum sententiæ: sed figurarum dictionis, quæ in sonorum resonanti dimensione ac repetitione consistunt, paucissima exempla occurrunt. Ratio est 1. quia elocutionis harmonia est levior pars rhetoricæ, quæ rebus ac personis levioribus magis convenit quam gravibus, sacris, & divinis. 2. Quia delectationi naturali tantum inserviunt, non spirituali ædificationi.

3. Quia

3. Quia demonstrationi spirituali & potenti repugnat. Inepte igitur faciunt, qui in suis concionibus affectant sonos similiter cadentes vel desinentes, maxime autem qui tales rythmos ignotis latinæ græcæve linguæ verbis proponunt.

Quæstio decimatertia. *a* Qua maxime ratione efficax redditur concio in conscientiis hominum afficiendis?

XXXI. R. Post evidentiam veritatis ac voluntatis divinæ ex Scriptura depromptæ, nihil magis penetrare facit concionem, quam cum ex intimo cordis affectu sine ulla affectatione procedere eam apparet. Huc autem maxime facit, si ad quotidianam praxin pietatis accedat seria meditatio, & oratio attenta, ad illas ipsas res cordibus nostris ingerendas, quas aliis dicendo persuadere conamur.

Quæstio decima quarra. *b* Quomodo controversiæ debeant pro concione tractari?

XXXII. R. 1. Nullæ controversiæ sunt movendæ, quarum justam occasionem non habemus in textu, aut doctrina ex eo deducta.

XXXIII. 2. Occasio maxime necessaria est, quando tacitis auditorum cogitationibus, & objectionibus, aut calumniis vulgo sparsis, quæ doctrinæ propositæ opponi possent, auditorum ædificatio occurrendum esse monet.

XXXIV. 3. Quæstiones obscuræ, subtiles & sublimes non sunt in concionibus tractandæ.

XXXV. 4. Hæreses veteres, & jampridem sepultæ, pro concione non sunt, ordinarie nominandæ, nedum operose refellendæ & ab inferis resuscitandæ: neque enim tantum otii est concionatori fideli ab erroribus & vitiis jam vigentibus, ut aliunde quærat materiam pugnandi, neque facit ad ædificationem plebis, ut in blasphemiis audiendis & hæresibus discendis detineatur.

XXXVI. 5. In controversiis necessariis, populus non

*a* Efficacia concionis. *b* Controversiæ.

non debet multis argumentis & objectionum dilutionibus onerari.

XXXVII. 6. Modus controversias tractandi apud rudem populum convenientissimus est simplicissimè & brevissimè errorum ostendere discrepantiam à fundamentis doctrinæ Christianæ.

XXXVIII. 7. In multis controversiis tractandis illa prudentia debet adhiberi, ut veritatis confirmatio omnibus pateat, & illi qui noverint contrarios errores, intelligant qua ratione refelli possint: qui vero non noverint, in sua permaneant simplicitate, habeantque ad manum quo se tueantur, si forsan ex illa parte tentarentur.

XXXIX. 8. Si necessarium sit ad pleniorem erroris alicujus refutationem descendere, tum verus controversiæ status ita debet imprimis explicari, ut ab omnibus intelligi possit, & quis sit, & quanti momenti in religione. Et argumenta illa præcipuè debent proferri, quæ conscientiā efficaciter movēt.

XL. 9. In modo agendi, zelus veritatis temperari debet cum lenitate, & moderatione illa, quæ causam decet, & simpliciter errantes ab impiè blasphemantibus distinguit.

Quæstio decima quinta. An præter solennem verbi predicationem, à ministro habitam è suggesto, sit alia aliqua Scripturarum tractatio audiente Ecclesia suscipienda?

XLI. Resp. 1. *a* In Ecclesia primitiva fuit exercitium quoddam propheticum à concionibus distinctum. 1 *Corinth.* 14. 31, 32 *&c.*

XLII. 2. Ad hoc exercitium habendum admittebantur non tantum ministri, sed & ex fratribus primarii vel maximè approbati, pro donis illis, quæ habuerunt sibi collata. *ibid.*

XLIII. 3. Licebat etiam aliis Ecclesiæ viris, discendi gratia modestè & ordine dubia sua proponere, ut à peritioribus docerentur. *ibid. vers.* 35.

a Exercitium prophetiæ.

XLIV.

XLIV. 4. Hoc exercitium ubi commodè possit in Ecclesias introduci, non debet contemni. 2 *Thess.* 5.20. 1. Quia maxime consentaneum est ordini Ecclesiæ primitivæ, ab Apostolis approbato. 2. Quia singulariter facit ad dona spiritualia in singulis fidelibus excitanda, fovenda, & augenda. 3. Quia negligentiam ac invidiam tollit, & charitatem fovet.

Quæstio decima sexta. An in communi & publica verbi prædicatione acquiescere debeat minister fidelis, quasi institutionis officio satisfaciente?

XLV. R. *a* Accedere etiam debet privata singulos instituendi cura, prout occasio tulerit, & necessitas eorum postulaverit. 1. Quia in hoc officio Apostoli nobis præiverunt, & nobis reliquerunt exemplum imitandum. *Actor.* 20.20,31. 1 *Thess.* 2.10. 2. Quia iidem etiam hortati sunt ut hujus officii curam habeamus. 1 *Tim.* 5.1, 2. *&* 2 *Tim.* 4. 2. 3. Quia per privatam institutionem accommodatur magis verbum Dei ad singulorum conditionem & necessitatem, quam in publica fieri potest. 4. Quia privata institutio viam facit ad publicam, & eandem etiam reddit multo efficaciorem, quam aliàs esset.

*a* Institutio privata.

## CAPUT XXVII.

## DE BAPTISMO.

Quorum sit baptizare, disputatum satis est alibi, adversus Bellarminum; nec non de necessitate, & forma Baptismi. Restat igitur de hoc capite quæstio una tantum aut altera, breviter expedienda.

Quæstio prima. Quinam sunt baptizandi?

I. Resp. 1. De adultis non potest esse quæstio: quia

quia in illis requiritur intelligentia veræ fidei & voluntas baptiſmi ſuſcipiendi diſtinctè declarata.

II. 2. De infantibus (ſupponentes hoc in loco quod à baptiſmo non ſint excludendi, cujus ſententiæ fundamenta in Medulla theologiæ ſunt ſatis declarata) illud imprimis requiritur, ut ſint in fœdere gratiæ, quoad externam profeſſionem ac æſtimationem, ratione parentum; & ut ſpes ſit, illos in eodem fœdere poſtea inſtitutos & educatos iri. Baptiſmus enim eſt ſignum & ſigillum fœderis gratiæ.

III. 3. Pertinet igitur Baptiſmus maxime propriè ad illos infantes quorum parentes, vel eorum ſaltem alter eſt intra Eccleſiam, non extra.

IV. 4. Incuria illa idcirco neutiquam poteſt excuſari, qua promiſcue & ſine diſcrimine admittuntur ad Baptiſmum quicunque, & à quibuſcunque offeruntur.

V. 5. Expoſititii, quorum parentes ſunt ignoti, ſi inter Chriſtianos nati fuerint, ex charitate habendi ſunt pro filiis Chriſtianorum, ſi non ſit juſta cauſa contrarium præſumendi.

VI. 6. Qui aliquo modo in profeſſione ſua ad Eccleſiam pertinent, ſed fœdus tamen Dei aperte violant, eorum infantes cum aliquo diſcrimine debent baptizari. Ita ſcil. ut quod fœdus requirit, & in ipſis deeſt, per alios quantum fieri poteſt, ſuppleatur. Nam 1. diſtinctio aliqua inter puros & impuros debet in ſacris omnibus obſervari, ad bonorum conſolationem, correctionem malorum, & omnium ædificationem. 2. Inſtituta Dei non poſſunt aliter ab omni pollutione conſervari.

VII. 7. Infantes illegitimè nati, ita debent baptizari ut vel parentes eorum pœnitentiam profiteantur, vel ab aliis piis eorum educatio ſuſcipiatur.

VIII. 8. Excommunicatorum contumacium liberos non expedit baptizari, niſi ſponſorum idoneorum interventu.

IX. 9.

IX. 9. Infantes Pontificiorum & similium, qui sunt semi Christiani, si idoneum sponsorem inveniant, in cujus potestate sita est eorum educatio, possunt baptizari. Quia non sunt plane alieni à fœderis professione, & ad puriorem fœderis observationem hac ratione deducuntur.

Quæstio secunda. An baptismus infantium possit pro arbitrio parentum differri?

X. Resp. Baptismus infantium absque causa gravi, & aliquo modo cogente, non est differendus 1. Quia æquitas octavæ diei circumcisioni destinatæ, prohibet hujusmodi procrastinationem. 2. Quia hæc procrastinatio vix potest distingui aut excusari ab instituti hujus vilipendio & contemptu. 3. Quia tam professionis promptitudini, quam zelo Deum glorificandi, & etiam consolationi parentum (de liberis nempe suis Deo solemniter consecratis) multum adversatur.

## CAPUT XXVIII.

## DE COENA DOMINICA.

### Prætæritis hic etiam illis quæ alibi sunt disputata.

Quæstio prima. An frequens usus cœnæ Dominicæ sit necessarius?

I. R. Studere debent omnes pii, ut quoties commode fieri possit, religiose utantur hoc Sacramento. 1. Quia præceptum illud indeterminati temporis: *hoc facite*, nullam aliam limitationem admittit, quam occasionis defectum, aut justum aliquod impedimentum. 2. Quia Christo, ejusque bonis, continuo & indesinenter pasci opus habemus. 3. Quia solemnis professio fidei nostræ, secundum institutum Dei, est officium quod promptissime præstare debemus ex omni occasione justa. 4. Quia infir-

infirmitas nostra hanc fœderis renovationem, & mentis cordisque excitationem postulat frequentem. 5. Quia constat in Ecclesia primitiva cœnam Dominicam singulis diebus Dominicis fuisse celebratam, neque ulla ratio reddi potest rarioris ejus usus, præter fidelium tepiditatem, & in Ecclesiis variis onerosam populi redundantiam.

Quæstio secunda An litigium sive privatum sive publicum & forense, vel etiam inimicitiæ justæ sint causæ à communione abstinendi?

II. Resp. 1. *a* Nulla justa potest esse causa cur quis sua sponte abstineat à cœnæ participatione, præter conscientiam indignitatis, ex proprio peccato oriundæ. Indignitas illa enim sola, quæ est culpabilis & conscientiæ malæ, excludit à communione.

III. 2. Disceptationes & controversiæ litigiosæ, sive privatæ sint, sive forenses, non magis per se impediunt usum cœnæ quam orationem piam. Charitas enim erga proximos necessario requiritur ad utrumque.

IV. 3. Si igitur lites alicui sint, non quod injuriam aliis fecerit, aut de injuria facta satisfacere nolit, aut à reconciliatione & pace sit alienus, sed ex aliorum iniquitate, hoc non potest esse justum communionis impedimentum. Nam culpa unius non potest alium privare beneficiis Christi, & privilegiis Christianorum.

V. 4. Si quis ira aut vindictæ cupiditate præoccupatus sit ex occasione alicujus litis, non debet propter illam à communione abstinere, sed eam quamprimum deponere propter communionem: alioqui bis peccando augeret suam culpam, & videretur pluris facere inordinatam suam perturbationem, quam sanctam cum Christo communionem.

*b* Quæstio tertia. Quæ & qualis præparatio requiratur ad pium usum cœnæ Dominicæ?

a De causis à mensa Dom. abstinendi. b Præparatio ad cœnam Domini.

VI. Resp.

VI. Resp. 1. Præparatio adhibenda in tribus actibus ab Apostolo collocatur. 2 *Cor*. 11. 27, 28, 29. Requirit enim. 1. discretionem corporis Domini. 2. Explorationem nostrûm ipsorum. 3. Dignam dispositionem.

VII. 2. Discretio consistit in idonea intelligentia & judicio de Sacramenti natura, usu, & necessitate. Quia vero non possunt hæc intelligi, nisi ex fundamentis Christianæ religionis, de peccato, & miseria inde secutura; de gratia Christi, & benedictione inde fluente; nec non de officio nostro in gratitudine & obedientia erga Deum: idcirco cognitio præcipuorum fundamentorum religionis, quæ necessaria est ad salutem, necessario etiam requiritur ad istam discretionem Sacramenti.

VIII. 3. Exploratio nostrûm ipsorum consistit in examine serio, an ita simus dispositi, ut cum fructu possimnus uti Sacramento, quod jam discernimus esse tam divinum. Norma hujus examinis est verbum Dei, qua spectat ad Sacramenti hujus institutionem. Dispositiones in hoc examine præcipue spectandæ, sunt fides, resipiscentia, charitas, & studium obedientiæ novæ.

IX. 4. Dispositio digna, non consistit in perfectione, quæ si adesset, minor foret usus hujus Sacramenti; sed congruentia nostrorum affectuum ad actionem tam sacram, quæ congruentia consistere potest cum imperfectione magna. Requiritur autem 1. ut renovemus resipiscentiam nostram tam communiter ob omnia nostra peccata, quam singulariter ob peccata recens admissa, & adhuc nobis adhærentia, vel quibus maxime obnoxii sumus. 2. Ut excitemus in nobis ipsis esuriē & sitim gratiæ divinæ in Christo, tam ad condonationem & mortificationem horum peccatorum, quam ad omnem vitæ emendationem & novitatem. 3. Ut fidem nostram congruenter excitemus ad promissiones Euangelii apprehendendas. 4. Ut cum omni humilitate, reverentia, de-

devotione, & gratiarum actione, recipiamus Sacramentum, tanquam sigillum gratiæ & promissionum divinarum.

## CAPUT XXIX.
## DE DISCIPLINA.

QUæstio prima. An necessarius sit clavis ligantis & correctionis usus singularis erga quasdam personas in specie, cum pro concione ira Dei, & exclusio ex regno Dei omnibus impœnitentibus denunciatur?

I. Resp. 1. Non est necessarius iis, qui teneras habent conscientias, & verbi prædicatione communi ad maturam pœnitentiam excitantur. Quandoquidem enim nihil directe præter justam resipiscentiam spectari debet in disciplina, frustra quæreretur per plura, quod per pauciora potest obtineri. Sic particularis usus clavis solventis, vel absolutionis, non est necessarius, ubi generalem efficacem esse apparet.

II. 2. Propter duritiem, & fraudulentiam cordis, quæ in plerisque peccantibus reperitur, necessaria est personalis applicatio eorum quæ faciunt ad correctionem peccati, in exercitio disciplinæ, ad securitatem excutiendam, & seriam curam sanctitatis excitandam.

III. 3. Quia ordinatio Christi, de personali disciplina exercenda, quamvis primario & directe tendat ad emendationem lapsi, secundario tamen & indirecte spectat ad ædificationem aliorum, quæ eam impediunt submovendo, & quæ eandem juvant promovendo; idcirco hujus disciplinæ exercitium necessarium etiam evadit eorum respectu.

Quæstio secunda. Quale sit peccatum, quod postulat usum hujus disciplinæ?

IV. R. 1. Non infirmitates illæ, quæ sunt omnium fere

fere Christianorum communes: istarum enim singularis curatio & emendatio, neque exspectari potest, neque ab iis exigi, qui iisdem aut similibus subjiciuntur.

V. 2. Non tantum atrocia illa crimina, quæ legibus humanis coërceri solent: quia disciplina Ecclesiastica pars est administrationis Regni Christi, & proinde spiritualem habet naturam, & perfectionem quærit majorem, quam quæ in honestate civili collocatur.

VI. 3. Non tantum personales injuriæ, quæ dissidia faciunt inter Ecclesiæ membra, aut alios à communione ejus avertunt: quia sunt alia peccata, quæ vel æque, vel magis etiam requirunt correctionem.

VII. 4. Proprium & adæquatum objectum hujus censuræ est scandalum datum à fratre. *Matth.* 18, 15. *si peccaverit in te frater. Levit.* 19. 17. *Gal.* 6. 1. finis enim disciplinæ est per correctionem peccantis tollere scandala, ut fideles inoffenso pede in cursu pietatis pergant, & alii ad eandem viam alliciantur, offendiculis impedientibus è medio sublatis.

Quæstio tertia. An correctio scandali incipere debeat ab admonitione privata?

VIII. Resp. 1. Ab admonitione semper incipere debet: quia indicatio culpæ primum est medium emendationis, & resipiscentiæ genuina causa.

IX. 2. In scandalis privatis, præcedere semper debet admonitio privata, *Matth.* 18. 15. *si in te peccaverit, inter te & ipsum.* Fratris enim fama sine necessitate non est lædenda, neque animus ejus irritandus, neque scandalum amplificandum, neque denique calumniæ & difamationis suspicio frustra subeunda.

X. 3. In scandalis publicis, & notoriis non est necessarium incipere ab admonitione privata. 1 *Timoth.* 5. 20. Medicina enim proportionem debet

bet habere ad morbum, cui tollendo inſervit.

Quæſtio quarta. An quilibet ſcandalum præbens, à quolibet fideli debeat admoneri?

XI. Reſp. 1. In Eccleſiis bene inſtitutis & ordinatis, poteſt & debet hoc officium à ſingulis erga ſuos fratres ex occaſione præſtari. Omnes enim hoc in mandatis habent à Chriſto.

XII. 2. In Eccleſiis illis, quæ diſciplinæ defectu, confuſione laborant, non eſt ſemper neceſſarium ut ille in quem peccatur, admoneat peccantem, quia, fruſtra ſæpe inciperet quod nullam habet perficiendi poteſtatem.

XIII. 3. Præceptum igitur peccantem fratrem ſolemniter admonendi, tum demum obſtringit, cum ſpes eſt aliqua, eandem vel immediate vel mediate ad ſcandalum tollendum valituram. Medium enim eatenus eſt bonum, quatenus facit ad ſuum finem aſſequendum.

XIV. 4. Omnes tamen tenentur aliquo modo ſignificare, ſcandalum admiſſum ſibi ex conſcientia erga Deum ſerio diſplicere. *Epheſ.* 5. 11. Charitas enim & zelus Dei hucuſque omnes pios conſtringit.

Quæſtio quinta. An poſt privatam admonitionem rejectam, res ad Eccleſiam debeat ſtatim deferri?

XV. Reſp. Nequaquam: ſecundus enim gradus correctionis, ex ordine à Chriſto inſtituto, eſt aſſumere unum aut duos, & coram ipſis admonitionem urgere. *Mat.* 18. 16. 1. Quia eorum teſtimonio admonitio illa confirmatur, vel firmior efficitur vel apud fratrem corrigendum, vel apud Eccleſiam poſtea correcturam. 2. Quia hac ratione magis conſulitur charitati, dum ſtudetur emendationi fratris, cum minima ipſius infamia.

Quæſtio ſexta. An ſufficiat ſemel privatim, & ſemel coram teſtibus fratrem offendentem admonuiſſe?

XVI. Reſp. Eouſque cum patientia & longanimitate debet hunc in modum admoneri, dum vel pœnitenti

nitentiam, vel contumaciam suam fecerit manifestam. *Math.* 18. 15. 16. 17. *si te audierit; si te non audierit; si neglexerit eos audire.*

Quæstio septima. Quomodo contumaciter sese gerens ad Ecclesiam sit deferendus?

XVII. Resp. Ordine illo observato, ut per illos Ecclesiam adeamus, qui totum cætum repræsentant, & qui ex ordine directionem & administrationem publicorum negotiorum habent sibi commissam. *Dic Ecclesiæ.*

Quæstio octava. An qui contumax est adversus Ecclesiam, debeat statim excommunicari?

XVIII. R. 1. In gravioribus flagitiis, publice notis, Apostolus sic videtur judicasse, 1 *Cor.* 5. 2.

XIX. 2. In aliis peccatis, cum patientia magna procedendum est ad remedium hoc extremum.

XX. 3. Suspensio igitur ab usu cœnæ Dominicæ, & similibus Ecclesiæ privilegiis, quæ nihil aliud est, quam gradus excommunicationis, & ideo vocari solet à multis excommunicatio minor, quamvis non ex singulari Christi instituto, ex æquitate tamen, & rei ipsius natura, præcedere debet, & aliquamdiu continuari, ubi scandali ratio ferre potest moram.

Quæstio nona. Quinam habent potestatem excommunicandi?

XXI. R. 1. Jus & potestas est propriè penes illam Ecclesiam, cujus membrum est persona excommunicanda. *Matth.* 18. 1 *Cor.* 5. Nam 1. Ejusdem est ejicere ex communione, cujus est in eandem admittere: sed Ecclesia proprie singula membra in societatem & communionem admittit. 2. Eorum est expurgare fermentum, quorum officium est puritatem massæ conservare: sed hoc est integræ societatis. 3. Eorum est de causa communionis negandæ judicare, quorum est communionem negare: sed hoc est Ecclesiæ totius. 4. Absque Ecclesiæ consensu, nulla excommunicatio potest efficaciter

atque

attingere ſuum finem: quia negatio communionis eſt actus liber communitatis.

XXII. 2. Ex ordine tamen adminiſtratio cenſuræ pertinet ad Eccleſiæ præfectos, qui vocantur ad Eccleſiæ gubernationem, cujus non minima pars eſt exercitium diſciplinæ.

XXIII. 3. Claſſium & Synodorum eſt, quando difficultas aliqua ſubeſt, communi conſilio declarare & decernere, quinam debeant excommunicari.

Quæſtio decima. Quid faciendum ſit Paſtori, ubi vel presbyterium idoneum deeſt, vel plebs non conſentit in excommunicationem juſtam?

XXIV. Reſp. Solemnis proceſſus poteſt omitti: eo tamen omni modo anniti debet Paſtor bonus cum reliquis fidelibus membris, ut eſſentia rei hactenus conſervetur, ne ſancta dentur canibus & porcis, *Matth.* 6. 7. & ut omnia ſcandala publica publicè arguantur.

Quæſtio undecima. An excommunicari poſſint integræ Eccleſiæ, vel alterius Eccleſiæ membra?

XXV. Reſp. 1. Non poſſunt propriè excommunicari: quia Eccleſia omnis habet in ſe communionem, ex qua non magis ejici poteſt, quam ex ſemetipſa. 2. Quia poteſtas excommunicandi fluit ab aliqua ſuperioritate: ſed Eccleſiæ omnes æquali planè jure ſunt à Chriſto conſtitutæ. 3. Quia membra unius Eccleſiæ, neque regimini alterius ſubjiciuntur, neque immediatè pertinent ad aliarum communionem, ſed ſuæ propriæ Eccleſiæ communione intercedente.

XXVI. 2. Poſſunt tamen propter manifeſtas hæreſes, ut flagitia, damnari, deſeri, rejici, quod eſt analogum excommunicationis,

Quæſtio duodecima. Quouſque excommunicatio ſeparat excōmunicatum à communione ſanctorū?

XXVII. Reſp. 1. Ex natura ſententiæ, ſeparat ab omni communione, quæ propria eſt ſanctorum. & ab iis inter ſe mutuo exercenda, qua tales ſunt.

Declarat enim hominum contumaciter impœnitentem, atque adeo eodem loco habendum cum ethnicis & publicanis.

XXVIII. 2. Quia tamen ſeparatio eſt medicinalis, non reliquo corpori tantum, ſed & membro ipſi amputato, 1 *Cor.* 5. 5. idcirco ex ordine, cum ſingulari ſpe reſipiſcentiæ adhibetur, & aliquam differentiam ponit inter excommunicatos & meros Ethnicos.

XXIX. 3. Quoad externam igitur communionem & fraternitatem ſeparat abſolutè: ſed quoad internam, nonniſi ex conditione impœnitentiæ plenariæ obſtinatæ.

XXX. 4. Eccleſiaſtica proinde communio denegari debet homini legitimè excommunicato; & omnis etiam voluntaria ac libera converſatio, qua ſingularis animi propenſio in perſonam alterius & ſtatus ejus approbatio declarari ſolet, debet vitari, 1 *Cor.* 5. 11. 2 *Theſſ.* 3. 14. non autem vel politica, vel œconomica illa communio, quæ vinculum obligationis habet à lege naturæ, qualis eſt mariti & uxoris, parentum & liberorum, dominorum & ſervorum, ac Magiſtratuum & ſubditorum.

Quæſtio decima tertia. An omnes reſipiſcentiam profitentes in gratiam & communionem Eccleſiæ ſint recipiendi?

XXXI. Reſp. Verbalis profeſſio pœnitentiæ non ſufficit: quia ſic ſanctiſſima Dei inſtituta impiorum ludibrio poſſint exponi: & eccleſiaſticæ actionis virtus in externa forma collocaretur. Illa igitur ſigna requiruntur, quæ judicio charitatis veram & ſeriam reſipiſcentiam oſtendunt, & probabiliter admodum teſtatam reddunt.

## CAPUT XXX.

### *De modo Cultus: & primo de præparatione ad Cultum.*

QUæstio prima. An præceptio ad cultum sit necessaria?

I. Resp. Ad cultum solemniorem requiritur præparatio. *Prov.* 24. 7. *Exod.* 19, 10. 11. & 30. 20. *Eccl.* 5. 1. 2. 1. Quia dispositio apta requiritur in subjecto, ut capax sit boni ipsi communicandi. Quicquid enim recipitur, recipitur secundum modum recipientis. 2. Quia nos ex infirmitate & corruptione naturæ, inepti sumus ad omne bonum. *Ier.* 4. 3. 3. Quia præcellens dignitas eorum, quæ ad Deum spectant, curam postulat plusquam vulgarem, *Eccl.* 5. 1, 2. Quia Diabolus omni modo studet avertere animos nostros vel à cultu Dei, vel à debito & frugifero ejus modo, *Luc.* 8. 12.

Quæstio secunda. Quibus in rebus consistit hæc præparatio?

II. Resp. 1. Requiritur imprimis consideratio naturæ officii quod aggredimur, & eorum quæ ad illud spectant, *Eccles.* 5. 2. *ne acceleres, & animus tuus ne festinet*: id est, ne agas inconsideratè, *Act.* 10. 1. 1 *Thess.* 2. 13.

III. 2. Requiritur intentio recta, illud ipsum quærendi, ad quod specialis ille cultus, in quo versaturi sumus, natura sua tendit, e. g. qui ad concionem accedit, non ut voluntatem Dei discat eique se subjiciat, & affectus illos induat, eamque viam sequatur, ad quam per verbum Dei vocatur, non est mirum, si talis vel discedit à concione, qualis accessit, vel etiam pejor: nam consequi potest id cujus gratia accessit, hominum approbationem, fortassis etiam aliquam delectationem, & leviorem, nonnunquam speculationem. *Esai.* 3. 31. 32. sed verbum fit ipsi non odor vitæ ad

vitam, sed potius odor mortis ad mortem, 2 *Cor*.2. 16. professionis in isto genere optimæ, sed hypocritæ habemus exemplum, *Ierem*. 42. 3. 5. 6. 20.

IV. 3. Requiritur ut repugnantes cogitationes affectusque non tantum illiciti, sed & alias liciti, qui cum possint esse impedimento, quantum fieri possit amoveantur, & deponantur, *Exod*. 3. 5. 1. *Petr*. 2. 1. *Matth*. 13. 22. 1 *Petr*. 1. 13.

V. 4. Requiritur denique cor honestum ac bonum, *Luc*. 8. 15.

## CAPUT XXXI.

### *De Roverentia Cultus.*

QUæstio prima. An & quatenus religiosa reverentia deferenda sit rebus iis, quæ spectant ad cultum, ut Scripturæ verbis, codici sacro, atque Baptismi, pani ac vino in cœna Dominica?

I. Resp. 1. Reverentia, vel honor triplici sensu vocatur religiosus: quia elicitur à religione; ita ut sit proprius ejus actus, continens in se virtutem & directam relationem illam, quæ est in cultu religioso: vel tantum quia imperatur à religione, tanquam aliquid congruens illius naturæ: vel denique, quia & imperatur à religione, & fundamentum habet in relatione rei aut personæ alicujus ad religionem & cultum sacrum. Primo sensu religiosus honor soli Deo debetur. Secundo modo, honor etiam civilis, qui in quinto præcepto imperatur, & hominibus superioribus præcipuè debetur, rectè dicitur religiosus. Tertio vero sensu debetur omnibus iis, quæ propriè spectant ad cultum.

II. In usu sacro, quamvis honor divinus non sit sacris rebus deferendus, neque illæ res habendæ sint pro proximis objectis illius cultus, per quas ad Deum deferatur; neque denique inferioris generis cultus in illas transferendus: qui omnes sunt Pontificiorum errores, dum Eucharistiam colunt ut Deum,

Deum, imagines, ut terminos proximos, quamvis non ultimos religiosi cultus; & vasa sacra observantia quadam religiosa; honor tamen ille qui Deo debetur, non potest ipsi debito modo exhiberi, nisi cum singulari reverentia tractentur ejus instrumenta, propter arctam illam connexionem & relationem, quæ inter actum aliquem, & instrumentum actus intercedit.

III. 3. Extra usum sacrum, quia nullam rem externam habemus ex divina institutione consecratam, & religioso statu collocatam, eo modo, quo arca, altare, templum, & similia fuerunt sub veteri testamento, idcirco nullus positivus honor ex religione ulli rei externæ debetur. Privativa tamen est quædam reverentia, quæ necessario sequitur ex religioso Dei honore: illa scil. qua cavetur, ne quidquam fiat circa res illas, que spectant ad cultum, extra usum sacrum, cujus ratione minuatur, aut violetur illa reverentia, quæ in sacro usu vel cultu debet observari. Hujus generis est illa cura, qua cavetur, ne verba, aut phrases sacræ, misceantur jocis; ne codex sacer conculcetur, vel ad usum aliquem applicetur, cui speciem aliquam fœditatis aut dedecoris habet conjunctam; ne panis ipse, vel vinum post communionem relictum alicui contumeliæ exponatur, &c.

## CAPUT XXXII.

### *De Devotione.*

QUæstio prima. Quibus in rebus consistit devotio?

I. R. 1. Ad devotionem requiritur, ut quis firmam & absolutam habeat intentionem sese Deo, & ejus cultui tradendi, ita ut ab hoc proposito nullis vel illecebris vel periculis velit averti. Hoc respectu, devotio est fortitudo religionis, & ex illa sequitur constantia, & patientia illa, quæ propria

est religionis & officiorum ejusdem. Proportionem habet cum improba devotione illa cujus mentio fit, *Actor*. 23. 12.

II. 2. Requiritur, ut non acquiescant in quolibet gradu pietatis, ex tepiditate, pigritia, aut lentitudine, sed aspiret semper ad summam perfectionem. Hoc respectu, devotio est zelus religionis, *Apoc*. 3. 15, 16, 19.

III. 3. Requiritur, ut complacentiam, delectationem, & gaudium habeat in exercitiis religionis, *Esai*. 58. 13. *Psal*. 122. 2 *Esai*. 12. 3. 1 *Chron*. 29. 9. Hæc est spiritualis voluptas religionis.

IV. 5. Requiritur ut frequens & multus sit in iisdem exercitiis, *Actor*. 10. 3. *Luc*. 2. 37. *Psal*. 119. 164. Hæc est diligentia religionis.

V. 5. Requiritur in illis exercitiis cogitationes & affectus suos præsentes, quantum fieri possit, detineat, & hoc agentes, sine evagationibus, & distractionibus mentis, *Actor*. 16. 14. *Eph*. 6. 18. 1 *Tim*. 4. 15.

VI. 6. Requiritur ut animam & conscientiam habeat teneram, qua secundam specialem occasionem, quæ in aliquo exercitio occurrit, piè commovetur, 2. *Reg*. 22. 19.

VII. 7. Requiritur denique ut omnibus viribus viam instituere nitatur, sicut decet eos qui Deum colunt, 2. *Tim*. 2. 19.

Quæstio secunda. Quibus mediis possit ista devotio per gratiam Dei, à nobis comparari?

VIII. Resp. 1. Necessarium est imprimis, ut corda nostra, quantum fieri possit, perpetuò custodiamus, ab illis cognitionibus & affectibus libera, qui religioni, aut fervori ejus repugnant.

IX. 2. Necessarium etiam est, non tantum frequenter cum Deo versari, in exercitiis pietatis; sed etiam intermedio tempore, dum aliud agimus, conservare aliquo modo calorem illum, quem in illis exercitiis adepti sumus; & renovando continuare sanctas illas cogitationes, quas sensimus in nobis

ex-

excitatas. Qui aliter facit, ejus vita transigitur in texenda, & retexenda eadem tela, sine progressu ad ullam perfectionem.

X. 3. Necessarium est etiam ut subinde corda nostra elevemus ad Deum, brevibus illis votis ex omni occasione utentes, quæ orationes succinctæ ac jaculatoriæ vocantur, & possunt ad Deum in omni loco & tempore emitti. Neque inutile est, præsertim infirmioribus versiculos quosdam ex Psalmis decerptos, quos maximè efficaces in corde suo sensit, habere semper in promptu, ut per illos in Deum ex occasione animus ejus elevetur.

XI. 4. Plurimum conducit, si exerceamus nosmetipsos, ad occasionem captandam ex rebus vulgaribus, cogitatione & mentis discursu ad spirituales assurgere meditationes. Cujus rei exempla varia in historia Euangelii reliquit nobis Christus.

XII. 5. Utile est, certa tempora habere constituta, ad privata exercitia pietatis, eaque non ex consuetudine observare, sed serio impendere ad pietatis incrementum. De istis autem quamvis regula certa tradi non possit, communi tamen instinctu omnium Christianorum, matutinum & vespertinum sacrificium omnibus commendatur.

XIII. 6. Plurimum interest delectum facere eorum quibuscum familiariter conversamur, ut scil. tales sunt à quibus redeamus non frigefacta, sed excitata in animis nostris pietatis cura.

XIV. 7. Juvat etiam non parum, subinde nosmetipsos revocare ad rationes reddendas in conscientiis nostris coram Deo, progressuum & defectuum nostrorum in studio pietatis.

## CAPUT XXXIII.

### *De Die Dominica.*

Suppositis eis, quæ de hoc instituto disputata sunt in Medulla Theologiæ, sit

QUæstio prima. Quænam sit differentia inter observationem diei Dominicæ, & eorum temporum quæ in aliis diebus, cultui publico destinantur?

I. Resp. 1. Alia tempora sunt ab hominibus designata: sed dies Dominica ab ipso Domino. 2. Alia tempora non tam sunt instituta, quam prudenti consilio electa secundum singularem Ecclesiarum commoditatem: sed dies Dominica institutionis rationem habet accuratam. 3. Alia tempora personalis tantum sunt obligationis, juxta cujusque opportunitatem: sed dies Dominica est obligationis generalis, ita ut cæteræ occupationes cedere debeant ejus observationi.

Quæstio secunda. Quænam alias licita, sunt illicita in die Dominica?

II. Resp. 1. Occupationes illæ omnes quæ notabiliter impediunt hominem, quo minus possit Deo & ejus cultui, vel publico, vel privato vacare, sunt regulariter & ordinarie illicitæ, ex natura & fine hujus institutionis.

III. 2. Nulla hic est differentia inter opus mechanicum aut corporale, quod propriè servile vocatur, & opus illud quod vocari solet liberale. Quamvis enim servile opus nominatim prohibeatur; hoc tamen exemplo synecdochicè designantur omnia illa opera, qua pariter adversantur fini illi, qui spectatur in sanctificatione septimæ diei.

IV. 3. Quæ ad voluptatem & recreationem spectant, si talia sint ut impediant hominem ne Deo illa die

die vacet, non minus prohibentur quam ordinariæ occupationis labores.

V. 4. Itinera facere, quæ non spectant ad cultum Dei commodius exercendum, sed vel ad negotia vulgaria conficienda, vel ad oblectationem, non minus aliena sunt ab hujus diei observatione, quam idem temporis spatium in servilibus negotiis, aut voluptatibus consectandis locare.

VI. 5. Nundinæ, mercatus, & actus mercandi operosi, eadem ratione cum laboribus & occupationibus quotidianis, hujus diei sanctificationi repugnant.

VII. 6. Illa quæ pertinent ad strepitum forensem, ejusdem sunt naturæ.

VIII. 7. Non externæ tantum occupationes, quibus circa res istas versamur, prohibentur, sed & solicitæ curæ, eodem spectant.

Quæstio tertia. Quæ causæ sint excusantes hujusmodi occupationes, ut die Dominica licitè possint exerceri?

IX. Resp. 1. Necessitas præsens, vel imminens: quæ neque fingitur, neque consilio accersitur, sed per providentiam Dei nobis imponitur, *Luc.* 14. 5.

X. 2. Hæc autem necessitas 1. est medii ad finem, non respicens lucrum, aut voluptatem, aut finem, sed maximè proprie incommodi alicujus extra ordinem incidentis evitationem. Nihil igitur juvat eos, qui lucrum cessans damnum reputantes, ne occasiones lucri præterire sinant, in vulgaribus occupationibus exercentur. 2. Est necessitas evidens, non ex incerta conjectura concepta. Non facit igitur pro agricolis, & similibus, qui vel sementis, vel messis tempore, diem hunc laboribus impendunt, quia periculum metuunt ex dilatione.

VI. 3. Necessitas ista non intelligitur tantum qua spectat ad nosmetipsos, sed etiam ad proximum: quomodo medici, chirurgi, pharmacopolæ, in sublevandis ægris licitè occupantur, & ad rempubli-

publicam aut civitatem: quomodo in militia, multa opera servilia necessaria evadunt.

XII. 4. Quia necessitas medii alicujus, in quo servorum aut subditorum opera à superioribus exigitur, non potest ab ipsis judicari, idcirco si extra ordinem imperentur ipsis officia laboriosa, quæ necessitatem suam possint habere, pro necessariis ab ipsis debent haberi.

XIII. 5. Opera misericordiæ & necessitatis sunt annumeranda, & etiam officiis pietatis.

XIV. 6. Opera servilia, quæ necessaria sunt ad cultum Dei celebrandum, non tamen necessitate sua, sed ab ipso cultu, cujus sunt adjuncta, licita redduntur.

XV. 7. Communis honestatis officia, quibus ordinaria & modesta lætitia vitæ favetur, & pietatis exercitia non impediuntur, & necessaria sunt respectu finis, & libera sua natura: quia instituta Dei, quæ faciunt ad spiritualem vitam promovendã, temporali vitæ non adversantur. Sed lautiores apparatus ad convivia extraordinaria operose instruenda, non possunt consistere cum hujus diei debita quiete.

XVI. 8. Exigua & brevis aliqua occupatio, qua quis circa res temporales ex occasione versatur, ita potest dirigi, & meditatione pia temperari, ut religionis officia non impediat, sed potius juvet. Et quidem talis occupatio, cum tali modo, non abstrahit animum à cultu divino.

Quæstio quarta. Quænam requiruntur ad hujus diei sanctificationem?

XVII. Resp. 1. Exercitia cultus quæ sunt quotidiana, non debent quidem omitti; non tamen sufficiunt, sed singularibus exercitiis sunt cumulanda, *Num.* 28, 6. 2. 8, 9, 10.

XVIII. 2. Exercitia publici cultus, in Ecclesia bene constituta, & libertate fruente, debent tam post, quam ante meridiem celebrari, ibid. *Psal.* 92. 2. *Actor*, 20. 7. Ubi autem solemnes conventus desunt, ibi

ibi omnis occasio captanda defectu illius, quoad fieri possit, supplendi, *Actor.* 16. 14.

XIX. 3. Quæ necessaria sunt ad fructum justum ex his exercitiis percipiendum, tam in præparatione antecedente, quam in recordatione consequente, pro connexionis ratione, quam cum ipsis exercitiis habent, tanquam pares eorum debent haberi.

XX. 4. Singularis meditatio operum Dei, in ordine ad religionem, singulariter pertinet ad hujus diei sanctificationem, *Psal.* 95.

XXI. 5. Ita debemus in istis exercitiis versari, ut spiritualem inde refectionem percipiamus, cujus virtute aptiores reddamur ad reliquam septimanam sanctè transigendam, *Esai.* 51. 13. *Exod.* 31. 13. *Esai.* 56. 2.

FINIS LIBRI QUARTI.



# LIBER QUINTUS,

# DE OFFICIIS HOMINIS ERGA PROXIMUM.

## CAPUT I.

### *De Jure.*

I. VOX ista *jus* deducitur à *jussu*, quia vim notat alicujus authoritatis jubentis hoc aut illud fieri. Accipitur igitur 1. pro lege jubente. 2. Pro objecto & effecto justitiæ, vel pro actione quam lex præscribit & requirit. Hoc sensu dicimur jus suum cuique tribuere. 3. Pro peritia legum secundum illud vulgatum: jus est ars æqui & boni. 4. Pro facultate aut potestate quam quisque habet hoc aut illud secundum legem agendi: quo sensu dicimus aliquem uti jure suo. Cui acceptioni affinis est applicatio hujus vocis ad privilegium aliquod significandum, vel à lege vel æquali authoritate concessum: cujus generis inter veteres Romanos *jus* fuit *trium liberorum*.

II. Prima & secunda acceptio, non re, sed ratione tantum differunt: quia rectitudo eadem in utraque designatur, sed cum duplici existentia 1, in lege ut in efficiente ac regula, & 2. in actione tanquam in effecto conformi. In tertia & quarta acceptione metonymia est subjecti pro adjuncto, & causæ pro effecto. Jus prout amplissimè consideratur, dividitur in jus divinum, cujus Deus est autor, & jus humanum, cujus homo est conditor.

III. Jus divinum dividitur in jus naturale, & jus positivum.

*a* IV. Jus naturale est, quod naturali instinctu luminis naturalis, cognoscitur esse faciendum, aut vitandum; vel saltem per consequentiam evidentem deducitur ex illo lumine naturali. Ita ut hoc jus partim consistat ex principiis practicis natura notis, & partim ex conclusionibus inde deductis.

*b* V. Jus divinum positivum est jus additum naturali, per specialem revelationem Dei.

VI. Jus naturale, vel lex naturalis est eadem quæ dici solet lex æterna. Sed æterna dicitur, quatenus est in ipso Deo ab æterno: naturalis autem quatenus indita est, & impressa naturæ hominum ab authore naturæ.

VII. Jus quidem positivum fuit etiam ab æterno in mente divina: sed quia hoc non tam facile percipitur à ratione nostra, idcirco non solet vocari lex æterna.

VII. Jus naturale & positivum divinum in eo differunt, quod positivum est mutabile, & varium pro beneplacito Dei, aliud enim olim fuit in Ecclesia Judaica, quam jam est in Ecclesia Christiana. Jus autem naturale semper idem est & sui simile. Et hac etiam ratione vocatur lex æterna.

*c* Quæstio prima. An non jus naturale mutatum fuerit quando Abrahamo præceptum fuit, ut filium suum mactaret; & cum Israëlitis permittebatur Ægyptiorum bona auferre?

IX. R. Non fuit in istis mutatio legis, aut etiam dispensatio propriè dicta: sed mutatio materiæ circa quam lex versatur. In priore enim exemplo, vita innocentis, quæ non fuit subjecta potestati Abrahami ut causæ principali, subjiciebatur ipsi ut instrumento dominii & beneplaciti divini.

X. In posteriore exemplo, bona Ægyptiorum, propter voluntatem Dei, qui dominus est omnium absolutus, desinebant esse Ægyptiorum, & inci-

*a* Jus naturale *b* Jus divinum positivum. *c* Jus mutabile.

pie-

piebant esse Israëlitarum: Israëlitæ igitur dum illa accipiebant, non res alienas, sed suas accipiebant.

Quæstio secunda. Annon mutetur jus naturale, quando gladius depositus & repetitus ad homicidium patrandum non redditur, neque reddi debet?

XI. Resp. Non mutatur jus de deposito reddendo: sed impeditur, aut retardatur, per jus aliud magis observandum, de non occidendo.

XII. Similis ferè est ratio præscriptionis, vel usucapionis, qua fit, ut post certum tempus exactum, denegetur actio vero domino, rerum suarum à possessore injusto repetundarum. Impeditur enim processus juris particularis, propter jus & bonum publicum, ad lites infinitas rescindendas. Per meram tamen usucapionem non transfertur dominium in foro conscientiæ. Qui enim sciens, volens retinet alienum, proprio domino invito, peccat contra jus naturale. Neque à legibus hoc præcipitur, sed tantum permittitur.

*a* Quæstio tertia. An rectè dicatur à Jurisconsultis, jus naturale esse quod natura omnia animalia docuit?

XIII. Resp. 1. In brutis animalibus juris ratio propria non magis habet locum, quam in plantis aut in rebus inanimatis. Quia neque ratio distinguens inter bonum & malum, neque voluntas aut electio unius præ alio, neque denique justitia ulla brutis magis quam rebus inanimatis inest.

XIV. 2. In omnibus tamen rebus est inclinatio, potentia, & operatio, quæ dirigitur certa ratione, prout convenit earum naturæ & fini, & hoc respectu omnes res creatæ dicuntur habere legem sibi impositam: quæ tamen lex vel jus in ipsis tantum passivè geritur, atque adeo quoad ipsos per similitudinem tantum & proportionem lex & jus appellatur, *Psal.* [illegible]8.6. *Job.* 38. 10, 11, 12. *Jerem.* 33. 20, 25.

*a* De definitione juris naturalis Justiniani.

XV. 3.

XV. 3. Quia tamen quædam sunt inclinationes, operationes, quæ communes sunt hominibus cum brutis, & non cum plantis, aut rebus aliis inanimatis, cujus generis sunt custodia & defensio vitæ ac libertatis, conjunctio maris & fœminæ, &c. Quorum etiam apprehensionem quandam habent animalia per instinctum naturæ, sicut homo habet per judicium rationis; idcircò speciali quadam proportione jus naturale tribuitur brutis magis, quam plantis & rebus inanimatis.

XVI. 4. Hinc est quod peccatum hominis facientis contra illas inclinationes naturales, quas cum brutis habet communes, ex hac ipsa comparatione rectissimè & gravissimè exaggeratur *Esai.* 1. 2. *Jerem.* 8. 7. *Rom.* 1. 26. 2 *Timoth.* 3. 3. ἄστοργοι, *Iud.* 10.

*a* Quæstio quarta. An jus gentium sit idem quod jus naturale?

XVII. *Resp.* 1. Jus gentium si accipiatur pro illo jure, quo omnes gentes utuntur, complectitur sub se non jus naturale tantum, sed & positivum. Sic servitus à Jurisconsultis dicitur esse de jure gentium: & tamen constat eam introductam esse consuetudine & jure positivo. Eadem est ratio divisionis possessionum, & similium.

XVIII. Si accipiatur jus gentium pro eo quod à gentibus communi consensu & consuetudine est introductum, tum mediam quandam naturam habet inter jus naturale, & positivum illud, quod est unius aut alterius gentis proprium. Cum jure naturali hoc habet commune, quod absque certa authoritate & promulgatione, ubique recipiatur, & si contrarium fiat, omnes judicent malè fieri. Cum jure tamen positivo hoc habet commune; quod ex communi consensu eorum, quorum interest, possit mutari vel abrogari. Divisio

*a* Jus gentium.

rerum

rerum est de jure gentium. Potest tamen alicubi fieri justa de causa, consensu communi, ut omnes fere possessiones sint communes. Jus etiam gentium est, ut tempore belli legati utriusque partis pacificè recipiantur: quia præsupponitur eos agere de pace, quæ est finis belli; aut saltem ad causam dicendam venire, quod nulli reo est denegandum. Et tamen ex causa justa, & communi consensu eorum, qui bellum gerunt, potest nonnunquam huic juri abrogari.

Quæstio quinta. An juris naturalis præcepta recte statuantur: honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere?

XIX. Resp. Confusa & imperfecta admodum est hæc enumeratio. Nam 1. Nihil præcipitur de Deo colendo, quod tamen est principium juris naturalis. 2. Honestè vivere (prout à Philosophis & Theologis hæc phrasis accipitur) idem est quod virtutem colere. Virtus enim est honestas, aut bonum honestum, prout distinguitur à bono utili, & jucundo: eodem etiam sensu vocatur bonum absolutum, & bonum justum. Honeste vivere igitur si hoc sensu accipiatur, nihil aliud est quam juste vivere; ita ut cum juris præceptum dicitur honeste vivere, nihil aliud dicatur, quam jus præcipere ut justè vivamus; & sic nihil omnino dicitur, quia idem per idem explicatur. Si verò sic accipiatur hæc phrasis, prout à vulgò intelligitur, pro honore scil. & laude ab hominibus comparanda, tum nullum certum præceptum continet, sed ut quisque velificetur suo honori & existimationi, secundum futilem & inconstantem opinionem vulgi. 3. Non lædere alterum, quid sit, præceptis juris explicari debet: nam eo ipso quod officium facimus erga aliquem, ipsum non lædimus. Si autem non faciamus officium, lædimus, quia jus ejus ipsi non tribuimus, quamvis forsan nobismetipsis videamur bene de ipso mereri. Hoc igitur est præceptum nimis con-

confusum. 4. Suum cuique tribuere, nihil aliud est quam jus cuique tribuere, id est, facere quod jus & justum est. Non magis igitur est præceptum juris, quam legis præceptum dicendum, legitime vel secundum legem vivere.

*a* Quæstio sexta. An illud præceptum sit juris naturalis: Quod tibi fieri vis, id alteri feceris: Quod tibi fieri non vis, id alteri ne feceris?

XX. Respond. Hoc præceptum est naturale, & plane divinum, *Matth.* 7.2. *Luc.* 6. 31. De eo tamen observandum. 1. Quod non exhauriat totum jus naturale, sed tantum illam partem qua officium nostrum erga homines continetur. 2. Quod voluntas qualiscunque nostra non sit regula officii erga alios præstandi (sic enim qui turpe aliquid vellet sibi, similiter etiam faceret aliis: qui vellet inebriari, alios inebriaret: qui vellet ad scortationem invitari, pelliceret aliam ad impudicitiam) sed voluntas naturalis benè ordinata, nulla perturbatione infecta, qua verè bonum nobis optamus. 3. Quod non præcipiatur, ut omnia eadem particulari faciamus aliis, quæ cupimus nobis exhiberi (sic enim domini servirent suis servis, & cessarent esse domini) sed eadem ex proportione; vel eadem ex suppositione, si scilicet nos in eorum loco essemus. *Radix justitiæ, & omne fundamentum æquitatis (ait Lactantius in epit. cap. 3.) est illud: Vide ut ne facias ulli, quod pati nolis: sed alterius animum de tuo metieris. Si acerbum est, injuriam ferre, & qui eam fecerit videtur injustus, transfer in alterius personam, quod in te sentis, & in tuam, quod de altero judicas: & intelliges tam te injuste facere, si alteri noceat, quam alterum, si tibi. Hac si mente volvamus, innocentiam tenebimus, in qua justitia velut in primo gradu consistit. Primus est enim, non nocere proximo, sed officiosè prodesse. Alexan-*

*a* Quod tibi fieri vis, id alteri feceris.

*der*

*der Severus (ut refert Lampridius) clamabat sæpius, quod à quibusdam, sive Iudæis, sive Christianis audierat, & tenebat; idque per præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quam sententiam usque adeò dilexit, ut in palatio, & in publicis operibus perscribi juberet.*

*a* Quæstio septima. Quomodo se habeat jus civile ad naturale?

XXI. Resp. 1. Jus civile est, quod quæque civitas aut hominum societas sibi constituit. Tale jus est non tantum Romanorum, sed & Atheniensium, Anglorum, &c. qui nullam rationem habent juris Romani.

XXII. 2. Jus hoc civile, quatenus rectum est, à jure naturali derivatur. Jus enim non est quod non est justum & rectum. Rectum autem in moralibus est quod cum recta ratione practica consentit. Et recta ratio practica est jus naturale.

XXIII. 3. Derivatur autem jus civile à naturali, vel ut conclusio specialis ex generali propositione deducta, vel ut specialis determinatio & accommodatio axiomatis generalis.

XXIV. 4. Jus illud quod à jure naturali derivatur, solummodò per viam conclusionis, si consequentia sit bona, totum suum vigorem habet à lege naturæ, sicut conclusio suum firmamentum habet à præmissis. Illud verò quod à jure naturali derivatur per determinationem & accommodationem est, ex parte nova constitutio: sicut species omnis suam propriam habet formam, & essentiam præter illam quæ actu in genere continetur.

XXV. 5. Cum igitur jam in conclusionibus, quam in determinationibus istis, humana ratio imperfectè judicet, & sæpe hallucinetur, hinc omne jus humanum obnoxium est imperfectioni, errori, ac injustitiæ. Hoc juris Romani Auctores de suis

*a* Jus civile.

legi-

legibus fatentur. *Omnium quæ constituta sunt ratio reddi non potest, l. non omnibus, d. legibus. Multa jure civili, contra rationem disputandi, pro utilitate communi recepta esse innumerabilibus rebus probari potest.* Ad leg. Aquil. ff. 51.

XXVI. 6. Imperfectio optimi Juris civilis in eo consistit, 1. Quod non contineat in sese totum jus naturale, sed illud tantum, quod hi aut illi homines approbarunt, & suis moribus accommodarunt. 2. Quod non internos affectus, sed externos tantum actus respiciat. 3. Quod omnia vitia non cohibeat, sed illa sola, quæ reipublicæ pacem & quietem turbare posse videntur, neque omnium virtutum omnes actus præcipiat, sed eos solos, qui illis vitiis adversantur. 4. Quod non facit viros bonos, sed cives tantum aut subditos bonos Jus. 5. Quod in multis additionem, detractionem, & correctionem ex occasione admittat.

Quæstio octava. Quomodo se habeat lex moralis ad legem naturæ?

XXVII. Resp. 1. Præcepta omnia moralia sunt de jure naturali, præter determinationem diei, in quarto præcepto, quæ est juris positivi. Nam. 1. Nihil in illis reperitur, quod non pertineat ad omnes gentes, per omnia sæcula: ita ut non singularem aliquam conditionem hominum, sed naturam ipsam concernant. 2. Nihil in illis continetur, quod non est necessarium naturæ humanæ, ad finem suum consequendum. 3. Nihil est in ills, quod in recta ratione non ita radicatur, ut etiam humanis ratiocinationibus solidè fulciri possit & corroborari; nihil quod à serena ratione non possit doceri. 4. Omnia quæ in eis habentur ab ipsis Ethnicis intelligentioribus, quoad substantiam approbantur. 5. Omnia faciunt ad summam humani generis utilitatem in vita præsenti, ita ut si hæc præcepta observarentur, non opus esset legibus aliis humanis. De secundæ tabulæ præceptis

ptis memorabilis est illa sententia, sive Hieronymi, sive Paulini, apud Hieron. ad Celant. de instit. matrisfam. *Omnia*, inquit, *quaecunque vultis ut faciant vobis homines haec & vos facite illis. Conjungi vult inter nos, atque connecti per mutua beneficia charitatem, adeo ut tota justitia, & praeceptum hoc Dei communis sit utilitas hominum. O miram clementiam Domini, ô ineffabilem Dei benignitatem! praemium nobis pollicetur, si nos invicem diligamus, id est, si nos ea praestemus invicem, quorum vicissim indigemus. Et nos superbo & ingrato animo, ejus renitimur voluntati, cujus etiam imperium beneficium est.*

Object. Si lex moralis sit lex naturae, tum nihil opus fuit, ut vel voce, vel scriptione promulgaretur: quia scribitur in omnium hominum corde à natura.

XXVIII. Solut. In natura quidem integra nihil opus fuisset hujusmodi promulgatione; sed post naturae corruptionem, talis est caecitas mentis, & perversitas voluntatis, affectuumque perturbatio, ut in omnium cordibus reliquiae tantum hujus legis manserint, tanquam picturae cujusdam exoletae, quae idcircò debuit voce ac authoritate Dei, quasi novo penicillo renovari. Nullibi igitur invenitur recta ratio practica, omnibus suis partibus pura & completa, praeterquam in lege Dei scripta. *Psal.* 119. 66. *praestantiam rationis & scientia doce me.*

Quaestio nona. Quomodo se habeat lex judicialis ad jus naturale?

XXIX. R. 1. Lex judicialis dicitur propriè, quae ferebatur de judiciis & rebus politicis eo spectantibus: sicut lex ceremonialis, quae ferebatur de ceremoniis, & lex moralis, quae de moribus aut officiis communibus ferebatur.

XXX. 2. Ista lex judicialis, quae per Mosen tradita fuit Israëlitis, ut eorum propria, fuit ipsis accuratissima determinatio & accommodatio juris natu-

naturalis, secundum illius populi singularem conditionem.

XXXI. 3. Fuit igitur Israëlitis quoad usum similis naturæ, cum bonis legibus civilibus apud alias gentes: sed majoris multo perfectionis, quoad authoritatem, quam à Deo immediato ejus latore accepit.

XXXII. 4. Ista lex ad Christianos non pertinet sub ratione legis specialiter obligantis, sed tantum sub ratione doctrinæ, quatenus vel generali sua natura vel proportionis æquitate, exhibet semper nobis optimam naturalis juris determinationem.

XXXIII. 5. Lex ista judicialis non accuratè distinguitur à morali, & naturali, ex eo, quod lex moralis à Deo fuerit sua voce publicè promulgata, & bis in tabulis lapideis scripta, ac decalogo exprimatur; judicialis autem postea tradita Mosi, & per Mosen populo, sine hujusmodi solemnitate. Leges enim de commodato, ac deposito reddendo, de ponderibus ac mensuris justis, de mercede operario danda, & similes aliæ multæ, quæ à decalogo non exprimuntur, non magis sunt judiciales, aut minus morales ac naturales, quam *non furaberis*, &c.

XXXIV. 6. Judiciales leges propriè illæ fuerunt, quæ cum non fuerunt ceremoniales, singularem ad populum Judaicum respectum habuere, ita ut ratio, causa, & fundamentum earum positum fuerit in illius populi peculiari aliqua conditione.

XXXV. 7. Non tamen est illa regula omninò certa (quæ à nonnullis tradi solet) ubi ratio legis redditur moralis, ibi lex ipsa est moralis, sicut videre est, *Levit.* 11. 14. Potest enim generali ratione confirmari specialis quælibet determinatio. 3. & legislatoris immutabilis natura, in legibus mutabilibus stabiliendis, suum locum & virtutem

tutem habet, Sed ubi ſpecialis, interna & propria legis ratio eſt moralis, ibi ſemper ſequitur legem ipſam eſſe moralem.

XXXVI. 8. Leges igitur illæ, quæ judicialibus annumerari ſolent, & tamen in ratione ſua nullum ſingularem reſpectum habuerunt ad conditionem Judæorum, magis quam aliorum populorum, illæ omnes ſunt juris moralis ac naturalis, omnium populorum communes.

## CAPUT II.

### *De Juſtitia.*

QUæſtio prima. An rectè definiatur juſtitia, perpetua conſtansque voluntas jus ſuum unicuique tribuens?

I. Reſp. 1. Hæc non eſt definitio juſtitiæ generalis, quæ rectitudinem notat virtutis, atque adeo unum idemque ſonat cum virtute in genere. Non eſt enim de eſſentia virtutis omnis reſpicere jus alterius: ſicut palam eſt in libertate.

II. 2. Non eſt accurata definitio juſtitiæ alicujus particularis: quia non ponit genus proximum ſpecialis alicujus virtutis. Quum enim perpetua & conſtans voluntas, idem notet quod habitus, & inter habitum ac ſpecialem virtutem, virtus intercedat ut genus, perpetua & conſtans voluntas non poteſt eſſe ſpecialis alicujus virtutis genus immediatum.

III. 3. Juriſconſulti, qui iſtam definitionem tradunt juſtitiæ, ſibimetipſis in eo miſere contradicunt, quod cum juſtitia æquæ latè pateat ac jus, quod habet pro ſuo objecto, & illi tres actus tribuant juri, honeſtè vivere, neminem lædere, & jus ſuum unicuique tribuere, juſtitiam tamen per unum ſolum actum definiant, jus ſuum unicuique tribuere.

IV. 4. Si ita corrigatur hæc deſcriptio, ut per volun-

voluntatem perpetuam, & constantem intelligatur virtus, & per unumquemque designetur proximus, & per jus ejus officium, quod ipsi præstare debemus, tum denotat justitiam secundæ tabulæ, & coincidit cum definitione nostra: *justitia est virtus, qua inclinamur ad debitum officium proximo præstandum.*

Quæstio secunda. An justitia semper sit ad alterum?

V. Resp. 1. Omnis virtus suo modo ordinatur ad rectitudinem & perfectionem habentis. Justitia igitur non sic est ad alterum, ut nullum respectum habeat ad illum ipsum, qui justitiam exercet.

VI. 2. Ex eo ipso etiam quod justus tribuit alteri suum, necessario sequitur, ut idoneum se præstet ad hoc faciendum, atque ideo sibimetipsi etiam suum jus cum moderatione conservet.

VII. 3. Quia tamen peculiaris difficultas est in alterius jure ac bono procurando, qua in proprio bono quærendo non reperitur; & quia justitia non subsistit in propria utilitate operantis, sed extenditur, ad alios, idcirco per bonum alterius propriè definitur.

Quæstio tertia. An æquitas vel ἐπιείκεια veram habeat justitiæ rationem?

VIII. Resp. 1. Lex illa, quæ est justitiæ regula duplicem finem habet. Alterum intrinsecum & immediatum, quem immediatè respicit ipse legislator: alterum extrinsecum & mediatum. Sic lex de non aperiendis portis alicujus urbis tempore belli, finem immediatum habet, ne hostes irruant in urbem. Finem remotum habet, salutem & incolumen statum civitatis. Justitia legalis strictè sumpta, respicit tantum finem proximum: sed ἐπιείκεια respicit finem remotum.

IX. 2. Quia finis remotus prius & magis principaliter intenditur à legislatore, idcirco absolutè & sim-

& simpliciter loquendo, ἐπιείκεια plus habet in se justitiæ legalis strictè sumptæ. Si igitur certum sit, ex ingressu partes alicujus copiarum hostilium, victoriam & salutem civitatis consecuturam, justius est portas eo usque aperire, quam clausas omnino tenere.

X. 3. Justitia legis strictè sumpta, respicit verba legis prout scripta sunt: æquitas vero respicit finem, scopum, & mentem legis, atque adeo plus habet legis in sese, quam strictè sumpta justitia legalis.

XI. 4. Justitia legalis strictè sumpta, quatenus opponitur æquitati, est iniquitas. Cum enim æquitas sit virtus, necesse est, si quod illi contrariam naturam habet, vitiis aliquo modo annumeretur.

XII. 5. In proverbio illo, quo summum jus summa injuria nominatur, summum jus non accipitur pro accuratissima ratione juris, sed potius pro summitate vel superficie & cortice juris, id est, pro eo quod verba & litteræ legis sonant, intra quem sonum & superficiem summa injuria sæpe latet intus.

XIII. 6. Optima est igitur justitia, ita adhærere verbis legis, ut parati simus altiorem directionem accipere, à voluntate legislatoris, secundum justitiæ æquitatem.

XIV. 7. In multis tamen quæ pertinent ad commune bonum, non est (ex ordine) in potestate subditorum, discedere à verbis legis, quo sensu rectè dicitur, lex non habet mentem præter verba.

Quæstio quarta. Quænam differentia in inter justitiam distributivam & commutativam?

XV. Resp. 1. Justitia distributiva est quasi totius ad partes. Commutativa autem est partis ad partem. Distributio enim honorum & præmiorum incipit à toto, ut majore: sed commutatio æqualitatem juris respicit inter partes commutantes.

XVI.

XVI. 2. In justitia distributiva traditur, quod debetur, non quasi antea fuerit in possessione aut dominio recipientis, aut illi applicatum, sed ex æquitate applicandum. Sed in commutativa redditur debitum, tanquam jam proprium, applicatum, & possessio alterius.

XVII. 3. In distributiva justitia, directe observatur proportio, quam habet persona una ad aliam, respectu rei tradendæ. Sed in commutativa nihil directe observatur, nisi proportio rei acceptæ & redditæ.

Q. 5. An ad utram harum specierum pertineant remuneratio, & punitio?

XVIII. R. Collatio præmiorum, quæ libere donantur secundum æquam proportionem, pertinet ad justitiam distributivam. Sed collatio præmiorum, quæ jure possunt exigi pro servitio impenso tanquam pro merito condigno, pertinet ad justitiam commutativam. Quia tum attenditur æqualitas ejus quod quis accipit, ad illud quod impendit. Punitio verò, quia respicit semper injuriam irrogotam, ut pari supplicio plectatur, idcirco non pertinet ad justitiam distributivam, sed potius ad commutativam. Quia tamen ista commutatio sæpe est coacta, & fit, ut loquuntur, per contrapassionem, non per actionem parem, idcirco rectius refertur ad singularem speciem justitiæ correctivæ, quæ à commutativa proprie dicta distinctam habet rationem.

Q. 6. Quænam sit differentia inter justitiam civilem & criminalem?

XIX. R. 1. Civilis justitia præcipuè corrigit injustitiam rei. Justitia autem criminalis præcipuè corrigit injustitiam personæ.

XX. 2. Injustitia aliquando re, actione & opere tantum continetur, aliquando vero non in opere tantum vel actione, sed etiam in intentione versatur. Si actio sola & opus sit injustum, ita ut intentio non appareat injusta, tum justitia illam injustitiam corrigens est *civilis*. Si vero non actio tantum, sed

& intentio arguatur injusta, tum, quia crimen puniendum intercessit, justitia qua talis injustitia corrigitur, quatenus crimen habet pro objecto, recte vocatur *criminalis*.

XXI. 3. Hinc est, quod actiones civiles, rei persequendæ causa instituantur, & sint reales: actiones vero criminales pœnæ causa instituantur ex obligatione delicti proficiscentes, & sint personales.

XXII. 4. Hinc est quod civiliter agi dicatur, quando privatum commodum, aut propria utilitas partis læsæ vel agentis petitur, criminaliter autem, quando id agitur, ut pœna reo infligatur, & si commodi aliquid inde sequatur, fisco publico applicetur, non parti agenti.

XXIII. 5. Hinc etiam in causa civili potest quis injustitiæ reus esse sine scandalo aut peccato, quia intentio mala deest: sed causæ criminalis injustitia, semper secum trahit iniquam intentionem, in qua peccati ratio manifeste continetur.

XXIV. 6. Quamvis autem toto genere differant ista duo, conjungi tamen possunt in una & eadem causa, ut in actione damni vi manifesta dati, ubi & rei, & pœnæ causa simul agitur.

## CAPUT III.

### *De Vindicta.*

QUæstio prima. Ad quam speciem justitiæ pertineat vindicta?

I. Resp. 1. vindicta, vindicatio vel vltio (qua delicta pro meritis corriguntur) sumitur aliquando pro actu judicis, qui publica autoritate potest eam legitimè exequi: aliquando pro actu hominis privati, quo petit ut ultio à judice legitimè exerceatur: aliquando etiam pro actu hominis privati, quo pœnas exigit à suo inimico.

II. 2. Vindicatio in judice non est actus justitiæ distributivæ: quia nulla est ibi bonorum distributio, & mala apud judicem non sunt proprie deposita

posita, ut distribuantur, Habet tamen similitudinem quandam justitiæ distributivæ, quatenus graviora scelera gravius, & leviora levius puniuntur.

III. 3. Vindicatio in judice quoad rem ipsam est quasi actus justitiæ commutativæ. 1. Quia æqualitas spectatur inter culpam & pœnam. 2. Quia redditur quod debetur ex merito præcedente. 3. Quia reip. recuperat suum honorem quantum fieri potest, ex restitutionis paritate. 4. Quia vindicta reddit partem læsam, cui injuria fuit illata, quantum fieri potest, aliis civibus quoad immunitatem æqualem.

IV. 4. Petitio vindictæ per judicem exercendæ, est etiam nonnunquam in privata persona actus justitiæ commutativæ. e. g. qui graviter læsus est in sua fama, & famam suam habet aliis obligatam, quia non potest officium suum exequi, si maneat infamis, tenetur ex justitia illa commutativa, qua aliis obligatur, petere vindictam. Similis est ratio illius qui injuria gravi afficitur, vel alios affici novit ab eo cujus emendatio non potest alia ratione exspectari. pertinet enim ad justitiam curare, ne resp. sit plena hominibus perniciosis.

V. 5. Petitio tamen vindictæ, quando non est necessaria ad publicum bonum, neque ad delinquentis emendationem, neq; ad partis læsæ immunitatem, non est actus justitiæ. Ratio est, quia in tali casu nihil est, quod obligat privatum ex debito legali ad vindictam petendam; imo ex adverso multa sunt, quæ eum obligant ad injuriam condonandam.

*a* VI. 6. Vindicta privata præsertim in publica societate est injusta, *Rom.* 12 17. *& Rom.* 13. 4. 1 *Petr.* 2. 14. Ratio: 1. Quia vindicare alterius maleficium pertinet ad eum, qui est potestate superior: sed privati omnes sunt jure æquales. 2. Quia vindicta est actus judicii, & nemo est idoneus judex in sua propria causa. Qua etiam ratione fit, ut qui vindictam petit à judice, non recte petat nisi sub ista conditione, si (causa cognita) ita fuerit judicatum. 3. Quia privatus non potest per se ad pro-

a Vindicta privata.

prios fines vindictæ pertingere. Cum enim in alienis injuriis vindicandis, hæc tria spectari debeant à lege & magistratu, ut eum quem punit emendet. *Rom.* 13. 4. ut pœna ejus cæteros meliores reddat. *Deut.* 16. 20. & ut pati læsæ, ac aliis in reliquum securitas præstetur; *Exod.* 21. 18. *Rom.* 13. 4. 1 *Tim.* 2. 2. nihil horum assequitur ille, qui privatam vindictam exercet. Adversarium enim magis magisque irritat, aliis exemplum præbet scandali plenum, & vexationem sibi & aliis accersit, nullis finibus terminandam. 4. Quia vindicta est propria Dei, *Deut.* 25. 35. *Rom.* 13. 19 *Hebr.* 10. 30. non igitur suscipienda est, nisi ab iis quibus est a Deo commissa, quorum vindicatio est ultio Domini, *Num.* 31. 2.

VII. 7. Publica ipsa vindicta, sive à Magistratu exerceatur, sive à privato petatur, si vel ex livore, odio, cupiditate aut crudelitate procedit, vel alia ratione videatur in causa impulsiva, formali, aut finali, eatenus privata & illicita evadit.

*b* Quæstio secunda. An vindicta possit justè exerceri in eos qui à culpa sunt immunes?

VIII. R. 1. Vindicta sua natura est pœna: pœna autem justa in formali sua ratione respectum habet ad culpam antecedentem, ut effectum ad suam causam impellentem, aut meritoriam, ut adjunctum ad suam similem regulam, ex qua mensuram habet, ut actus corrigens, ad suum objectum corrigendum; nullum igitur locum potest habere, ubi nulla culpa præcessit.

IX. 2. Vindictæ tamen simile quid, quatenus medicinæ rationem habet, & est necessaria vel ad præservandum à peccato futuro, vel ad promovendum in bono, exerceri potest, nulla singulari culpa præcedente. Sicut enim inciditur vena, ut cordi prospiciatur, sic externa quædam commoda quibusdam subduci possunt ex occasione, vel ad majora incommoda cavenda, vel majus bonum procurandum. Sic leprosus amovetur à publica administratione, & privata hominum conversatio-

*b* An pœna intelligi possit absque culpa?

ne, &

ne, & tamen lepra non est culpa.

X. 3. Quod filii nonnunquam calamitatem juste patiantur ex illa culpa, quæ propria est parentum, hoc inde fit, quia filii politice considerati, sunt quasi membra suorum parentum: ita enim dependent à parentibus, ut non possunt parentes puniri, sine damno liberorum. Sicut enim pater non potest morte multari, quin liberi fiant orbi, ita nec bonis potest privari, quin illi fiant pauperiores.

XI. 4. Quod regibus delirantibus plectantur Achivi, id est subditi luant pœnas Dominantium, hoc fit propter aliqualem participationem culpæ, vel per defectum debitæ redargutionis.

XII. 5. Quod leges quædam liberos à culpa, pœnæ tamen obstrictos teneant, hoc vel injustè fit, vel medicinæ tantum & exempli rationem habent tales mulctæ, non pœnæ propriè dictæ.

## CAPUT IV.

### *De Restitutione.*

QUæstio prima. Quid sit restitutio?

I. R. 1. Restituere aliquando significat idem quod reddere, sive id fiat ex justitia, sive ex charitate & liberalitate sive ex officio communi. Sed à Theologis & Jurisconsultis strictius hæc vox usurpatur, ut significet actum justitiæ, quo reparatur injuria, vel injustitia facta, statuitur aliquis in possessione rei suæ injuste ipsi ablatæ. Eodem sensu dicitur satisfactio, & recompensatio.

II. 2. Est proprie actus justitiæ commutativæ, 1. Quia recompensatio debet fieri secundum æqualitatem rei, non secundum dignitatem personæ. 2. Quia restitutio est rei directe debitæ.

Quæstio secunda. Quibus in rebus habeat locum ista restitutio?

III. R. Primo & maxime proprie congruit rebus externis & corporeis; sed per analogiam recte etiam

jam extenditur ad bona interna incorporea ac spiritualia, nec non externa illa quæ in honore & fama consistunt, item ad omnia illa, ad quæ aliquis jus habet, quia illa sunt æque res ipsius, atque externa & corporea ejus bona.

Quæst. tertia. An sit necessarium ut fiat restitutio?

IV. Resp. 1. Restitutio sua natura est necessaria necessitate præcepti: quia retentio rei alienæ invito domino, est actio illicita, species furti, & specialiter prohibetur, *Rom.* 13. 7, 8.

V. 2. Actualis restitutio per accidens aliquando desinit esse necessaria: quando scilicet non est in potestate ejus, qui damnum dedit, idem resarcire.

VI. 3. Animus ad restituendum paratus, si potestas fieret, est absolute necessarius. Neque enim vere pœnitet eum injuriæ factæ, qui eandem abolere cum potest, non vult; neque justitiæ & proximi amor est in eo, qui non illum animum habet, ut velit cuique suum tribuere. Hoc sensu non male dicitur: *non remittitur peccatum, nisi restituitur ablatum.*

Quæstio quarta. Quis restituere teneatur?

VII. R. 1. Omnis, qui rem alienam injustè acceptam retinet etiam injuste, sive acceperit mala fide, sive bona. Sed tamen inter malam fidem & bonam quoad restitutionem est differentia. Nam malæ fidei possessor absolute tenetur ad rem ipsam restituendam unà cum damno emergente, & lucro cessante: bonæ autem fidei possessor non tenetur ad rem illam restituendam, quæ in ipsius manu periit, sine ejus culpa, sed illud solum quod ex illa re lucratus est, idque seposita propriæ industriæ ratione.

VIII. 2. Omnis, qui rem justè acceptam ultra statutum tempus retinuit; antea etiam, si illa conditione accepit; ut si periret non domino, sed accipienti periret.

IX. 3. Omnis, qui alteri damnum intulit injustè, id est, per vim, dolum, fraudem, aut negligentiam.

X. 4. Non tantum ille, qui immediatè damnum intulit, ad restitutionem tenetur, sed etiam (si actio ipsa ex qua damnum sequitur sit injusta) sex genera per-

ra personarum. 1. Qui jussit, aut consuluit damnum inferre. 2. Qui ratam habuit talem actionem suo nomine patratam. 3. Qui ita consensit, ut ejus consensus & favor, causæ fuerint impulsivæ actionis injustæ. 4. Qui ita cooperatus est, ut sciens volens particeps fuerit illius actionis.

XI. 5. Qui non impedit, cum possit, & ex officio debeat impedire.

XII. 6. Qui non manifestat, si testimonium ejus vel à judice, vel à rei natura, & sua propria conscientia requiratur.

Quæstio quinta. Quid sit restituendum?

XIII. Resp. 1. Ipsa res si existat; & nihil extraordinarii sit impedimenti.

XIV. 2. Pretium aut valor ejus, si vel periit, vel pejor facta sit culpa detinentis.

XV. 3. Illud quod interfuit alterius suum habuisse.

Quæstio sexta. Cui facienda sit restitutio?

XVI. Resp. 1. Vero domino si existat, & possit inveniri, *Hebr.* 5. 3. 1 *Sam.* 12, 3. *Neh.* 5, 11.

XVII. 2. Legitimo hæredi aut vindici ejus, *Num.* 5. 8.

XVIII. 3. Si facta debita in conquirendo domino, aut hæredibus ejus diligentia, non inveniatur, tunc Deo restitutio est facienda, rem ablatam vel piis impendendo, *Num.* 5. 8. vel pauperibus, *Luc.* 19. 8. Ratio 1. est, quia Deus semper offenditur in eo peccato quod adversus proximum admittitur. Deo igitur quantum fieri potest, restitutio debetur. 2. Sinceritas resipiscentiæ erga Deum non patitur, ut injustè partum, quod semper nobis peccatum exprobrat, libenter apud nos habeamus. 3. Eò magis postea debemus pietatis & charitatis operibus abundare, quo magis antea per injustitiam deliquimus.

Quæst. sept. Quæ causæ excusant à restitutione?

XIX. R. 1. Libera debiti remissio per eum facta, cui debetur; sed non coacta, neque per dolum, fraudem, aut metum extorta. Hæc autem remissio est vel expressa, vel tacita & virtualis, virtualis autem, tacita, implicia, vel interpretativa remissio

fit, quando ex probabilibus indiciis judicatur, damnificatum nolle à tali persona, vel ratione talis injuriæ, sibi fieri restitutionem. Talis censenda est ex ordine, voluntas parentum, fautorum & amicorum in rebus levioribus.

XX. 2. Impotentia restituendi, sive sit absoluta, sive talis, ut minus aliquid non possit restitui, sine multo majore damno.

XXI. 3. Æquivalens commodum creditori collatum, compensationis loco.

XXII. 4. Incommodum illius cui facienda est restitutio, si ex ipsa restitutione sequeretur, dilationem restitutionis necessariam facit.

Q. 8. An, & quomodo qui læsit alterius famam contra 5. præc. tenetur ad eam rastituendam?

XXIII. R. 1. Si fama quoad rem ipsam notabiliter læsa sit, si contra justitiam hoc factum sit, & si non sit aliunde recuperata, tum ille qui famam læsit, ad ejusdem restitutionem obligatur.

XXIV. 2. Restituitur fama, per retractationem & compensationem.

XXV. 3. Retractatio est per confessionem vel mendacii, vel saltem temeritatis & iniquitatis.

XXVI. 4. Compensatio fit, 1 in eodem genere, cum infamator prudenter procurat, ut sepeliatur infamia, & ex occasione honorifice loquatur de persona infamata, sine ulla speciè affectationis. 2. in pecunia (ex sententia judicis, vel viri boni, non proprie pro ipsa fama, quæ non potest æstimari, sed pro iis damnis, quæ ex infamia consequuntur, & ad animum læsum placandum, si sit illius conditionis ut possit eam recipere cum honore.

Quæstio nona. An, & quomodo ille, qui læsit alterius vitam, contra 6. præcept. teneatur ad restitutionem?

XXVII. R. 1. Qui læsit vitam proxime spiritualem, ex eo, quod fuit ipsi causa peccandi, vel præbuerit ipsi scandalum, tenetur facere quod potest, ad eum in illum saltem statum restituendum, ex quo ipsum seduxit. Iustum est enim, ut qui causa est mali,

est mali, sit etiam ejusdem, quoad poterit, reparator. Justissimum etiam est, ut qui proximo propinavit venenum, remedium ipsi quam primum quærat. Hinc est, quod confessio, retractatio, deprecatio, & admonitio pia, in solemni pœnitentia de scandalo vel verbis vel factis dato, necessario requirat Ecclesiastica disciplina.

XXVIII. 2. Qui læsit vitam proximi corporalem vel homicidio completo, vel incompleto, tenetur 1, ad damna omnia restituenda homicidio, vel ex illa læsione subsequuta. Ratio est, quia præter judicialem punitionem & justitiam vindicativam, quæ spectat bonum commune particulare etiam bonum quoad fieri poterit, est in integro collocandum. 2. Quia vero damna ista sunt duplicis generis, realia scil. ut expensæ curationis, victus, funeris, & lucra cessantia, quæ possunt æstimari: & personalia, qualia sunt desolatio, afflictio, deformatio, mutilatio, ac vitæ privatio, quæ æstimationem justam non admittunt; idcirco restitutionis illa est differentia, 1. ut in realibus restituatur æquale, vel quantum debetur; in personalibus autem æquivalens, vel quod potest restitui, & ex usu, & arbitrio prudentium, & bonorum, restituendum esse judicatur. 2. Ut realia præstentur etiam cujuscunque generis hæredibus, quamvis sint creditores, homini læso defuncto? sed personalia iis tantum qui ita sunt conjuncti, ut quasi unam personam constituant cum defuncto.

Quæstio decima. An & quomodo qui læsit alterius castitatem, contra præceptum 7. teneatur ad restitutionem?

XXIX. R. 1. Quia pudicitia semel corrupta, non magis potest restitui, quam vita ablata, idcirco restitutio in hoc genere injustitiæ, damna illa spectat, quæ ex tali impuritate sequuntur.

XXX. 1. Damna consequentia sunt & in honore, & in bonis temporalibus: ex stupro enim noto semper sequitur irreparabilis infamia, & sæpe etiam ex stupro aut adulterio, partim ratione infamiæ, & partim ratione prolis inde sequentis, multa & magna consequuntur.

XXXI. 3. Inter illas personas, quibus absque grauiore incommodo licet inter sese contrahere matrimonium, illa restitutio est maxime probanda, *Exod.* 22. 16.

XXXII. 4. Secundus gradus restitutionis est idonea dotatio. *Exod.* 22. 17. una cum injuriæ parentibus ac costodibus puellæ factæ honesta ( quatenus fieri potest ) compositione, *Deut*. 22. 2. 29.

XXXIII. 5. Tertius restitutionis gradus est alimonium prolis præstare, & aliorum damnum ex tali prole sequuturum, quantum fieri possit, cavere.

XXXIV. 6. Magna differentia est, quoad restitutionis obligationem, inter eum, qui inductus fuit ad puellam vitiandam, & illum qui eam eo induxit. Inducens enim per vim, dolū, fraudem, aut sollicitationes importunas, tenetur ad restitutionem, tam puellæ quam patri, tam in damnis aliisquam in honore. Inductus autem quamvis teneatur ad injuriam quatenus fieri potest illis resarciendam, qui non consentientes sunt læsi, respectu tamen personæ inducentis, nullam restitutionem ex justitia debet.

## CAPUT XV.

### *De Acceptione personarum.*

QUæstio prima. Quid est acceptio personarum.

I. R. 1. Acceptio vel respectus personarum non consistit in amore personarum, sed in hoc, quod quando causa respici debet, respiciuntur tantum qualitates personales, quæ impertinenter se habent ad finem qui debet in eo, quod agitur, intendi. *Lev.* 10. 15. *Esai.* 11. 3. Tales qualitates sunt genus, potentia, divitiæ, amicitia, &c. Hinc hebraice vocatur acceptio פנים *facilis*, & græce προσώπυ personæ externæ vel accidentalis, non ὑποστάσεως.

II. 2. Locum igitur proprie non habet, nisi in eo, qui aliqua ratione tenetur unum alteri præferre, non secundum suum arbitrium; sed secundum certas rationes & causas in ipsis personis hærentes, & quærendas.

III. 3. Hinc sequitur, quod non in bonis mere liberis

beris & gratuitis, sed in iis tantum quæ aliquo modo debentur, contingat acceptio personarum. Unde etiam sequitur, Deum quando pro suo beneplacito distribuit sua dona quibusdam, & non aliis, quamvis æqualibus in sese immunem esse ab omni acceptione personarum: quia distribuit gratuitò donata, & non debita: neque respicit qualitates indebitas, sed suum beneplacitum.

IV. 4. Locum tamen habet in quibusdam bonis, quæ absolute sunt libera, sed ex suppositione debita. Ut si illa quæ solent inter omnes distribui ex liberalitate, au pauciores restringantur;, in quibus nulla est dignitas singularis.

Quæstio secunda. An acceptio personarum sit peccatum?

V. R. Est genere suo peccatum, *Iac.*. 2. 1. 4. 9. *Deut.* 1. 17. *Prov.* 18. 5. *&* 28. 21. Quia justitiam & charitatem in eodem actu excludit. Nam, 1. Privat homines bonis quæ illis debentur. 2 Quia res levissimas & alienas pluris facit quam res magnas ad quas attendere tenetur, pervertit ordinem societatis humanæ. *Eccles.* 10. 2, 3, 4, 5. Quia viam directam & facilem facit ad omne genus peccati. *Prov.* 2. 12. 4. Tollit (quantum in ipso est) discrimen inter merita bona & mala.

Quæstio tertia. Cui justitiæ opponitur acceptio personarum?

VI. R. Acceptio personarum quamvis maximè propriè dicatur de iis, qui peccant in justitiam distributivam, circa dijudicationem rerum & personarum; recte tamen, & secundum Scripturæ phrasin, ad omne judicium, electionem aut sententiam pertinet, quæ de hominibus fertur, non secundum regulam quam debet sequi, sed secundum affectus hanc aut illam qualitatem recipientes, quæ ad tale judicium nihil spectat.

*a* Quæstio quarta. Quomodo peccatur acceptione personarum in electione aut promotione hominum ad officia vel ecclesiastica vel secularia?

a De respectu personarum in electione ad munera publica.

VII. R. 1. Si quis vel sciens volens, vel ex negligentia, eligat indignum. Indignus autem est ille qui aptitudine destituitur vel scientiæ, vel probitatis, vel dexteritatis, vel promptitudinis, quæ requiritur ad tale officium hic & nunc (uti loquuntur) exercendum. Hac autem electione. 1. Deus privatur suo honore, quem pro officii ratione sustinere debent omnes qui munere publico funguntur. 2. Bonum commune, ad quod munera publica ordinantur, hac ratione impeditur. 3. Injuria fit dignis, quibus officiorum publicorum honor tanquā præmium debetur. 4. injuria fit ipsi virtuti, cujus proprium alimentum (honor) ipsi negatur & perverse transfertur ad ejus contemptum fovendum.

VIII. 2. Peccatur etiam, quando (in oppositione) prætermisso digniore, eligitur minus dignus. Ratio est. 1. Quia dignus in comparatione ad digniorem est indignus. 2. Quia dignior magis respondet fini, qui in electione debet spectari. In Ecclesiasticis electionibus hoc palam est: quia Ecclesia semper debet quantum fieri potest ædificari per suos ministros, *Eph.* 4. 11, 12, 13, 14.

IX. 3. Hæc tamen differentia intercedit inter electionem indigni & minus digni; quod eligere indignum sit intrinsece peccatum; sed eligere minus dignum, non sit ita simpliciter & intrinsece peccatum, ut non possit licitum evadere ex circumstantiis quibusdam supervenientibus. v. g. Si sint quatuor in electione præsentati, vel nominati, indignus, dignus, dignior & dignissimus, & si ego præsto suffragium dignissimo, & non adjuvo volentes eligere digniorem, aut etiam dignum, sequetur electio minus digni, aut etiam indigni, tunc licet & expedit mihi, dignissimo prætermisso, eligere digniorem, aut dignum? Ratio est, quia ego non teneor eligere illum qui non potest eligi quamvis sit dignissimus: teneor autem quantum in me est impedire electionem indigni vel minus digni. Sed tale suffragiū ita est moderandum, ut testimonium interim idoneum præbeatur dignissimo, aut digniori;

ri: quia honor debitus cuique deferri debet, secundum suam dignitatem, & voluntatem optimam boni maximi communis procurandi, vel exempli causa, debet quisque reddere testatam.

Quæstio quinta. An exhibitione honoris & reverentiæ locum habeat peccatum acceptionis personarum?

X. R. 1. Peccatum in isto genere etiam vulgare nimis esse testatur aperte, *Jac.* 2. 2, 3. 4.

XI 2. In honore simpliciter debito, (qualis ille est qui parentibus, & majoribus debetur) res est manifesta: quia in hujus honoris distributione injustum est, propter indebitam caussam, denegare alicui testimonium illud excellentiæ quod meretur.

XII. 3. In honore etiam ex suppositione debito, quamvis libere exhibito, eatenus locus est acceptioni personarum, quatenus locus est injuriæ, aut contumeliæ. Huic igitur vitio affine est, non resalutare salutantem, secundum modum & consuetudinem patriæ; vel etiam non salutare secundum differentiam personarum, & dignitatum.

Quæstio sexta. An divites honorandi sunt propter divitias?

XIII. R. Simpliciter propter possessionem divitiarum non sunt honorandi, sed propter earum usum, & propter statum quem habent in republica ratione divitiarum, debent honorari.

Quæstio septima. An in iis quæ relinquuntur arbitrio judicis, contingat acceptio personarum?

XIV. R. In iis circumstantiis, quæ nihil pertinent ad litigantes, acceptio personarum nullum habent locum. Sed iis quæ litigantium intersunt, & tamen legibus non definiuntur, sed necessario relinquuntur prudentiæ judicis, cujus generis est temporis prorogatio. aut restrictio, & similia, si fiant intuitu personæ, ut sæpissime solent peccatum admittitur acceptionis personarum.

## CAPUT VI.

### *De Injuria.*

QUæstio. An injuria possit fieri volenti?

I. Resp. 1. Per volentem hic intelligendus est, sciens, & liberè vel sponte consentiens in factum. Difficultas alias nulla esset. Quod enim fit vel ex ignorantia, vel ex terrore & violentia, censetur involuntarium, saltem ex parte: atque adeo ex illa parte injuriam admittit ex omnium consensu.

II. 2. Injuria si generaliter accipiatur pro violatione juris, & injusti perpetratione, non pendet ex voluntate patientis, sive consentiat sive dissentiat, sed ex regula justitiæ. Hoc igitur sensu palam est, injuriam vel injustum fieri posse volenti & consentienti. Exemplum est in Amalecita, qui Saülem id petentem interfecit, 1 *Sam.* 1.

III. 3. Multa sunt in quibus homo non potest pro suo arbitrio cedere juri suo: illa scil. quorum non habet plenum dominium, sed custodiam potius & tutelam; cujus generis sunt vita & membra nostra. In istis voluntatis consensus non tollit injuriæ rationem.

IV. 4. Præter voluntatem rationalem, quæ oritur ex consilio, est inclinatio quædam naturalis: quæ vocari potest voluntas naturæ: quia scil. virtualiter semper in sese continet pondus voluntatis, & aliquo modo sese exerit, dum nemo directè consentit in suum incommodum qua tale, aut in malum pœnæ, qua est malum. Consensus igitur voluntatis rationalis, non semper tollit rationem injuriæ.

V. 5. Quod à Philosophis & Juridicis hoc affirmetur, scienti scil. & consentienti injuriam non fieri, hoc inde est, quia per injuriam intelligunt violationem juris, quæ fit per vim ac necessitatem coactionis. Sed omnimoda coactio non requiritur ad injustum patiendum.

VI. 6.

VI. 6 Volens quidem & consentiens est faciens, vel agens; sed non sequitur inde quod nullo modo sit patiens. Christus in morte subeunda, fuit volens, consentiens, agens: & tamen injuriam passus est maxime atrocem.

## CAPUT VII.

### *De Charitate erga proximum.*

QUæstio prima. Quis intelligendus est per proximum?

I. Resp. 1. Proximus est aliquo modo omnis homo, cui aliqua ratione possumus commodare, *Luc.* 10.29, 37. *Act.* 7. 2.

II. 2. Proximus ut objectum idoneum charitatis absolutæ est homo, qua capax est nobiscum beatitudinis supernaturalis. Hæc enim est conjunctio in ordine ad Deum ex charitate dilectum. Talis autem omnis homo vivens haberi debet, sine differentia generis, affectus, aut morum, nisi contrarium extra ordinem certò nobis constare possit.

III. 3. Quia vero peccati natura huic capacitati unice adversatur, idcirco homines qua tales, vel sub illa ratione non sunt diligendi, sed odio habendi, & adversandi.

Quæstio secunda. Quo sensu proximus est diligendus *sicut* nosmetipsi?

IV. Resp. 1. *Sicut* in ipso præcepto non denotat omnimodam paritatem, sed similitudinis proportionem. Hæc autem similitudo in tribus præcipuè consistit. 1. Ut nihil mali proximo vel faciamus vel optemus, magis quam nobismetipsis. 2. Ut omnia vera bona proximo velimus, & quantum in nobis est, procuremus. 3. Ut hæc velimus ex sincero affectu erga proximum, ipsius commodum, non nostrum quærentes aut spectantes.

Quæstio tertia. An non liceat aliquando malum proximo velle?

V. Resp.

V. Resp. 1. Non licet malum alicui velle sub ratione mali, sed sub ratione boni aliquando licet. Sic 1. licet velle & desiderare malum temporale alicui, ob spiritualem emendationem ipsius; si scil. ejus emendatio illa sola ratione probabiliter possit separari, ut si quis propter favorem hominum quorumdam negligat officium erga Deum, desiderare licet ut excideret illo favore.

VI. 2. Licet malum temporale quibusdam optare propter aliorum bonum. Ut si quis perditus sit aliorum corruptor, licet optare ut è medio tolleretur, ne alios perdat secum.

VII. 3. Simile quid etiam nonnunquam licet, ex zelo justitiæ, gloriæ divinæ.

Quæstio quarta. Quomodo gradus majoris & minoris charitatis debeant observari?

VIII. Resp. 1. Quoad bonum ipsum quod optandum est proximo, nullus est locus imparitati in re ipsa: summum enim bonum cuique proximo debemus velle sicut nobismetipsis. Hoc etiam est cujusque officium, ut quantum in ipso est, salutem proximi studeat promovere. Ordinis tamen est differentia in isthoc bono volendo: quia piis immediate, impiis autem mediante fide & resipiscentia felicitatem istam velle debemus.

IX. 2. Quoad affectum optandi ac volendi bonum, nulla debet esse imparitas intensionis & remissionis: quia habitus ipse virtutis secundum se æqualiter inclinat ad suum actum, sine ulla differentia quoad majorem ac minorem intensionem.

X. 3. Quoad exercitium & effecta hujus affectus; imparitas frequentiæ, ordinis, & extensionis datur prout circumstantiarum concursus necessariam facit actionem aut operationem charitatis. Nam. 1. frequentius actum ipsum charitatis elicere & exercere debemus erga eos in quibus frequentius nobis occurrunt rationes & causæ veræ dilectionis. 2. Ordo debet observari, secundum occasionem quæ præbetur, & actuum ad objecta sua proportionem. 3. Extensio ad plura aut nobiliora

liora effecta requiritur secundum eorum necessitatem, & dilectorum dignitatem.

Quæstio quinta. An & qui sint casus, in quibus, quoad exercitium & effectum, tenetur aliquis proximum magis diligere quam semetipsum?

XI. Resp. 1. Dantur tales casus, quia proximus variis rationibus potest esse in extrema, aut gravi necessitate, ita ut non sit negligendus, nec tamen expectandum sit ut quisquam illi possit aut velit subvenire, nisi nos cum periculo nostro hoc faciamus.

XII. 2. Proximo extreme in spiritualibus periclitanti, tenetur quilibet subvenire cum quovis dispendio temporali, si probabile sit, suum auxilium profuturum. 1 *Joh.* 3. 16. Nos debemus pro fratribus animas deponere.

XIII. 3. In extrema etiam necessitate, tenetur quilibet communis conditionis homo (sed imprimis ille cui tale officium singulariter incumbit) vitam suam objicere periculo probabili, ad impediendam certam alterius mortem. Majus enim est malum certa mors alterius, quam propria incerta. Hinc non licet pastori tempore pestis, aut persecutionis, deserere Ecclesiam, nisi forsan sit alius idoneus, qui suscipiat illam curam.

XIV. 4. In bonis temporalibus tenetur quisque personam publicam, vel communitatem sibimetipsi præferre. Bonum enim totius. pluris faciendum est, quam bonum unius alicujus partis. Personis autem publicis annumerandi sunt illi, quos constat valde utiles esse reipublicæ.

XV. 5. Honestum etiam est aliquando, vitam corporalem certo periculo exponere, ad servandam vitam corporalem amici, quamvis sit æqualis conditionis. *Joh.* 15. 13. Quamvis enim vita mea sit mihi magis conservanda quam alterius vita, & mea virtus.

CA-

## CAPUT VIII.

### *De Precatione pro aliis.*

QUæstio prima. Pro quibus orare debemus?

I. Resp. 1. Pro omnibus quos spes est posse nostris precibus juvari. Oratio enim est medium à Deo institutum, ut ahdibeatur ad impetranda sperata Hinc nemo viventium ob orationibus nostris est plane excludendus, nisi constare nobis possit, quod sit omnino desperatus.

II. 2. Pro inimicis nostris injustis singulariter debemus orare, *Matth.* 5. 44. 1. Quia singulariter afficimur eorum peccato, ex quo periculum imminet ipsis. *Luc.* 23. 34. 2. Quia hac ratione & facimus, & testamur nos facere, quod nobis est necessarium ad remissionem nostrorum peccatorum. *Matth.* 6. 12, 14, 15. 3. Quia hac etiam ratione excludimus ex animis nostris illicitam vindictæ cupiditatem. *Rom.* 12. 19, 20. 4. Quia hoc est Deo causam nostram committere in charitate.

III. 3. Pro amicis tamen & conjunctis magis tenemur orare: quia in talibus multæ causæ repeeriuntur quæ directè & per se faciunt ad charitatem eliciendam, ita ut dilectionem aliquam pariant in ipsis ethnicis & publicanis. *Matth.* 5. 46, 47.

Quæstio secunda. An & quatenus liceat alicui malum imprecari?

IV. Resp. 1. Deliberata imprecatio mali sub ratione mali contra homines, quæ est formalis maledictio, non potest non esse mala. 1. Quia provenit ab odio, quod est malum oppositum charitati. 2. Quia non magis licet optare, quam facere malum, qua malum. 3 Quia benedictæ nostræ vacationi adversatur. 1 *Petr.* 3. 9.

V. 2. Temerariæ illæ & vulgares maledictiones, quæ sunt multis in usu (pestis te abripiat, ubi in malam rem, utinam suspensus esses, &c.) sunt professiones odii aut malevolentiæ, indicia perturbationis

tionis in corde regnantis, & in proximum contumeliosæ, atque adeo non possunt à gravi culpa excusari.

VI. 3. Imprecatio mali sub ratione boni est ex sese licita. Sic ratione gloriæ Dei, boni publici, aut etiam privati, quod est majoris momenti, licet minus malum huic aut illi optare. Hoc tamen sic debet intelligi. 1. Ut conditio aliquo modo subsit, si nempe bonum illud per hoc malum & nonnisi per hoc sit consecuturum. 2. Ut voluntatem nostram subjiciamus voluntati Dei.

VII. 4. Maledictiones in creaturas irrationales jactatæ, si respectum habeant ad Deum, & ejus providentiam, quæ circa illas creaturas versatur, sunt blasphemiæ; si ad hominem qui est Dominus earum, tum sunt injuriæ; si ad ipsas creaturas per se simpliciter consideratas, tum sunt indicia cordis & oris amarulentia pleni. *Rom.* 3. 14. si ad malum aliquod per illas existens, tum vel figuratæ locutiones debent esse. ut 2 *Sam.* 1. 21. vel sunt impatientiæ motus improbandi, ut *Job.* 3.

## CAPUT IX.

### *De correptione fraterna.*

Quæstio prima. Quænam personæ cadant sub correptionem fraternam?

I. Resp. 1. Primo & maxime propriè fideles, & inter fideles præcipuè illi, qui sunt ejusdem nobiscum Ecclesiæ membra. Ratio est, quia tales magis fraternam nobiscum habent conjunctionem, quam alii.

II. 2. Infideles tamen sunt etiam ex occasione corripiendi. 1. Quia cum sint proximi nostri, & charitate vera diligendi, non debent à communi actu & officio charitatis excludi. 2. Quia eleemosina spiritualis non magis debet esse restricta, quam corporalis; sed corporalis quibuslibet fieri debet in gravi necessitate. 3. Quia bos aut pecus proximi errans

errans, à vidente si fieri possit, debet reduci. *Deut.* 22. 1. tum multo magis proximus ipse quum errat, est reducendus in viam. 4. Quia ille qui maxime errat, maxime indigere solet institutione: & jus ipsum naturæ postulat, ut maximis necessitatibus proximorum succurrere conemur.

Quæstio secunda. Quæ conditiones requiruntur ad correptionem necessariam reddendam?

III. Resp. 1. Notitia peccati, quæ saltem debet esse ita probabilis, ut sit moraliter certa, id est, talis quæ moraliter satis judicetur ad credendum sine temeritate proximum peccare. In suspicione dubia tamen, officii ratio sæpe postulat, ut quis prudenter insinuet proximo, quæ sit suspicio, & quo pacto debeat removeri

IV. 2. Spes alicujus fructus. Si enim nulla sit spes emendationis, tum ejus respectu non est adhibenda correctio. *Prov.* 9. 7, 8. *Mat.* 7. 6. Sæpe tamen accidit, ut illi, qui sunt incorrigibiles corripi debeant, respectu aliorum, quorum periculo hac ratione est subveniendum.

V. 3. Opportunitas temporis, & convenientia circumstantiarum reliquarum.

Quæstio tertia. Quinam debent alios corripere?

VI. Resp. 1. Officium hoc pertinet aliquo modo ad quoslibet homines qui habent usum rationis: quia præceptum est juris naturalis, est opus charitatis & generale officium proximi erga proximum quatenus est talis. Hinc fidelis tam fidelem, quam infidelem, & infidelis etiam tam fidelem, quam alium infidelem debet monere *Gen.* 20. 16. inferiores ipsi & subditi cum reverentia debent superiores suos admonere. *Job.* 31. 13.

VII. 2. Eis tamen præcipue incumbit, qui vel ratione muneris tenentur aliorum bono consulere, vel ratione donorum aptiores sunt ad hoc officium cum fructu præstandum. *Ezech.* 33. & 34. *Gal.* 6. 1. *Tit.* 2. 4.

XIII. 3. Ille ipse qui eodem, vel majore peccato laborat, non plane eximitur ab hujus præcepti

pti obligatione. Nemini enim sua malitia prodesse potest, ut excusetur à naturali præcepto, quale hoc est. Sed debet hoc facere cum singulari pœnitentiæ & compassionis professione, semetipsum prius & magis quam alterum accusans, ne incurrat in reprehensionem illam Domini. *Matth.* 7. 3, 4, 5. *Hypocrita ejice prius trabem ex oculo tuo & tum dispicies ut ejicicias festucam ex oculo fratris tui.* exemplum insigne est, 2 *Sam.* 16. 17.

Quæstio quarta. Quomodo debet correptio adhiberi?

IX. Resp. 1. Debet admonitio fundari in verbo Dei vel sermone Christi, *Col.* 3. 16. *Sermo Christi inhabitet in vobis copiose, docendo & admonendo.*

X. 2. Debet perfundi charitate fraterna. 2 *Thess.* 3. 15. 2 *Cor.* 2. 4.

XI. 3. Condiri debet mansuetudine ac lenitate. *Gal.* 6. 1. 2 *Tim.* 2. 25.

XII. 4. Roborari debet perseverantia. 2 *Petr.* 1. 13. Toties & tamdiu admonendus est frater, dum fructus inde sperari potest.

Quæstio quinta. Quomodo recipi debet correptio?

XIII. 1. In charitate & sancta æstimatione, 1 *Thess.* 5. 12.

XIV. 2. Cum humilitate. *Hebr.* 13. 22.

XV. 3. Cum fructu pietatis: ita ut semper cedat nobis vel medicinam (ἴαμα) vel in cautelam (προφυλακτήριον) vel saltem in testimonium, διαμαρτυρίαν.

## CAPUT X.

### *De Communione cum aliorum peccatis.*

QUæstio prima. Quinam communicant cum aliorum peccatis?

I. Resp. 1. Omnes qui directe ad illa peccata cooperantur. Causa enim socia, vel conjuncta, dum vim suam in commune confert ad producendum peccatum, cum iisdem peccatis non potest non com-

communicare, & culpa, & reatu. Hinc 1. Qui mandat vel ſuadet peccatum, particeps eſt peccati, quia & velle illud habet quod coram Deo eſt facere, & etiam eandem voluntatem, quantum in ipſo eſt, alteri immittit, atque adeo eſt author peccati, 2 *Sam.* 13.28. 1 *Reg.*12.30. & 13.35. ad peccandum induxit Iſraëlem. *Ier.*28.16. 2. Non tantum authores, ſed & miniſtri peccatorum, cum eiſdem habent communionem. Quandoquidem enim ſunt cauſæ adjuvantes & adminiſtrantes, & vim aliquam communicant peccato, directam etiam communionem habent cum eodem peccato. *Eſai.*1,1.1.22.17,18. *cum.* *Pſal.*52. 2 *Reg.*1.9. *Matth.*28.4. *Act.*12.18,19.

II. 2. Omnes qui indirecte cooperantur, id eſt, qui aliquid omittendum faciunt, aut faciendum omittunt, ex quo ſequitur peccatum. Per interpretationem enim moralem, ille etiam dicitur cauſa peccati, qui non adhibet diligentiam debitam ad illud cavendum aut impediendum, 1 *Sam.* 3.13. *Ezech.*33 6. *Act.*20.26,27.

III. 5. Hoc peccato coinquinantur maxime Concionatores, Magiſtratus, parentes, heri, præceptores, quando non faciunt officium ad præveniendа peccata, in eis qui fidei ipſorum ſunt commiſſi.

IV. Omnes qui peccatum jam admiſſum approbant ſuo conſenſu. *Rom.* 1. 32. Qui enim probat, ac laudat factum, ille indicat voluntatem ſuam promptam ac paratam ad idem faciendum, aut ſaltem ad ejuſdem effectionem ſuadendam, ſi opus & occaſio eſſet. Eſt etiam cauſa conſervans, defendens, promovens peccatum jam factum. Ad approbationis conſenſum refertur etiam ceſſatio ab officio in reformatione aut correctione accuſatoris. 1 *Chron.* 5. 2, 6. ita ut non ſolum opera, ſermone, & exemplo, verum etiam ſilentio, & diſſimulatione vel conniventia communionem poſſimus habere cum aliorum peccatis.

V. In iſto etiam genere peccant non raro & concionatores, qui conſuunt pulvillos ſub cubitis

tis peccatorum, ac prædicant ipsis pacem, & Superiores omnes qui nimia indulgentia dissimulant, aut nimis molliter animadvertunt in delicta eorum quos sub sua cura habent; & illi etiam omnes qui fraternam correptionem sine justa causa omittunt.

VI. Ex istis principiis explicari facile potest, quomodo cum uno manifeste peccante, multi plectuntur, non tamen propter aliena peccata proprie plectuntur, sed propter sua. Illa nempe (sæpissime) quibus communionem aliquam habent cum alienis, hoc modo pie ac docte ostendit quidam *a* ex nostris Judam Machabæum, & Judæos, 2 *Mach.* 12. 43. non pro peccatis mortuorum obtulisse sacrificium (ut Pontificii vellent) sed pro peccato suo, & superstitum, quod ex eorum qui fuerant mortui, contagione contraxerant, atque cujus fortasse merito se aliqua ex parte authores poterant judicare. Nemo enim (proprie loquendo) plectitur ob alienum peccatum; ut nemo alieno morbo moritur, sed suo. Verum ut homines suos sæpe morbos contrahunt ex alienis, (multaque corporibus transitione necent) ita in morbis istis animorum homines sua quoque contrahunt peccata ex alienis.

VII. Ex istis etiam instituuntur fideles ad profundiorem humiliationem, in peccatorum hujus generis confessione. Hujusmodi confessionis piam formulam proponit. G. Par. quæ doctrinam istam illustrabit: *Domine Deus meus, quod est malum cujus ego reus non sum, vel perpetrando illud opere, vel volendo illud perpetrare? & hoc in memetipso ac permemetipsum; vel in alio, volendo scilicet & consentiendo, ut illud ipse committeret; vel laudando ipsum malum; vel adulando ipsi qui illud commisisset; vel non arguendo illum, cum hoc ad me ex officio pertineret; vel non compatiendo ipsi peccanti; vel (quod deterius est) gaudendo de peccato alterius; vel omnino non curando, quod erat infidelitas erga te gravissima. Non enim licere*

a D. Reinoldus censura lib. apoc. præl. 158.

*mihi*

*mihi poterat, videre unam ex ovibus tuis pereuntem, & à lupis infernalibus devorari, & non quantum potuissem resistere. In simili quoque damnatione me esse agnosco de bonis. Quod enim est bonum, quod in me non extinxi, vel in alio persecutus non sum impediendo ne fieret, vel detrahendo jam facto, vel permittendo extingui, vel gaudendo si extinguebatur in ipso? Domine misericordiæ, quot bona perierunt, vel me procurante ut non essent, vel me non juvante ut essent, vel non nutriente ea, aut abstrahente eis auxilium meum? Peccavi etiam contra ea Domine Deus, vel non congaudendo eis, vel tibi (quo authore fiebant) gratias non agendo pro eis.*

Quæstio secunda. An ex peccato alieno gaudere liceat, aut ex eo capere voluptatem?

VIII. Resp. De peccato, quatenus est peccatum, nunquam licet gaudere, sed quatenus à Deo convertitur in occasionem alicujus boni: Ut si quis antea superbus, aut arrogans fuerit, sed post aliquem lapsum resipiscens modestius agat; si post enorme aliquod flagitium optima lex feratur, quæ alias non fuisset lata, Vide *Phil.* 1, 15, 16, 17, 18.

Quæstio tertia. An liceat abuti aliorum peccatis?

IX. Resp. Quando necessitas aliqua urget, licet, modo non foveamus illa peccata, quibus abutimur. Sic Jacob cum recipit jusjurandum Labani per falsos Deos jurantis sine suo peccato Labanis peccato abutebatur. *Gen.* 31. 53. Sic *Jer.* 41. 8. decem innocentes homines abutebantur Ismaelis rapacitate. Sic multi necessitate coacti honeste abutuntur iniquitate Danistarum.

## CAPUT XI.

### *De Exemplo bono, & Scandalo.*

QUæstio prima. Quinam tenentur exemplum bonum aliis præbere?

I. R. 1. Pertinet hoc ad omnes pios, respectu omnium quibus vita ipsorum innotescere possit.

2. Quia

1. Quia omnes debent Deum suis operibus glorificare, 1 *Petr.* 2. 12. 2. Quia nemo est quin aliquid possit in sua vita exhibere, quo alii in pietate vel promoveantur, vel confirmentur. Nam ex formicæ contemplatione homines possunt ædificari. *Prov* 6. 6. 3 Quia singuli in suis stationibus occasiones habent singulares aliquid præstandi, quod alii ex simili occasione debent imitari, *Prov.* 2. 20. *Psal.* 34. 7.

II. 2. Præcipue tamen officium hoc eis incumbit, qui vel ætate, vel donis, vel munere aliquo sunt aliis superiores, *Tit.* 2. 4. 7. *Timoth.* 4. 12. 2. *Thess.* 3. 9. 1. Quia cui multum datum est ab eo exposcitur multum, *Luc.* 12. 48. 2. quia quo magis quis eminet, eo magis est spectabilis, & minus occultatur, *Matth.* 5. 14. 3. Quia illi qui ordine aliis præponuntur, aliis præeundo viam rectam debent monstrare, *Thess.* 1. 6, 7, 8. 4. Quia inferiores à superioribus pendere solent, & componere sese ad eorum exemplum, *Prov.* 29. 12.

Quæstio secunda. An opera nostra bona studiose debeant alii significari, ut sint ipsis exemplo?

III. R. 1. Opera bona alia sunt publica, alia privata: privata ex ordine non debent à nobismetipsis prædicari, quia hæc esset ambitio gloriæ inanis. *Matt.* 6. 61. 2. *&c.* Publica tamen opera, quia ex conditione sua aliis innotescunt, possunt & aliquando etiam debent aliis modestè & cautè repræsentari.

IV. 2. Repræsentatio operis boni, cujuscunque generis fuerit, si in illa gloriam nostram spectemus ut finem, non est probanda, sed quatenus ad Dei gloriam & ædificationem aliorum facit, non potest improbari.

Quæstio tertia. An scandalum omne sit peccatum?

V. R. 1. In omni scandalo necesse est ut sit aliquod peccatum: quia pertinet semper ad ruinam aut detrimentum proximi spirituale.

VI. 2. Potest tamen esse scandalum passivum vel

acceptum, sine peccato agentis : utquum factum unius est alteri occasio peccandi, præter intentionem facientis, & conditionem facti. Et potest esse scandalum activum, sine peccato alterius quem respicit illud scandalum : ut quum unus, quantum in se est, suo facto inducit alterum ad peccandum, & alter tamen non patitur se induci.

Quæstio quarta. An scandalum sit speciale peccatum ?

VII. R. 1. Speciale peccatum est,& plane diabolicum quando quis intendit proximi ruinam: Hæc enim est specialis differentia constituens peccatum quod vix cadit in quenquam, præterquam in Diabolum ipsum.

VIII. 2. Speciale etiam est,quando factum illud unde proximus scandalizatur, non habet vnde sit malum, nisi ex proximi ruina, cujus occasionem alter tenebatur non dare. Nam per istam differentiam, actus talis per se primo efficitur malus, atque adeo ad certam speciem determinatur.

IX. 3. In aliis peccatis, scandali ratio est circunstantia tantum, opposita illi charitati, quæ generaliter exigitur in omni parte conversationis nostræ cum proximo. Hâc circumstantia peccata publica non mutantur, aut multiplicantur, sed aggravantur tantum.

Quæstio quinta. An vivere quis possit sine scandalo ?

X. R. Per gratiam Dei potest fidelis immunis vivere à scandalo passivo, quia potest tam firmiter adhærere Deo, ut factis aliorum non dimoveatur unquam à bono ad malum. Potest etiam immunis vivere à scandalo activo, quamvis non ab omni peccato, quia infirmitates omnium piorum communes, quando ipsis non indulgetur non habent in sese aptitudinem ad alios inducendos in peccatum.

Quæstio sexta. Quæ regulæ observandæ, ne scandalum demus ?

XI. R. 1. Ad scandalum vitandum, nullum peccatum

tum unquam debet admitti, quamvis leviusculum possit videri. Hoc enim nihil aliud esset, quam ut ego peccem, ne alius peccaret; quam facere malum ut bonum inde consequatur: contra doctrinam Apostoli, *Rom.* 3 8. Hinc nulla compensatio criminum est admittenda: qualis fuit senis Gabeonitæ in causa Levitæ, *Iud* 19. 14. & Lothi in causa Angelorum, *Gen.* 19. 8.

XII. 2. Nihil boni aut liciti, est omittendum propter scandalum acceptum hominum Pharisaico ingenio præditorum, *Matth.* 15. 14.

XIII. 3. Ad vitandum scandalum pusillorum omnia illa facienda sunt, vel omittenda, quæ sine peccato fieri vel omitti possunt. Hæc est obligatio charitatis, 1 *Cor.* 8. 13.

XIV. 4. Pusilli habendi sunt illi, qui non sunt sufficienter instituti circa libertatem nostram; 1 *Cor.* 8. 7.

XV. 5. Non sunt omnes illi sufficienter instituti, quibus justa ratio redditur facti. Fieri enim potest, ut quidam non sint capaces rationis redditæ, qui idcirco, quamvis ratio sit illis reddita, habendi sunt adhuc pro pusillis.

XVI. 6. Nulla authoritas humana, vel tollere potest scandali rationem, ab eo quod alias esset scandalum, vel peccati rationem à scandalo dato. Nullus enim homo potest vel charitati & conscientiis nostris imperare, vel periculum scandali dati præstare.

XVII. 7. Non est tale periculum scandali, in humanis inventis negligendis, quale Apostolus fuisse olim tradit in ceremoniis legis abjiciendis. Nulla enim conscientia talis potest haberi de inventis hominum, qualem Judæi habebant de institutis Dei.

XVIII. 8. Nulla datur talis perplexitas, ut necessarium sit pio homini, sive hoc uel illud faciat, sive non faciat, scandalum alicui dare.

Quæstio septima. Quæ regulæ observandæ, ne scandalum accipiamus?

XIX. Resp. 1. Cavendum est, ne pendeamus ab hominibus, cujuscunque sint perfectionis, eosve in nimia habeamus æstimatione, ita ut eorum lapsu, casu, vel defectione, corda nostra nimis perturbentur. Huc igitur dirigendæ sunt meditationes nostræ de gravibus peccatis in quæ prolapsi sunt, non tantum illi qui videbantur & non fuerunt, sed & qui fuerunt eximii servi Dei, ut David, Salomon, Petrus, &c.

XX. 2. Damnanda & horrenda est illa perversitas judicii, quia solent multi quorundam labentium casu, aut hypocriseos detectione, alios professionem similem facientes, hypocritas idcirco pronunciare. Hoc enim est plane Diabolum imitari in piis accusandis, & iniqua suspicione gravandis, *Iob.* 1. 11.

XXI. 3. Quamvis insistere juvet vestigiis piorum, hoc tamen non est faciendum cæca quadam imitatione, sed cum discreta illa cautela; sicut illi regulam Christi sequuntur, 1. *Cor.* 11. 1.

XXII. 4. Iterum atque iterum cogitandum est quam indignum sit, ob spem aut metum hujus mundi, vel desistere, vel etiam deflectere à via recta.

XXIII. 5. Revocandum ex omni occasione in memoriam, scandala nobis in justum finem à Deo objici, ut per illa fidelitatem & constantiam nostram exploret, *Deut.* 13.

## CAPUT XII.

### *De Schismate.*

Quæstio prima. Quid est schisma?

I. Resp. Schisma dicitur à scindendo, & est scissio, separatio, disjunctio, aut dissolutio unionis illius, quæ debet inter Christianos observari. Quia autem hæc scissio maxime perficitur & apparet in debita communione Ecclesiastica recusanda, idcirco illa separatio per appropriationem singularem, recte vocatur schisma.

Quæ-

Quæstio secunda. An & quomodo ab hæresi differt schisma?

II. R. Schisma quatenus in genere notat dissidium omne in Ecclesia damnandum, complectitur etiam hæresin, & istæ voces uno & eodem sensu usurpantur, 1 *Cor.* 11. 18. Ptoprie tamen in eo distinguuntur; quod hæresis opponatur fidei, & schisma charitati; heresis fit in dogmate perverso, schisma vero in facto perversæ separationis; ita ut hæreticus quis possit esse,& non schismaticus, ut si fidei articulum negans adhærere vult Ecclesiæ veram fidem confitenti; & schismaticus potest esse qui non est hæreticus, ut si quis credens omnes articulos fidei, nolit tamen cum Ecclesia vera communicare in actionibus piis. Talis distinctio ab Apostolo innuitur, *Gal.* 5. 20.

Quæstio tertia. An omne Schisma sit peccatum?

III. Resp. Schisma propriè dictum est peccatum gravissimum. 1. Quia adversatur charitati ergà proximum, & privat eum spirituali bono. 2. Adversatur ædificationi illius, qui facit separationem, quatenus privat semetipsum communione in bono spirituali. 3. Adversatur honori Christi quatenus unitatem corporis ejus mystici suo modo tollit. 4. Viam facit ad hæresin & separationem à Christo.

IV. 2. Secessio tamen etiam ab Ecclesia vera est aliquando licita & necessaria. 1. Si quis non possit in ejus communione manere sine communicatione in peccatis. 2 Si manifestum sit periculum seductionis. 3. Si oppressione & persecutione secedere cogatur.

V. 3. Secessio vero totalis, cum absoluta renunciatione, aut rejectione omnis communionis, non potest licite adhiberi erga Ecclesiam veram: sed partialis tantum quatenus communio non potest absque peccato exerceri.

Quæstio quarta. An schismatici sint membra Ecclesiæ?

VI. Resp. Schisma in tantum separat ab Ecclesia,

in quantum renunciat communioni. Si igitur 1. separatio fiat à certis quibusdam vel actionibus, vel personis tantum, quamvis schismatica sit illa separatio, non tamen statim separat ab Ecclesia.

VII. 2. Si separatio fiat ab Ecclesia una, aut pluribus particularibus, possunt tamen aliarum Ecclasiarum membra manere, quando scilicet causa separationis non est aliis Ecclesiis cum eis à quibus separatur communis.

VIII. 3. Si separatio pertinaciter fiat vel ab omnibus Ecclesiis veris, vel ab ulla propter causam omnium communem, tum tales schismatici (quamvis fieri possit, ut fidem retinentes sint membra Ecclèsiæ Catholicæ) non possunt pro visibilibus Ecclesiæ membris haberi.

Quest quinta. Quatenus schismatici debent vitari?

IX. R. Eatenus saltem, ne ex nostro consortio, vel in suo schismate illi confirmentur, vel nos in eodem communionem habeamus, vel denique alios ad schismatis approbationem allectemus.

Quæstio sexta. An Ecclesia schismatica habenda sit pro Ecclesia vera?

X. Resp. Dum retinet fidem veram, habenda est pro Ecclesia, atque adeo quæ in illa Ecclesiastice præstantur, quo ad substantiam, rata & firma debent haberi: sed quia est schismatica, idcirco non est habenda pro Ecclesia legitima & approbanda.

## CAPUT XIII.

### *De honore proximi.*

QUæstio prima. Quid sit honor qui proximo debetur?

I. Resp. 1. Honor ex communi suo conceptu testificationem quandam notat excellentiæ & præstantiæ alicujus. Et quia testificatio ista non redditur coram hominibus, nisi externis signis verborum & factorum, idcirco in vulgari usu, externa excellentiæ signa ista voce notantur, sicut etiam in ipsa Scriptura, *Lev.* 19. 32. 1 *Petr.* 3 6.

II. 2.

II. 2. Quia tamen hæc testificatio externa, quæ in verbis & factis versatur (si non sit simulatio, & inanis ejus larva, qualis histriona jam apud plurimos honoris locum & nomen obtinuit) includit in sese congruum judicium & affectum internum, cui etiam inest testificatio quædam coram Deo, idcirco solidum honoris officium præcipue nititur interna dignitatis aut excellentiæ alicujus agnitione, *Lev.* 19. 3. *Rom.* 13. 5. 19, 10.

Quæstio secunda. Quibus hominibus debetur honor?

III. R. 1. Maximè, propriè, ac plenè, honorandi dicuntur illi, qui sunt in dignitate nobis superiores, ut parentes, & similes, quia talibus debetur non tantum æstimatio & testificatio absoluta præstantiæ, quæ ipsis inest, sed ejusdem illustratio per submissionem, & observantiam ex imparitatis nostræ confessione proficiscentem.

IV. 2. Sed tamen expressum Dei verbum habemus, quod omnes sint honorandi, 1 *Petr.* 2. 17. 1. Quia potest alicujus excellentia considerari non solum per comparationem ad honorantem, ut scilicet sit excellentior eo qui honorat, sed etiam per comparationem ad alios, & hac ratione honor debetur â nobis, nostris vel æqualibus, vel inferioribus, quia sunt aliis superiores. 2. Quia vix quisquam reperitur, in quo non possimus aliquid observare, in quo nobis est superior, si ex humilitate judicium feramus, *Phil.* 2, 3. 3. Quia infimi quique possunt singularem aliquam relationem habere ad Deum, cujus respectu sunt honorandi, *Marc.* 9. 41. 1 *Petr.* 3. 7. *Esai.* 39. 9. 4. Quia in omnibus, & singulis, qui saltem communionem nobiscum habent in eadem natura, & capaces sunt communionis in eadem gratia, apparet illud quod prohibet contemptum, atque adeo aliquem exigit honorem, *Iob.* 31. 13, 14, 15. *Matth.* 18. 6.

Objectio. Docentur pii contemnere impios, *Psal.* 15. 4.

V. Sol. 1. Contemnendi sunt impii eodem plane modo quo sunt odio babendi: sub illa scilicet formali ratione, qua sunt impii. Non sunt igitur honorandi, vel quia sunt impii, vel ita ut impietas eorum nostro honore alatur, confirmetur vel armetur. *Prov.* 5. 6. & 6. 33. & 26. 18. sed quatenus boni aliquid habent, justum ejus testimonium non est ipsis denegandum, 1 *Tim.* 6. 1.

VI. Hinc quædam signa honoris simpliciter debiti, propter eorum nequitiam possunt eis jure denegari, 2 *Rom.* 3. 14. Quod tamen intelligendum est de insigniter improbis, in quibus honoris causæ turpitudine opposita quasi obruuntur; & cum illa moderatione, ut animus monstretur paratus ad omnem honorem exhibendum, si impietatis obstaculum removeatur.

Quæstio tertia, An & quatenus proprium nostrum honorem debemus curare?

VII. Resp. 1. Honor mundanus, si in comparationem veniat cum honore illo, qui à Deo quærendus est, debet omnino contemni, *Ioh.* 5. 5. & 12, 43. *Rom.* 2. 26.

VIII. Hinc 1. Propter honorem hujus mundi nullum peccatum debet admitti.

IX. 2. Propter honorem hujus mundi bona opera non sunt facienda. *Matth.* 6.

X. 3. Ex cura solidi honoris, abstinendum est ab omni peccato, & præcipuè ab eo quod turpis dehonestationis notam singularem secum fert 1. *Thess.* 4. 4. 1 *Cor.* 6. 18, 19. *Prov.* 5. 9. & 6. 33.

XI. 4. Studere debemus iis omnibus, quibus Deus verum ac solidum honorem adjungit. In Scripturis autem annectitur honor 1. generaliter pietati erga Deum, 2 *Sam.* 2. 30. *Proverb.* 4. 8. & 8. 18. 2. In specie, illis partibus pietatis, quæ in mundo habentur maxime probrosæ, & cum dedecore conjunctæ: qualia sunt admittere correctionem, *Proverb.* 13. 18. desistere à contentione, *Prov.* 20. 3.

CA-

## CAPUT XIV.

### *De Fama.*

QUæstio prima. An & quatenus quisque debet suam propriam famam curare?

I. R. Fama bona sua natura est testimonium de virtute, & fama mala est testimonium de vitio. Illa igitur est optanda & quærenda: hæc autem fugienda & cavenda. Non potest fama planè contemni, nisi virtus etiam contemnatur, *Prov.* 22. 1 *Eccles.* 7. 3. *Phil.* 4. 8. 2 *Cor.* 8. 20. 21.

II. Sicut igitur omne testimonium suum pondus accipit à teste, sic etiam fama bona, apud bonos est verè bona fama, & maximè curanda: laudari scilicet à laudato viro, 2 *Cor.* 8. 18.

III. Non tamen negligendum est testimonium alienorum, minus improborum, 1 *Tim.* 3. 7.

IV. Fama etiam bona, quia non est virtus, sed testimonium virtutis tantum, debet semper virtuti & officio postponi, 2 *Cor.* 6. 8. non debemus famam placare deserendo virtutem.

V. Fama porro bona quærenda est imprimis in corde, & conscientiis hominum potius, quam in facie, 2 *Cor.* 4. 2, *&* 5. 11. 12. ex solidis operibus virtutis magis, quam ex arte captata commendatione, 2 *Cor.* 3. 1, 2, 3.

IV. Fama insuper bona, quærenda ac tuenda, non propter se, neque propter nos, quasi aliis majorem fidem haberemus de nobis, quam nobismetipsis; sed propter gloriam Dei, *Gal.* 1. 24. 2 *Thess.* 1. 12. & ut aliis vel exemplo, vel opera nostra, magis prodesse possimus, 1 *Thess.* 1. 7.

VI. Hinc illi singularem curam habere debent famæ suæ, qui muneris sui ratione, singulariter vocantur ad Dei gloriam, & hominum salutem promovendam, *Neh.* 6. 10, 11. 1 *Tim.* 3. 7. 1. *Sam.* 2. 17, 12, 23, 24,

VIII. Hæc tamen differentia est observanda, ut minor cura habeatur famæ, circa illa quæ minus faciunt ad Dei gloriam, & major circa illa quæ magis eo spectant. Sic Paulus & humanæ scientiæ, & eloquentiæ famam contemnens, 1 *Cor.* 2. 2. & 2 *Cor.* 11. 6. curabat famam solidæ cognitionis Christi: *ibid.* & maxime sollicitus fuit circa vocationis, fidelitatis, & constantiæ suæ famam, 2 *Cor.* 1. 17, 18. Neque revera læditur proprie fama cujuspiam, ex eo quod pauper, ignobilis, minus doctus, eloquens, aut ingeniosus, immerito & cum injuria habeatur; quia fama bona est testimonium virtutis, non divitiarum, nobilitatis, aut eruditionis.

IX. Infamiam suam injustam, potest quis aliquando cum silentio tolerare: quando scil. commoda occasio cum fructu obsistendi non datur; & spes est, infamiam illam sua sponte sic post evanituram, ut in aliorum bonum potius quam malum sit cessura, *Matth.* 27. 12, 13. Qui autem sine tali causa, infamiam suam injustam negligit, cum aliorum scandalo, is non tam patiens habendus est, quam prodigus & crudelis.

X. Qui infamat semetipsum, imponendo sibi crimen falsum, non tantum peccat mentiendo, in veritatem; sed etiam in proximum, scandalum ipsi præbendo? & in semetipsum, dum spoliat se bono conservando, & in Deum, cujus gratia hac in parte negatur, & cujus nomen forsan hac ratione potest blasphemari, *Job.* 27. 5.

XI. Potest quis tamen aliquatenus infamare semetipsum, occultum crimen revelando, si fiat cum causa, e. g. si in magnis angustiis fiat ad petendum consilium, vel tristitiam levandam, aut si necessarium hoc sit aut grave incommodum alterius vitandum.

CAPUT

## CAPUT XV.

### *De Iudicio Temerario.*

QUæstio prima. Quid sit judicium temerarium?

I. Resp. 1. Est opinio vel assensus de alterius malitia sine justa ratione.

II. 2. Opinio vel assensus vocatur, quia judicium privatum potest esse in animi sententia, sine ullis verbis aut sententiæ pronunciatione, quæ in publico judicio debet semper adesse.

III. 3. Objectum ejus collocatur in malitia alterius, qua solummodo malum culpæ bonæ famæ propriè adversatur. Generaliter autem dicimus malitiam, quia potest hoc judicium ferre non tantum de facto aliquo, quod sit peccatum, sed etiam de statu alicujus quod sit in statu peccati, *Luc.* 19. 7.

IV. 4. Differentia consistit propriè in levitate aut insufficientia rationum quibus nititur judicium: qua etiam ratione propriè vocatur temerarium, quod si firmis argumentis niteretur, esset prudens & justum. Hæ autem rationes non subesse tantum debet in reipsa, sed & notæ esse illi qui judicium fert. Judicium enim verum potest esse temerarium, sicut assertio vera mendacium.

V. 5. Rationes autem leves & insufficientes æstimandæ sunt, quæ ex prudenti consideratione omnium circunstantiarum, non sunt idoneæ ad talem assensum pariendum, qualis habetur. Rationes enim quæ leviores sunt, quam ut opinionem aliquam malam persuadeant de uno homine, possunt esse graves & justæ de alio. Quæ leves sunt ad unam opinionem malam suadendam, ad aliam possunt esse graves. Quæ leves sunt ad assensum firmum, justæ possunt esse ad leviorem assensum: aut ad suspicionem quæ est concitatio animi ad assentiendum; aut ad dubitationem, qua animus

hæret in medio suspensus, & neutram in partem inclinat.

Quæstio secunda. An & quomodo judicium temerarium sit peccatum?

VI. Resp. 1. Peccatum est levitatis adversus prudentiam.

VII. 2. Adversatur principio illi naturali, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Nemo enim est qui vellet proximum temere de se & suis factis judicare.

VIII. 3. Imminuit proximi bonum, & juri ejus adversatur. Quisque enim jus habet ad famam integram, tanquam ad bonum depositum in mentibus aliorum, usque dum ipsemet suis factis inde eam abstulerit.

IX. 4. Generat contemtum proximi, *Rom.* 14. 3. 10. quo fit ut sine causa indignus habeatur officiis & beneficiis.

X. 5. Est usurpatio judicii & authoritatis Dei, quatenus vel judicat de occultis & soli Deo notis, vel judicandi legem statuit, non accipit, quod est proprium Dei, *Rom.* 14. 4. *Iacob.* 4. 11, 12.

Quæstio tertia. Quænam differentia peccati sit in temere judicando?

XI. R. 1. Judicium temerarium aliquando oritur ex simplici errore intellectus, aut inadvertentia, qua fit ut illa indicia mali alicujus habeantur sufficientia, quæ non sunt talia. Hoc est peccatum levius ex communi defectu proficiscens. Signum ejus est, si quis sit paratus post meliorem informationem, opinionem illam planè deponere.

XII. 2. Aliud est judicium temerarium, quod provenit vel ab animi perversitate, qua quis proclivis est ad malignè de aliis judicandum; vel à personali malevolentia, qua quis facilè credit malum de hoc aut illo, erga quem est male affectus. Hujus signum est pertinacia, qua quis libenter negligit examen rationum, vel indiciorum, quibus nititur ejus judicium, & vult persistere in opinione mala.

mala. Istiusmodi judicium temerarium est planè voluntarium & grave peccatum.

Quæstio quarta. An & quomodo dubia in meliorem partem sint interpretanda?

XIII Resp. 1. Dubia de rebus secundum momenta rationum debent æstimari, sine inclinatione in alterutram partem

XIV. 2. Dubia de personis, in eis quæ pertinent ad earum bonam vel malam existimationem, absolutè sunt interpretanda in meliorem partem, 2 Cor. 13. 5.

XV. 3. Hoc tamen non ita debet accipi, quasi speculativè & positivè debeamus certo judicare illos esse probos, de quorum probitate nullum certum indicium habemus (quia sic teneremur credere falsum) sed quod negativè & practicè debeamus in dubiis benè judicare, i. e. ut sic erga illum malè de proximo judicemus, 2. ut sic erga illum nos geramus in communibus officiis, ac si esset probus, cum de contrario nobis non constat. Hoc est judicium charitatis.

XVI. 4. Huic judicio charitatis non repugnat judicium illud prudentiæ, quo in ordine vel ad emendationem, vel ad cautelam alicujus mali, sic nos gerimus erga quosdam in dubiis, ac si malè de eis suspicaremur: ut cum moderatè nostris rebus attendimus ab hominibus ignotis, quasi essent fures, aut severius agimus cum quibusdam quos pro bonis habemus, in ipsorum aut commune bonum. Sic enim non interpretamur dubia positivè in deteriorem partem, sed ex suppositione possibili, prævertimus partem deteriorem. Hoc autem non tantum licitum est, sed etiam in quibusdam casibus necessarium, tam necessitate præcepti, quam medii ad finem ex officio procurandum: ut in casu vigilantis attentionis adversus illos, qui sub specie aliqua simulata, incautis imponunt, vel ut Apostolus monet: *per blandiloquentiam & assentationem corda minimè malorum seducunt*, Rom. 16. 18.

C A-

## CAPUT XVI.

### *De Detractione.*

QUæstio prima. Quid est detractio ?

I. R. 1. Propriè loquendo detractio est injusta & occulta violatio alienæ famæ. Sed quia præcipuus est modus lædendi famam proximi, idcirco synecdochice potest ac solet etiam sic accipi, ut complectatur contumeliam quamlibet apertam; quæ eadem ratione differt à detractione propriè dicta, qua rapina distat à furto, quod scilicet fiat scienti & renitenti.

II. 2. Hinc eo gravius est peccatum detractionis. 1. Quo magis est injusta. Ut si fiat in eos qui illæsæ dignitatis statum habent vita & moribus comprobatum; aut si fiat cum directa intentione famam alterius lædendi non ex temeraria levitate aut loquacitate. 2. Quo magis lædit, ut in materia ex qua grave sequitur famæ detrimentum; & eo modo quo possit ad plurimos pervenire, & cui difficile quis occurrere potest, ut in libellis famosis.

Quæstio secunda. An ille sit vere detractor, qui revelat peccatum verum, sed occultum ?

III. R. 1. Qui sine justa causa hoc facit est detractor: quia quum nullus alius finis justus apparet, judicandum est ex natura rei, quæ in tali revelatione, nihil est aliud, quam ablatio famæ ad nocendum.

IV. 2. Si vero vel ad peccatoris emendationem ordine fiat, vel ad aliorum periculum grave præcavendum, vel ex pari aliqua causa justa, non est peccatum: quia hac ratione minus bonum negligitur, ut majus procuretur; & malum serpens aliquo modo reprimitur, non promovetur.

Quæstio tertia. An ille sit vere detractor, qui ad malam famam pertinentia, quæ ab aliis audiverat, aliis refert absque alia asseveratione ?

V. R. Si quis absque causa gravi eo modo talia referat,

referat, ut audientes merito induci possint ad illa, quæ refert, credenda, aut si verisimile sit, ex tali narratione malam suspicionem in animis hominum suborituram, est detractor: quia est causa concurrens ad famam injuste detrahendam.

Quæstio quarta. Quando licet aliorum peccata diffamare?

VI. Resp. 1. Quando sunt publica, sive ex sententia judicis; sive ex evidentia notorii facti. Nam criminis author, tali modo infamatus, amisit jus ad famam bonam.

VII. 2. Quando improbi homines per dissimulationem suæ nequitiæ, & fictam speciem virtutis, quærunt sibi famam bonam cum aliorum periculo manifesto.

## CAPUT XVII.

### *De Humilitate erga homines.*

QUæstio prima. Quæ & qualis sit hæc humilitas?

I. R. Differt ab humiliatione nostri coram Deo, & respectu Dei, quia respectu Dei, subjiciendæ sunt animæ nostræ, & nos non tantum inutiles agnoscere debemus, *Luc.* 17. 10. sed & nihil, *Prov.* 30. 2, 3. 1 *Cor.* 3. 7. *Gen.* 18. 27. atque etiam abominandos, *Job.* 42. 6. sed respectu hominum, talis abjectio non habet locum. Paulus enim profitetur se utilem fuisse Ecclesiis & meruisse ut ab iis diligeretur, & in honore haberetur.

II. Ab illa tamen humiliatione coram Deo, pendet humilitas erga homines. 1 *Petr.* 5. 5, 6. *Prov.* 22. 4. non tantum quia ex conscientia erga Deum submisse nos gerere debemus erga fratres: sed etiam, quia sensus & agnitio vilitatis & indignitatis nostræ coram Deo, facit nos vere submissos, & sic ad veram humilitatem omni respectu nos disponit.

III. Humilitas erga homines est virtus qua quis cavet ne efferat semetipsum supra suum gradum *Matth.* 23. 12. *Luc.* 14. 11. & 18. 14. *Rom.* 12. 3.

2 *Cor.*

2 *Cor*. 10. 13,14,15. semetipsum non libenter commendat. 2 *Cor*. 10. 12.

IV. Humilis igitur non affectat externa signa eminentiæ. *Matth*. 26.6,7,8. *Luc*. 14.7.

V. Alios magni facit, & illis inservire studet. *Phil*. 2.3. *Matth*. 23.11.

VI. Patienter fert contemptum sui, quatenus pertinet ad ipsum. 2 *Cor*. 5.12,13 & 12.10.

VII. Non adspirat ad alta *Psal*. 131.

VIII. Non tamen abnegat dona Dei sibi communicata, 2 *Cor*. 11. 5. neque ex abjectione animi refugit munus ullum ad quod vocatur. *Jer*. 1.6,7.

## CAPUT XVIII.

### *De Superbia & Invidia.*

QUæstio prima. Qua in re consistat superbia adversus proximum?

I. R. Superbia in communi est, qua quis inordinatè supergreditur illud quod est. Unde etiam definire solet, propriæ excellentiæ affectatio inordinata. Ex hac dispositione immediate sequitur, quod superbus recuset aliis subjici. Et hoc respectu præcipue Deum respicit, cui subjicere se omnes debent: & interpretative saltem in omni peccato reperitur: quia ille qui peccat, recusat subjici voluntati divinæ.

II. Respectu hominum autem, quamvis similis quædam sit ratio superbiæ, quoad superiores, quibus homines superbi nolunt subesse: est tamen & alia ratio quoad inferiores, quibus nolunt se prout oportet submittere; & quoad æquales: quibus cupiunt superiores esse vel videri.

III. Hæc superbia prout est in corde, cogitatione & affectu, dicitur elatio cordis. 2 *Chro*. 25.12. *Ezech*. 28. 1. prout in externis gestibus est, dicitur elatio oculorum. *Prov*. 6. 17. prout est in verbis dicitur jactantia. *Prov*. 12. 9. & 20. 6.

IV. Eadem superbia quatenus versatur circa famam & inanes laudes, dicitur inanis seu vana gloria:

ria: quatenus versatur circa honores & dignitates dicitur ambitio: quatenus versatur circa ostentationem virtutis alicujus grandis, quæ non adest, dicitur præsumptio.

V. Peccatum hoc tum directè proximum lædit, quando superbus immerito se proximo præponit: præsertim vero si hoc fiat cum contemptu, contumelia, aut vilipendio proximi.

VI. Quia vero proprius iste superbiæ affectus, quo quis se proximo præponit, singulariter apparet in pertinacia, qua quis suæ opinioni aut causæ adhærere vult, contra sententiam aliorum sine ratione; & hinc omnes ferè discordiæ & contentiones oriuntur; idcirco etiam hac ratione superbia est causa multorum peccatorum in proximos. *Prov.* 13. 10.

VII. Ex superbia etiam propriè fluit invidia, qua fit, ut superbus nolit, aut non possit æquo animo videre bonum alienum, quia (scil.) illa ratione ipsius excellentia minui videtur.

## CAPUT XIX.

### *De Mutua obligatione inter ætate vel donis tantum superiores, & suos inferiores.*

QUæstio prima. Quale est officium talium superiorum?

I. Resp. 1. Omnes hujusmodi superiores debent studere ut eminenti quodam exemplo, in benè vivendo suis inferioribus præire possint, *Tit.* 2. 4. 1 *Pet.* 5. 3. Ratio est, quoniam ab illis qui plus acceperunt, plus etiam requiritur. *Luc.* 12. 48. idque in aliorum bonum; præcipue autem eorum qui minus acceperunt. Sed qui donis est superior, majora accepit media benè vivendi: & qui ætate sola superior est, experientiam saltem habet majorem. Ab utroque igitur plus aliquid requiritur, quam ab inferioribus potest exspectari: quod ad eorum bonum conducit per modum eminentis exempli.

II. 2. Qui

II. 2. Qui dono aliquo excellit, debet idem ad aliorum utilitatem prompte impertiri. Ratio est, quia dona illa quæ accepimus à Deo, non sunt planè nostra, quasi eorum essemus Domini absoluti: sed eorum sumus dispensatores, & in illa dispensatione respicienda est voluntas donatoris, & Domini, quæ postulat ut ad ipsius gloriam referantur, in recto ipsorum usu, adversus alios homines. *Rom.* 1, 14. *Debitor sum.*

Quæstio secunda. Quale est officium inferiorum erga tales superiores?

III. Resp. 1. Debent ipsis inferiores submissam reverentiam, vel honorem cum submissione. Ratio est, quia omnes honorari debent secundum suum gradum: & superiorum istorum gradus est supra alios: honor igitur qui ipsis debetur conjungi debet cum agnitione superioritatis, qui est honor aut reverentia submissa.

IV. 2. Reverentia ista non tantum interna æstimatione, sed verbis, gestibus, & factis debet præstari.

V. 3. Inferiores debent etiam ab istiusmodi superioribus libenter illa discere ex quibus proficiant in benè vivendo, & quæ didicerunt, ex occasione justa, grato animo profiteri. *Actor.* 18. 26.

## CAPUT XX.

*De Mutua obligatione inter potestates superiores, & eos qui ipsis subjiciuntur.*

QUæstio prima. Quodnam est officium hujusmodi superiorum?

I. R. 1. Debent iis quos subditos habent quantum in ipsis est procurare, ut tranquillam & quietam vitam degant cum omni pietate & veneratione. 1 *Tim.* 2. 2. Ratio est, quia superior, potestate, est Dei minister aliorum bono, *Rom.* 13. 4. Omnem igitur potestatem suam eo imprimis dirigere debet, ut illa Deus, cujus minister est, honoretur; & ut ad subditos ex eadem potestate maximum bonum possit venire.

II. 2. Hinc

II. 2. Hinc debent quantum in ipsis est. 1. procurare subditis suis omnia media benè vivendi. Potestatis enim superioris inter homines fundamentum, & actus primus est communicatio boni, cujus ratione, illi quibus id communicatur, pendent à communicante, eique subjiciuntur. 2. liberos ipsos præstare à periculo & metu in benè agendo. Hæc enim est protectio, quæ est conservatio boni quod ipsis adest, atque adeo genus quoddam boni communicandi, saltem quoad ejus continuationem. 3. justis omnibus mediis, incitare ad bonum, & retrahere à malo. In eo enim est procuratio finis mediorum suppeditationis, & conservationis eorum.

Quæstio secunda. Quodnam est officium subditorum erga illos qui potestate sunt superiores?

III. R. 1. Debent illis specialem illam reverentiam, quæ non tantum respicit eorum eminentiam, in gradu (qualis etiam ætate ac donis superioribus debetur) sed etiam originalem eminentiam tanquam ex qua causa aliquo modo pendent, quoad suum benè esse.

IV. 2. Debent illis subjectionem, qua potestatem & authoritatem ipsorum sic agnoscant, ut eandem studeant illæsam conservare. Potestas enim & authoritas superioris non magis consistere potest actu, sine hac subjectione, quam relatum unum sine suo correlato. Huic autem subjectioni, non tantum violenta omnis insurrectio, sed etiam contemptus, & vilipendium adversatur. Quamvis enim subjectio erga homines non sit propriè ipsius animæ, debet tamen ab anima proficisci, *Ephes.* 6. 6. 7. *Col.* 3. 23.

V. 3. Debent illis obedientiam, qua præstare parati sunt quæ ab illis præscribuntur. Hæc obedientia distinguitur, à subjectione, tanquam speciale à generali. Subjectio enim in communi respicit authoritatem ac potestatem superioris: sed obedientia respicit præceptum aut mandatum ab illa authoritate profectum.

VI. 4. Hinc

VI. 4. Hinc 1. subjectio potest esse, ibi non est obedientia: ut in submissa recusatione obedientiæ, quando illicitum esse constat, quod à superiore mandatur.

VII. 5. Hinc etiam 2. regula obedientiæ, & ratio cur in illicitis obedientia non est præstanda, fluit: quia scilicet nemo tenetur cuiquam obedire, nisi quatenus illi subjicitur, sed ad illicita facienda, vel ad peccandum, Deus non vult ut hominibus subjiciantur.

VIII. 6. Debent illis submissam gratitudinem, qua beneficia illa, quorum participes facti sunt ex ipsorum potestate, studeant pro viribus compensare.

## CAPUT XXI.

### *De Mutua obligatione inter conjuges.*

QUæstio prima. Quomodo se gerere debeat maritus erga suam uxorem?

I. Resp. 1. In omnibus debet uxorem habere pro socia conjunctissima & quasi parte sui, vel ejusdem totius, in paritate quadam honoris, *Ephes.* 5. 28,29. Hinc 1. Socialis & maximè intima dilectio intercedere debet inter maritum & uxorem. 2. atrox, gravis, aut contumeliosa tractatio uxoris aliena est planè à conjugii natura, *Coloss.* 3. 19. 3. Honor singularis practicè debetur uxori à marito. 1 *Petr.* 3. 7.

II. 2. In omnibus tamen gerere sese debet tanquam caput uxoris, 1 *Cor.* 11. 3. *&c.* Hinc 1. debet excellere scientia ac prudentia, ut possit rectè præire, præesse, & dirigere uxorem à se pendentem. 1 *Petr.* 3.7. 1 *Cor.* 14. 35. Ex qua etiam prudentia cedere sæpè debet suo juri, & consulere uxoris infirmitati, & in tolerantia defectuum uxori præire, 1 *Petr.* 3. 7.

III. 3. 2. Debet eidem pro sua facultate & conditionis ratione in omnibus necessariis providere. 1 *Tim.* 5. 8. 3. Debet eam gubernare in eis, quæ

quæ pertinent ad bonos mores, & administrationem domus, *Num.* 30. 14.

Quæstio secunda. Quomodo se gerere debeat uxor erga suum maritum?

IV. Resp. 1. Præter commune officium socialis & intimæ dilectionis debet 1. subjicere se marito tanquam capiti suo. 1 *Cor.* 11. 3. *Eph.* 5. 22. 1 *Pet.* 3. 6.

V. 2. Debet ita se gerere, ut honorem & (si fieri possit) emolumentum adferat suo marito. *Prov.* 12. 4. & 14. 1. & 31. 10, 11, 12. &c.

VI. 3. Debet cum timore ac submissa reverentia cavere, ne maritum offendat, *Ephes.* 5. 33. 1 *Petr.* 3. 2.

VII. 4. Debet in omnibus ita se gerere, ut maritus in ipsa conquiescere possit, tanquam in altero ipso. *Psal.* 45. 11, 12.

## CAPUT XXII.

### *De Mutua obligatione inter Parentes & Liberos.*

QUæstio prima. Quænam tenentur parentes suis liberis præstare?

I. Resp. 1. Tenentur inprimis liberis alimenta subministrare, usque dum idonei fuerint ad semetipsos sustentandos. 1 *Tim.* 5. 8. Hoc officium oritur ex ipsa naturæ propensione, quæ est homini cum belluis communis: quia ipsæ feræ, sævæ ac immanes bestiæ prolem nutrire solent, usque dum adoleverit. Ex eadem ratione sequitur, peccare matrem, quæ non alit liberos ubere suo proprio, nisi causa justa sit impedita.

II. 2. Tenentur vel per se, vel per alios, enutrire ipsos in disciplina, & admonitione Domini. *Eph.* 6. 4. Ratio est, quia non tantum curare debent parentes ut liberi sui vivant, sed etiam ut benè Deo vivant. Hinc 1. debent (pro ipsorum captu) instituere illos in principiis religionis, ut semina saltem conscientiæ, pietatis, & bonorum morum concipiant etiam à teneris. 2 *Timoth.* 3. 15. 1 *Reg.* 18. 12. *Prov.* 4. 3, 4. & 31. 1, 2. &c. 2. Debent etiam

etiam idoneis mediis deterrere eos à malo, & incitare ad bonum, 1 *Sam*.3.13. Hinc etiam Correctio non solum verbalis, sed & realis est in suo loco necessaria, *Prov*.13.24 & 19.18.& 22.15.& 23.13. Sed tamen illa moderatio semper debet adhiberi, ne liberorum animi exacerbentur, *Ephes*. 6.4. *Col* 3.21.

III. 3. Tenentur patriam suam potestatem sic exercere, ut cedat in maximum commodum filiorum, non tantum dum sunt sub dominio parentum, sed etiam postea. Huc autem illa duo præcipuè spectant. 1. Ut prospiciant ipsis de honesta, & apta occupatione vitæ, *Prov*. 22.6. 2. Ut quando opus fuerit, honestum & aptum conjugium ipsis procurent, 1 *Cor*. 7.38.

Quæst. secunda. Quæ & qualis sit patria potestas?

IV. R. 1. Patria potestas, est jus quod parentes acquirunt in suos liberos ratione generationis, & educationis. Hinc omnis patria potestas sua natura, est ad liberorum bonum procurandum, regendo, & coërcendo; neque potest extendi ad jus vitæ ac necis.

V. 2. Maxima est potestas patria in liberos, dum adhuc destituuntur recto usu rationis: tum enim omnes liberorum actiones sunt sub dominio parentum: quia semetipsos regere non possunt.

VI. 3. Cum jam pervenerunt ad perfectum usum rationis, potestas patria in eis præcipuè versatur, quæ ad communis familiæ statum aliquid momenti habent: quoad alia potestas est minor in parentibus; sed obsequii vinculum augeri videtur in liberis: quia tunc magis intelligunt quid parentibus debent.

VII. 4. Postquam ex parentum consensu, vel expresso, vel tacito, in sua potestate sunt constituti, tum patria potestas propriè sic dicta cessat, quamvis nunquam cessare possit debitum gratitudinis, observantiæ, & pietatis filialis.

Quæstio tertia. Quænam tenentur liberi suis parentibus præstare?

VIII. Resp.

VIII. Resp. 1. Debent parentibus, sicut & parentes ipsis, singularem amorem, cujus privatio *ἀστοργία* inter vitia maximè detestanda numeratur, *Rom.* 1. 31.

XI. 2. Debent reverentiam & honorem singularem: sicut verba quinti præcepti sonant: cui ut abominanda peccata opponuntur, contemptus, *Lev.* 20. 9. *Deut.* 27. 16. *Prov.* 20, 20. irrisio & subsannatio, *Prov.* 15. 5. & 30. 17.

X. 3. Debent subjectionem, & obedientiam. 1 *Tim.* 3. 4. *Tit.* 1. 6. *Ephes.* 6. 1. *Col.* 3. 20.

XI. 4. Debent singularem tolerantiam in ferendis & tegendis infirmitatibus parentum, *Prov.* 23. 22. *Gen.* 9. 22.

XII. 5. Debent timorem, *Lev.* 19. 3.

XIII. 6. Debent ipsis cum omni gratitudine vicem rependere in benè illis faciendo, quando opus est, 1 *Tim.* 5. 4. *Matth.* 15. 4, 5, 6. *Marc.* 7. 12.

XIV. 7. Omnia hæc officia sic præstari debent à liberis, ut rationem quandam habeant pietatis, 1 *Tim.* 5. 4. Quia parentes respectu liberorum singularem imaginem gerunt Dei, quatenus est creator, sustentator, & gubernator.

## CAPUT XXIII.

### *De Mutua obligatione inter Dominos & servos, quæ & qualis sit?*

I. R. 1. SErvitus differt à filii statu. 1. Quod non sit à natura, ut filii, sed vel ex voluntario consensu suscepta, vel imposita sub ratione pœnæ. 2. Quod filii conditio tendit præcipuè ad bonum suum, non patris; sed servitus refertur directè ad commodum domini, non servi. 3. Quod filii non nisi ad ingenuas operas debeant ex ordinè adhiberi; sed servi ad quaslibet. 4. Quod filiorum subjectio non sit perpetuo eadem, & æqualis, sed servi perpetuas operas absque discrimine debent. 5. Quod filii in omnibus mollius & indulgentius tractandi sint quam servi, *Prov.* 29. 21.

II. Ser-

II. Servitus perfecta voluntaria, inter Christianum & Christianum, ex parte servi patientis sæpè est licita, quia est necessaria: sed ex parte domini agentis & procurando & exercendo, vix potest esse licita: quia non convenit regulæ illi generali: quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis. *Matth.* 7.12.

III. Perfecta servitus pœnæ, non potest jure locum habere, nisi ex delicto gravi, quod ultimum supplicium aliquo modo meretur: quia libertas ex naturali æstimatione proxime accedit ad vitam ipsam, & eidem à multis præferri solet.

IV. Conditio hominum adscriptitiorum, qui certis operibus perpetuo sunt mancipati: & famulorum, qui ob mercedes suas operas alteri locant ad tempus, est servitus imperfecta.

V. Servi suis Dominis legitimis debent cum honore subjectionem. Non debent igitur per fugam semetipsos subtrahere dominis suis: quia hoc esset rem alienam auferre, atque adeo non minus injustum, quam furtum. *Eph. ad Philem.*

VI. Debent eisdem obedientiam in omnibus eis, in quibus subjiciuntur, in Domino. Hæc autem obedientia, pro regula sua quoadmodum non respicere debet scientiam hominum, sed Dei; neque ut finem præcipuè respicere debet mercedem ab hominibus recipiendam, sed à Deo, *Col.* 3.22,23,24. *Eph.* 6.5,6.

VII. Subjectionem & obedientiam istam debent non tantum bonis & moderatis dominis, sed etiam pravis & duris: 1 *Petr.* 2.18. Ratio est, quia fundamentum primarium hujus officii non est meritum dominorum, sed ordinatio Dei. *Rom.* 13.3. Qui autem dominos habent fideles & pios, non debent inde occasionem ullam capere subjectionis & obedientiæ suæ diminuendæ, sed potius augendæ: quia tam ipsorum charitas, quam dominorum meritũ & gratitudo hac ratione augetur; atque adeo cum domini sint magis digni, & servi magis obligati, officia non debent

debent remitti, sed eo magis intendi, 1 *Tim.* 6. 2.

VIII. Dominorum officium est generale, absolutum imperium in suos servos nec exercere, nec sibi permissum imaginari; sed dominium limitatum, cujus rationem reddere debent Deo, tanquam Domino communi ipsorum & servorum suorum, *Eph.* 6. 9. *Colos.* 4. 1.

IX. Debent suis servis præstare quod justum est. *Col.* 4. 1 id est, omnia quæ pro labore jure debentur, *Jac.* 5. 4. qualia sunt alimenta servitio aut famulatui congruentia, quo nomine victus, vestitus, & habitatio comprehenduntur, *Prov.* 31. 15.

X. Debent etiam ipsis præstare quod æquum est. *Colos.* 4. 1. id est, illa quæ à servis non possunt exigi, quasi jure suo debita, sed ex recta ratione debentur: qualia sunt benevolentiam singularem declarare erga servum fidelem & prudentem. *Prov.* 14. 25. eumque ad honorem promovere, *Proverb.* 27. 18. & 17. 2. Non deserere servum ægrotantem, *Matth.* 8. 6.

XI. Debent insuper curare, ut servi instituantur in doctrina religionis, & assuefiant ad exercitia pietatis; nec non ducere ipsos in via recta, & abducere à peccato, *Decal. præf.* 4. *Prov.* 29. 12.

XII. Debent humanitatem ac lenitatem exercere erga servos, non imperiose & minaciter cum ipsis, tanquam cum pecudibus agentes, *Ephes.* 6. 9.

XIII Debent servos protervos corrigere. *Prov.* 29. 19. aut si sint incorrigibiles, expellere domo, *Psal.* 101. 6.

## CAPUT XXIV.

### *De Mutua obligatione inter Ecclesiasticos præfectos, & cætera Ecclesiæ membra.*

QUæstio prima. Quale sit officium præfectorum?

I. R. 1. Debent sic sese gerere erga Ecclesiam, ut decet ministros, non dominos, 1 *Petr.* 5. 3. 2. *Corint.* 4. 5. Sunt autem servi aut famuli propriè Dei tanquam Domini, *Actor.* 20. 19. &c. Ecclesiæ tanquam objecti cui eorum servitium & opera impenditur. Hinc est quod quatenus considerantur ut delegati Christi, mandata ejus ex singulari commissione deferentes & exequentes, agant omnia ex authoritate, *Tit.* 2. 15. quamvis in semetipsis considerati, & in modo agendi, qui personas ipsorum spectat, sint omnium servi, 1 *Cor.* 9. 19.

II. 2. Debent omni modo anniti, ut ministerium suum possint implere, *Colos.* 4. 11. Tam intensivè, quoad zelum, & instantiam in officio faciendo; quam extensivè, in omni parte officii curanda, 2 *Tim.* 4. 2. Idque constanter, sine animo respectandi, *Luc.* 9. 62.

III. 3. Debent se in omni officio pietatis exemplaria præbere gregi, 1 *Tim.* 4. 12. 1 *Petr.* 3. 3.

IV. 4. Debent manifestam differentiam facere inter bonos & malos, ita ut malos à sua malitia abducant, & bonos in sua via confirment, *Ierem.* 15. 19. 23. 14, 15. 17. *Ezech.* 13. 11. 22.

V. 5. Debent etiam discernere inter perfectiores, & imperfectiores ex ipsis bonis, & congruentes sese in omnibus accommodare, 1 *Cor.* 3. 1, 2.

VI. 6. Debent in omnibus istis diligentiam singularem præstare, tanquam milites, 2 *Tim.* 2. 4. agricolæ, 1 *Corinth.* 3. 9. pastores, vigiles, rationem omnium singularem Deo reddituri, *Hebr.* 13. 2.

VII. 7. Debent hæc omnia sic facere, ut ostendant se non respicere seipsos, sed Dei gloriam, & Ecclesiæ ædificationem.

Quæstio secunda. Quale sit officium reliquorum Ecclesiæ membrorum erga præfectos?

VIII. Resp. 1. Debent ipsis singularem reverentiam, propter dignitatem illam in qua sunt à Christo collocati, tanquam ejus vicem gerentes.

tes, *Esai.* 52.7. *Rom.* 10. 15. Hæc reverentia quamvis sit propriè civilis, quia tamen non tantum imperatur à religioso Dei cultu, sed etiam ab eodem directe & immediate derivatur, & cum eo individuam habet connexionem, idcirco singularis est naturæ, id est, participativè religiosa.

IX. 2. Debent eos supra modum charos habere, 1 *Thess.* 5. 13. *Gal.* 4. 14, 15. Qui enim magni beneficii participes fiunt, non possunt non magnopere diligere eos per quos, tanquam instrumenta, fuit ipsis communicatum.

X. 3. Debent ipsis obedientiam, *Hebr.* 13. 17. Hæc autem obedientia quatenus respicit voluntatem Dei per illos ad nos delatam & applicatam, debet esse spiritualis, in actibus purè internis. Sed in aliis etiam, quæ ad ipsorum officium spectant, & nullam apparentiam habent peccati, scandali, neque notabile cuiquam adferunt detrimentum, consentaneum est ut ipsis obedientia præstetur.

XI. 4. Debent curare ut suppetant ipsis omnia necessaria ad vitam, & statum honestum; 1 *Cor.* 9. 11. *Gal.* 6. 6. *Rom.* 15. 27. 1 *Tim.* 5. 1. 14. Neque est ista communicatio gratuita ex charitate, sed ex justitia debetur. *ibid.* 1.

XII. 5. Hæc omnia debent ita præstari, ut alacritatem animi addant ministris in officio suo fungendo. *Hebr.* 13. 17.

XIII. 6. Quia tamen non debentur hac ratione tituli, sed propter ordinationem divinam, & operam impensam; 1 *Thess.* 5. 1. 13. idcirco neque hominum creaturis debentur, neque prorsus indignis.

## CAPUT XXV.

*De Mutua obligatione inter Magistratus, & subditos.*

QUæstio prima. Qualis sit protestas Magistratus?

I. Resp. 1. Potestas hæc est maxima inter humanas;

manas: quia reliquis omnibus supereminet, easque regit. *Rom.* 13. 1.

II 2. Est à Deo instituta in communi, ut scil. sint magistratus, vel publici gubernatores. *Rom.* 13. 12. 4. quamvis in specie, quoad hanc aut illam formam sic creatura humana. 1 *Petr.* 2. 13.

III. 3 Hinc ista potestas non est absoluta, sed duplicem habet limitationem: 1. à voluntate Dei cujus est minister, est omnis magistratus, *Deut.* 17. 18. 2. ab illa voluntate hominum, quæ conditionibus aut legibus illis continetur, in quibus imperii potestas fundatur.

IV. 4. Jus regis. 1 *Sam.* 1. 8, 9. 11. quod (ex veteri versione) adfertur à quibusdam pro illimitata Regum potestate, non magis talem potestatem probat in Rege, quam eadem vox approbat iniquitatem sacerdotum, 1 *Sam.* 2. 13.

V. 5 Negari non potest, quin populus aliquis necessitate coactus, possit se vendere Regi, ut omnes sint plane servi ipsius. *Genes.* 47. 23. sed neque hoc unquam præsumi debet, quando non est manifestum; quia contra mores est, & contra naturæ inclinationem: neque licitè honestè ab ullo principe quæri potest; quia ejus officium est communem utilitatem populi præcipue spectare; neque denique civitas aut politia esset, quæ illum in modum constitueretur, sed herile dominium, & servitium monstrosum.

Quæstio secunda. Quodnam sit officium Magistratus?

VI. Resp. 1. Debet subditis protectionem eminentem, qua tuti præstentur ab omni perturbatione, metu, & impedimento bene vivendi. 1 *Tim.* 22. *Esai.* 32. 2. Huc spectat coërcitio & repressio improborum. *Psal.* 101. 8.

VII. 2. Debet ipsis eminentem directionem, prospiciendo scilicet ut suppetant illis omnia media quibus possint in bene vivendo promoveri, *Psal.* 72. 6, 7.

VIII. 3.

VIII. 3. Prima Magistratus cura debet esse, religionem veram promovere, & impietatem prohibere. *Esai* 49.23. *Psal.* 2. 11. Exempla hujus curæ laudantur in Davide, Salomone, Josaphat, Hezekia, Josia, &c. Negotia Jehovæ, & negotia Regis, 2. *Chron.* 19 11. non sunt ita disparata, quasi cura, & cognitio eorum quæ sunt Dei, non pertineret ad Regem; sed ita distinguuntur, ut in modo procurandi Rex politice suas partes agat, & sacerdos ecclesiastice suas.

IX. 4. Debet Magistratus fovere etiam & promovere externam felicitatem subditorum, non exactionibus iniquis perturbare & evertere ipsorum fortunas. *Prov.* 28. 15. 19.

X. 5. In istos fines, incumbit Magistratui singularis cura legum, & judiciorum, ut omni justitia & æquitate, tam constituantur, quam exequutioni mandentur. *Esai.* 10. 1. *Ierem.* 5. 1. *Deut* 1. 16, 17. 2 *Chron.* 19.

XI. 6. Debet exemplo bono subditis suis præire, eoque pro ratione muneris eminenti. *Psal.* 101. 1.

XII. 7. In moribus debet se gerere ut fratrem reliquorum, & in officio ut patrem. *Deut.* 17. 20. *Esai.* 22, 21.

Quæstio tertia. Quodnam sit officium subditorum erga magistratus?

XIII. R. 1. Debent pro ipsis singulariter orare, idque omni genere orationis, 1 *Tim.* 2. 1 *Ps.* 20. Debetur autem hoc officium, non tantum qua subditorũ bonum in ipsorum bono continetur: *Ier.* 29. 7. 1 *Tim.* 2, 3. sed etiam qua singularis honor Dei ex ipsorum potestate & administratione pendet. 1 *Petr.* 2. 17.

XIV. 2. Debent ipsis singularem venerationem. *Prov.* 24. 21. *Rom* 13. 7. Hujus autem fundamentum duplex est: Ordinatio, & imago Dei, quæ in ipsorum eminentia elucet. *Rom.* 13. 2. Benedictiones illæ quæ ad subditos derivantur per ipsos, tanquam per instrumenta Dei. *Psal.* 72.

XV. 3. Debent ex singulari reverentia cavere

ne temerarium judicium ferant de ipsorum administratione. *Exod.* 2.28. *Eccles.* 10 20. 2 *Petr.* 2.10. *Iud.* 8. Fundamentum hujus cautionis est 1. candor ille qui cum erga omnes debet adhiberi, tum singulariter erga superiores. 2. Difficultas explorandi fontes & causas negotiorum publicorum. 3. Moderatio illa, qua leves infirmitates & offensiones tolerare debemus, & communi tranquillitati condonare.

XVI. 4. Debent ipsis subjectionem, & obedientiam. *Rom.* 13. 2 5. *Tit.* 3. 1. Fundamentum hujus est. 1. supereminentia potestatis quam magistratus acceperunt ad directionem subditorum, quæ finem suum consequi non potest absque subditorum obedientia, *Rom.* 13. 1. 2. Bonum commune quod ex hoc ordine imperii & subjectionis emanat. *ibid.* v. 3.4. 3 Timor. 4. Conscientia erga Deum, *ibid. v.* 5.

XVII. 5. Debent ipsis officia præstare, & solvere tributa. *ibid. vers.* 6.7. Fundamentum est 1. cura debita boni communis. 2. Debitum gratitudinis, propter beneficia quæ ex publica administratione in omnes derivantur. 3. Debitum justitiæ propter operam publicam à Magistratibus navatam.

Quæstio quarta. An & quatenus leges humanæ obligent conscientiam?

XVIII. Resp. 1. Conscientiam propriè, directè, immediatè, & per se, nihil obligat præter legem divinam. R. 1. Quia conscientia vel anima non propriè subjicitur nisi Deo. 2. Quia regula conscientiæ est lex Dei in corde inscripta. *Rom.* 2.15. 3. Quia homines non possunt de conscientiâ judicare. 4. Quia non possunt spiritualem pœnam conscientiæ inferre.

XIX. 2. Leges tamen humanæ observandæ sunt propter conscientiam erga Deum. *Rom.* 13. 5. R. Quia lex Dei constituit hunc ordinem, ac potestatem, & subjectionem ac obedientiam eidem jubet præstari. *ibid.*

XX. 3. Quia autem lex Dei directe & immediate

te ſubjectionem imperat erga poteſtatem ſupereminentem, idcirco in omnibus legibus humanis, obligantur ſubditi, ne eiſdem ſeſe opponant ex contemptu authoritatis publicæ, aut quidquam admittant, quod tale quid cum ſcandalo præ ſe ferat. *ibid.* R. Quia poteſtatis contemptus, & aliorum offenſio, eſt per ſe peccatum adverſus legem Dei:

XXI. 4 Leges illæ humanæ quæ vel urgent, vel declarant legem divinam, vel directe faciunt ad ejus converſationem, obligant etiam in conſcientia. Reſp. Quia tales leges, quatenus ſunt tales, participant naturam & vim legis divinæ.

XXII. 5. Aliæ leges humanæ, quia poſſunt eſſe vel juſtæ, vel injuſtæ, vel partim juſtæ, & partim injuſtæ, idque ratione efficientis, materiæ, formæ, finis, & hujus aut illius ſubjecti, vel adjuncti, idcirco non ita ſimpliciter alligant, ut earum quælibet violatio culpam lethalem inducat. Si enim ſic eſſet, tum quot ſunt leges tot eſſent laquei animarum, & qui ſub legibus vivunt, pluribus multo peccatis eſſent obnoxii, quam qui in barbaris gentibus, vel abſque legibus, vel cum pauciſſimis tranſigunt vitam.

XXIII. 6. Legis hujus aut illius merè humanæ transgreſſio non eſt ſpeciale genus peccati, ſecundum legis materiam, prout eſt violatio legis divinæ; ſed eatenus tantum eſt peccatum, quatenus violat legem obedientiæ generalis ita ut omnes tranſgreſſiones talium legum ad unum genus pecnati referantur.

XXIV. 7. Obligatio legis non poteſt extendi ultra intentionem & mentem legiſlatoris, eamq; juſtam. Præſumendum autem eſt nullum hominem velle ſuos ſubditos ad lethalem reatum & damnationem obligare, propter quemlibet ſuæ voluntatis neglectum. Imo ſi in aliquo caſu magnum damnum, ſcandalum aut incommodum ex obſervatione quarundam legum ſequuturum eſſet, præſumitur non intendiſſe legiſlatorem, ut in illo caſu obſervaretur.

XXV. 8. Si intentio legiſlatoris eſſet injuſta, intentio tamen aut finis legis, ſi modo ſit legitima, ſemper eſt juſtum, æquum, & bonum commnne.

XXVI. 9. Intentio & obligatio legis non debet extendi ultra cauſam & rationem ejus; ita ut ratione, vel cauſa ceſſante, ceſſet etiam obligatio legis.

XXVII. 10. Obligatio legis ceſſat; quando vel per deſuetudinem, vel per contrariam conſuetudinem, ex tacito conſenſu, vel conniventia ſuperiorum, habetur pro abrogata. Conſentire autem cenſendi ſunt ſuperiores (ſaltem interpretative) in abrogationem legum ſuarum poſitivarum, quando parum & diu eas negligi ſciunt, & non reclamant.

XXVIII. 11. Multæ leges ſunt purè pœnales, ita ut ipſis planè ſatisfiat, ſi pœna ſolvatur. R. 1. Quia legis finis eſt deterrere homines à communi & frequenti uſu hujus aut illius rei; ad quem finem ſufficit conſtitutio pœnæ. 2. In talibus etiam legibus eſt tacita conſtitutio & pactum, de pœna ferenda ſi contra fiat. Contra leges autem conventionales, aut ſub conditione latas, venire quis poteſt abſque peccato. 3. De talibus, legibus, intelligentes homines nunquam faciunt ſcrupulum conſcientiæ, ſi abſit contemptus, ſcandalum, & notabile damnum. Tales ſunt leges de non venando, de non piſcando, de volucribus aut feris non capiendis, de non utendo aut illo genere veſtium, ciborum, &c.

XXIX. 12. Non obligat lex pœnalis ad pœnam ſuſtinendam, niſi poſt ſententiam judicis illud ipſum definientem, & maxima etiam ex parte, quum illá ſententia exequutioni mandatur. Obligat enim lex pœnalis ex ordine tantum ad pœnam patiendam, non ſponte ſolvendam, aut quærendam, quod eſſet ridiculum.

XXX. 13. In omni dubio, præſumendum eſt pro juſtitia & æquitate legis, & moderata ejus intentione, aut vi obligante.

## CAPUT XXVI.

### *De Æquitate legum Mosaicarum, quæ sunt appendices quinti præcepti.*

QUæstio prima. An æquum sit ut morte plectatur, qui percutit, aut maledicit parenti secundum legem. *Exod.* 21. 15. 17. *Lev.* 20. 9.

I. Resp. 1. Legis hujus æquitas moralis approbari videtur à Domino, sub novo Testamento. *Matth.* 15. 4. *Marc.* 7. 10.

II. 2. Parricidium est omnium peccatorum adversus homines maximè horrendum. Sed percutere, aut maledicere parenti, est gradus quidam parricidii.

III. 3. Peccata contra naturam, aut legem naturæ, sunt gravissima: quia lex magis inscripta cordi, plus habet legis in sese, propter pleniorem manifestationem & convictionem comitantem, qua major arguitur contumacia ejus à quo violatur. *Rom.* 1. 26, 27. 1 *Tim.* 5. 8. Æquum est igitur ut gravissima pœna contra illos decernatur, qui hujusmodi peccata non metuunt patrare.

IV. 4. Multa peccata in istis involvuntur. Nam. 1. Summum officium charitatis in suo primario objecto graviter violatur. 2. Summæ ingratitudinis crimen incurritur. 3. Inobedientiæ pessimæ professio clara perhibetur. 4. Reverentiæ omni palam renunciatur. 5. Imago Dei turpiter violatur.

V. 5. Multorum etiam aliorum scelerum semina in isthoc peccato continentur. Nam. 1. Domesticæ disciplinæ vinculis effractis janua patet omni licentiæ peccandi. 2. Dispositio & habitus istis moribus contrahitur contumaciæ & rebellionis adversus omnes superiores, & Deum ipsum. 3. Parentum amor, & cura liberis necessaria, extinguitur.

VI. 6. Gravi ac pœna in istud flagitium statuta, multa inde sequuntur bona. Nam 1 Liberi continentur in officio erga parentes. 2. Parentes redduntur diligentiores, & accuratiores in liberorum suorum educatione recta, ne ipsorum culpa tandem incidant in istam capitalem noxam. 4. Exercentur juvenes ad reverentiam erga superiores suos omnes, & erga Deum ipsum: nec non ad peccati naturam rite æstimandam.

Quæstio secunda. An æqua sit lex illa, *Deut*. 21. 18. de filio contumace morte efficiendo?

VII. R. 1. Æquitas hujus legis apparet ex caussis. Nam agitur 1. de filio qui commessationibus, & compotationibus familiam & statum parentum perturbat & perdit. *verſ*. 20. *Prov*. 19. 26. *&* 28. 7. 24. *&* 29. 3. In tali autem filio furti & latrocinii crimen invenitur cum singulari aggravatione respectu eorum adversus quos admittitur.

VIII. 2. Agitur de filio incorrigibili, *verſ*. 18. talis autem filius cum inobedientia pertinaci, desperationem sui conjunxit, ita ut nihil aliud possit de ipso exspectari, quam ut æque perniciosus futurus esset reip. ac fuit antea familiæ paternæ, si diutius in vivis maneret.

IX. 3. Agitur de filio, qui abalienavit à sese animum parentum, eosque reddidit sibi severos accusatores: *verſ*. 19. *Prov*. 19. 26. quod plerisque parentibus acerbius est morte, 2 *Sam*. 18. 32. *&* 19. 1.

X. Similis æquitas apparet ex conditionibus ab ista lege requisitis. Nam 1. Non in Magistratuum arbitrio ponitur exequutio hujus legis, immediate sed parentum indulgentia nimia, maxima ex parte, peccantium. 2. Parentibus non per modum mandati imperati, sed per modum potestatis concessæ, hæc lex ferri videtur. 3. Non omnibus parentibus hæc potestas datur, sed illis solis, qui officium suum fecerunt in privata filiorum institutione & castigatione. Aliis non permittitur publice conqueri de filiorum

rum dissolutione, quam sibimetipsis acceptam ferre debent, & incommoda inde sibi creata pro pœnis habere justa Dei dispensatione inflictis.

XI. 5. Apparet etiam ex eventu, legem istam fuisse non iniquam. Quamvis enim non possit dubitari, quin filiifamilias hac ratione magis in officio continebantur, nullum tamen exemplum in toto veteri Testamento exstat. alicujus filii, qui istam ob causam ad hunc modum, fuit morte multatus.

Quæstio tertia. An æqua sit lex illa, *Deut.* 17.12. de homine morte afficiendo qui non auscultat judici, aut Sacerdoti?

XII. R. 1. Æquitas legis illius facile apparebit, si observemus 1. non agi ibi de simplici inobedientia, sed de illa quæ petulantiam, arrogantiam, & seditionem habet conjunctam. 2. de inobedientia in illis rebus quæ ex lege Dei manifesto & clare determinantur. *vers.* 11. 3. de inobedientia eorum qui singulari fœdere spoponderant obedientiam.

XIII. 2. Quia tamen lex ista pendebat ex parte à peculiari statu illius populi, non potest in rigore ad omnes populos extendi.

## CAPUT XXVII.

### Præcept. 6.

### *De Mansuetudine, patientia, longanimitate, & placabilitate.*

QUæstio prima. Quænam sunt fundamenta harum virtutum?

I. R. 1. Mansuetudo illa erga Deum, qua compositis affectibus ejus verbum recipimus. *Iac.* 1. 21, 22. & ejus jugo nos subjicimus. *Matth.* 11. 30.

II. 2. Charitas erga fratres, qua omnia bona ipsis volumus, & miseret nos malorum ipsorum. *Gal.* 3. 22. 23. *Ephes.* 42. *Tit.* 3. 2.

III. Humilitas qua parati sumus fratribus nos subjicere in eorum bonum. *Ephes.* 4. 2. *Col.* 3. 12. 1. *Petr.* 5. 5. *Phil.* 2, 3.

Quæstio secunda. Quomodo discernendæ sunt istæ virtutes ab aliis dispositionibus quæ earum speciem & nomina induere solent?

IV. Resp. 1. Virtutes istæ alio & alio modo se habent, prout recta ratio suadet, & causa videtur postulare, *Gal.* 4. 20. *Jud.* 22. 23. Non est enim mansuetudo & patientia, sed stoliditas potius, quæ causas & rationes rerum non percipit, aut non rite perpendit.

V. 2. Virtutes istæ efficiunt quidem ut multa largiantur homines de suo jure, sed de jure Dei nihil volunt detractum. *Gal.* 4. 12. *&c.* Non est enim Christiana mansuetudo aut patientia, quæ non cum zelo opponit sese peccato, sed stupida lentitudo. 1 *Sam.* 12, 13.

VI. 3. Virtutes istæ sic afficiunt hominem, ut non impediant eum, sed juvent, & dirigant in emendatione quærenda fratris peccantis. *Gal.* 6. 1. Mollities enim est, non mansuetudo, quæ tanti facit quietem, ut negligat officii curam.

VII. 4. Istæ virtutes igitur quamvis nunquam pla-

plane debent abesse ab homine Christiano, aliquando tamen, quoad exercitium, debent intermitti. 1 *Cor.* 4. 21.

Quæstio tertia. Quibus argumentis excitatur animus ad studium harum virtutum?

VIII. Resp. 1. Si consideremus Dei erga nos mansuetudinem, patientiam & longanimitatem. *Eph.* 4. 32. *Col.* 3. 13.

IX. 2. Si consideremus nos ipsos, quales fuimus, *Tit.* 3. 3. & quales adhuc sumus. *Gal.* 6. 1.

X. 3. Si consideremus quomodo Deus gratiam suam dispensare potest ac solet. 2 *Tim.* 2. 25.

## CAPUT XXVIII.

### *De Lentitudine & Iracundia.*

Quæstio prima. Quale peccatum est lentitudo?

I. Resp. 1. Est peccatum ex defectu iræ, quo prætermittitur officium justitiæ, vel charitatis, ad quod quis tenetur, ut monere, corripere, punire peccatorem.

II. 2. Speciem quandam habet mansuetudinis: sed talem qualem audacia habet fortitudinis, & pertinacia constantiæ.

III. 3. Speciem etiam quandam habet longanimitatis, aut tarditatis ad iram. Sed hæc est differentia, quod longanimis tardus sit ad iram ex intelligentia, *Prov.* 14. 29. eaque non humana, sed cœlesti. *Jac.* 3. 17. sed lentitudo est vel ex naturæ tarditate, vel ex sapientia humana & carnali.

IV. 4 Propria igitur malitia lentitudinis, est omissio officii illius debiti, cujus est causa. 1 *Cor.* 5. cum 2 *Cor.* 7. 11.

Quæstio secunda. Quale est peccatum iracundiæ?

V. Resp. 1. Peccatum est in excessu iræ, qua modum debitum non observat.

VI. 2. Peccatum autem est primo, ratione cau-

sæ

sæ impellentis, quando sine legitima ratione ira concitatur. *Matth.* 5. 22.

VII. 3. Secundo, ratione gradus, aut mensuræ, etiam in causa justa. *Gen.* 49. 7.

VIII. 4. Ratione finis, quando non dirigitur ad Dei gloriam, & coërcitionem peccati, sed fit propriæ gloriæ, arrogantiæ, aut commodi causa. *Prov.* 13. 15. & 21. 24. & 28. 25.

IX. 5. Ratione effectorum directorum, ut quando prorumpit in execrationes, aut maledictiones. *Psal.* 106. 33.

X. 6. Ratione effectorum indirectorum, ut quando facit hominem animi impotentem. *Prov.* 16. 32. *Luc.* 21. 19. aut ineptum ad Dei justitiam exequendam, id est, illa præstanda, quæ Deus præscripsit & requirit.

XI. 7. Ratione adjunctæ durationis, quando justo tempore non sedatur. *Eph.* 4. 26.

## CAPUT XXIX.

### *De Concordia, & Benevolentia.*

QUæstio prima. Qua in re consistit concordia?

I. Resp. 1. Concordia laudabilis non est in malo, sed in bono. Alias enim si malum sit notum in quo fit conspiratio, est potius convecordia, quam concordia: si vero sit malum quod videtur aut apparet bonum, est concordia apparens tantum, non vera. *Phil.* 1. 27. & 2. 2. & 4. 2.

II. 2. Hinc vera concordia non est proprie nisi inter bonos: quia versatur circa bona, quæ à bonis tantum quæruntur. Unde etiam fit, quod solida nulla sit concordia inter improbos: quia objectum & fundamentum veræ concordiæ ipsis deest.

III. 3. Concordia est unio cordium aut voluntatum circa bonum appetendum. Quamvis igitur in multis conveniat cum pace, amplius tamen aliquid in sese continet. Pacem enim habere possumus cum im-

impiis, *Romanorum* 12. 18. ſed non concordiam.

IV. 4. Quia verò conjungi poſſunt voluntates hominum in bono, quamvis omni ex parte non habent ſenſus conſentientes circa illa, quæ pertinent ad bonum quod appetunt; idcirco diſſenſio opinionum circa illa; quæ minus ſunt neceſſaria, quamvis perfectionem concordiæ impediat, ipſi tamen concordiæ non repugnat. *Phil.* 3. 15, 16.

Quæſtio ſecunda. An concordia ſit virus diſtincta & neceſſaria?

V. R. 1. Concordia prout effectum unionis inter diverſos notat, non eſt virtus, ſed aliquid fluens ex virtute diverſorum. Sed ſtudium concordiæ eſt virtutis actus. Ipſa autem inclinatio ac diſpoſitio ad hoc ſtudium ratione tantum differt à charitate.

VI. 2. Neceſſarium eſt ſtudium concordiæ 1. ratione charitatis à qua fluit & quam fovet, promovet, & implet. 2. Ratione juſtitiæ, cujus impedimenta removet. 3. Ratione felicitatis tam communis quam privatæ, quæ unitis viribus concordium bonorum facilius procuratur.

Quæſtio tertia. Qua in re conſiſtit benevolentia?

VII. Reſp. Conſiſtit propriè in voluntate illa qua cupimus aliis bene eſſe. Sed 1. Vera & præcipua bona (qualia ſunt ſpiritualia) tam aliis quam nobis ſunt imprimis optanda, & reliqua prout inſerviunt illis. 3 *Johan.* 2.2. Bonum non eſt uni optandum, quod ullo modo cedit in malum aliorum. Opibus igitur aut potentia augeri illos, qui malum aliis moliuntur, & quorum bona ſunt mala, non eſt optandum.

CA-

## CAPUT XXX.

### *De Æquanimitate.*

QUæstio prima. Quid est æquanimitas?

I. Resp. 1. Æquanimitas est illa moderatio in conversatione cum hominibus, qua concordia, benevolentia & pax conservatur. *Phil.* 4. 5.

II. 2. Hæc moderatio consistit propriè in summi & rigidi juris relaxatione, prout ratio suadet omnibus circumstantiis ritè consideratis.

III. 3. Hæc autem relaxatio, ut virtutis naturam participet, debet moderatum tenorem observare inter duo extrema; ita ut neque nihil, neque tamen omnia sine discretione relaxet aut condonet.

IV. 4. Moderatio imprimis in sermone debet observari; ne tantum arrogemus nobis verbis, quantum in rigore est juris nostri. *Phil.* 18, 19.

V. 5. Observari debet etiam in factis; ut ne jure quidem illo nostro quod verbis defendimus, reipsa semper utamur. 1 *Cor.* 9. 15.

VI. 6. Similis moderatio observanda in aliorum infirmitatibus multis, quas sanare non possumus, placide tolerandis. *Rom.* 15. 1. 1 *Thess.* 5. 14.

VII. 7. Eadem æquanimitas exercenda est in aliorum dictis ac factis interpretandis; ut scilicet bona qualiacunque probemus; ambigua in meliorem partem, quoad fieri potest accipiamus, mala non nimis exaggeremus. 1 *Cor.* 13. 5.

VIII. 8. Exercenda est denique in injuriis manifestis (quando vel Dei gloria, vel publicum vel privatum hominum bonum inde potest exspectari) dissimulandis & condonandis. 1 *Cor.* 13. 7.

## CAPUT XXXI.

### *De Homicidio.*

QUæstio prima. Quid ſit homicidium?

I. Reſp. Per homicidium intelligitur illicita hominis occiſio, ad quam referri debet etiam mutilatio, tanquam occiſio inchoata & imperfecta. Hinc homicidii peccatum non admittitur ſi occidatur homo ex juſtitia. Ad iſtam autem juſtitiam ex ordine conditiones iſtæ requiruntur. 1. Ut cauſa ſit gravis ac juſta 2. Ut auctoritate publica fiat. 3. Ut ordine ac mediis juſtis fiat. 4. Ut fiat ex intentione recta, & juſtitiæ zelo, non ex ira, odio, vindictæ privatæ cupiditate, aut alia aliqua inordinata paſſione.

Quæſtio ſecunda. Quænam eſt juſta cauſa hominis occidendi?

II. Reſp. Illa ſola in conſcientia poteſt haberi pro juſta, quam Deus in lege ſua approbavit pro juſta, vel expreſſis verbis, vel per conſequentiam evidentem. Vita enim proximi non ſubjicitur arbitrio cujuſpiam, niſi illius qui author eſt & dominus vitæ. Hominum omnium eſt, obedire legi de non occidendo, nulla adhibita exceptione, quæ ab authore legis non eſt approbata.

Quæſtio tertia. Annon liceat aliquando occidere innocentem?

III. Reſp. Ex intentione & conſilio deſtinata hoc facere nullo caſu licet. Sed 1. licet aliquando tradere innocentem aliis à quibus occidatur. Ut ſi tyrannus devaſtaturus eſſet urbem, niſi illi tradatur innocens aliquis: ille innocens tenetur jure naturali pro totius reipub. ſalute, ſe morti offere: & reſp. poteſt eum neque retinere, neque defendere, ſed urgere eum, ut officium ſuum hac in parte præſtet. 2. Per accidens aliquando occidi poteſt innocens abſque peccato. Si nempe neceſ-

ſarium

ſarium officium requirat, ut nocens unus aut plures occidantur, & illi ſe defendant per innocentis alicujus interpoſitionem. Aut ſi quis fuga neceſſaria per iter anguſtum, conſulens vitæ ſuæ, non poſſit vitare, quin alterum protereret in via.

Quæſtio quarta. An aliquando liceat occidere hominem authoritate privata?

IV. R. 1. Aliquando licet occidere alterum, nulla publica cognitione præcedente: ſed tum ſolum quanda cauſa evidenter poſtulat, ut hoc fiat & authoritas publica non poteſt implorari. In iſthoc enim caſu, privatus quilibet publicæ miniſter conſtituitur tam nutu Dei, quam omnium hominnm conſenſu.

V. 2. Hinc non dubitatur, quin liceat aliquando occidere invaſorem aut aggreſſorem ſuum ad ſe defendendum.

VI. 3. Sed ut hoc ſit licitum, requiritur 1. ut aggreſſio ſit propriè dicta & violenta Vis n. ſola debet vi repelli, non quælibet injuria. 2. ut defenſio vera & propria ſit in ipſo actu aggreſſionis, moraliter ſaltem, ſi non phyſice, non autem præventio, aut inſequens vindicatio. Si enim invaſio ipſa poſſit declinari, nulla ratio patitur ut huc uſque deſcendatur. 3. Ut ſub ſpecie defenſionis nihil fiat, quod non eſt neceſſarium ad illum finem. Si enim excedat modum aut moderamen inculpatæ tutelæ, non eſt propriè defenſio, ſed invaſio oppoſita invaſioni.

VII. 4. Ad iſtam defenſionem, malè quibuſdam refertur defenſio & recuperatio honoris, ſive oppugnetur verbis & ſignis contumelioſis; ſive factis, ut alapa; ſive criminatione aliqua gravi; ſive provocatione ad pugnandum, & ſimilia. Nam 1. honor iſte de quo agitur magna ex parte eſt res vana, ex vanorum hominum opinione pendens nullo modo cum vita hominis comparanda. 2. Honor verus augetur potius quam minuitur iſtiuſmodi injuriarum contemtu. 3. Aliis mediis poteſt quilibet hono-

honorem ſuum tueri.4.Fama ſublata non poteſt recuperari per mortem detractoris. 5. Hac ratione cædibus vulgaribus aperitur via.

VIII. 5. Recte tamen refertur hæc defenſio ad caſtitatem tuendam: quia pudicitiæ invaſor vim & violentiam ſummam infert, cum injuria tam atroci, & tam irrevocabili, ut jure videatur morti adæquari.

IX. 6. Rectè etiam extenditur ad defenſionem non tantum noſtrûm, ſed & aliorum innocentium. Hoc enim poſtulat lex, ut proximum diligamus, ſicut nosipſos.

X. 7. Perſona invadens poteſt eſſe talis, & aliæ etiam circumſtantiæ, ut magis invaſum deceat mortem ipſam pati, quam defenſione tali propulſare.

Quæſtio ſexta. An licita ſit aliquando occiſio ſui ipſius?

XI. R. 1. Occidere ſemetipſum ex intentione directa eſt inter graviſſima homicidii peccata. Reſp. Quia ſic faciens 1. graviter peccat adverſus authoritatem Dei, qui ſolus eſt Dominus vitæ. 2. Adverſus bonitatem Dei, cujus tantum beneficium contemnit. 3. Adverſus providentiam Dei, cujus ordinem turbare conatur. 4. Adverſus charitatem, qua non minus tenetur ſe quam proximum in vita conſervare. 5. Adverſus juſtitiam, quæ non patitur quenquam remp. & alias ſocietates humanas, quarum pars eſt quiſque, membro aliquo ex arbitrio privato ſpoliare. 6. Adverſus communem naturæ inclinationem, atque adeo legem naturæ.

XII. 2. Non excuſat hoc peccatum, ſi fiat vel ad vitanda mala magna; vel ad magnum bonum conſequendum; vel ex vindicta propter peccata admiſſa. Nam neque eſt idoneus judex quiſquam ad tale quid de ſemetipſo ſtatuendum, neque facienda ſunt mala, ut eveniant bona, aut ne alia mala ſequantur. Fruſtra igitur excuſatur à quibuſdam factum Saulis, qui gladio incubuit, ne à Dei ſuiſque hoſtibus illuderetur. 1 *Sam.* 31.4. & ſimile factum Razis. 2 *Mach.* 8.4.

XIII.

XIII. 3. Licitum est tamen, & aliquando justum, ut quis patiatur se occidi; non prohibendo, cum possit sive sit ad justitiæ satisfaciendum; sive in defensionem fidei ac honoris Dei; sive in magnum bonum aliorum vel publicum, vel privatum. Hoc enim non est facere malum, sed tantum pati.

XIV. Licitum etiam aliquando est, exponere se tali periculo mortis, ex quo certo, sed indirectè, mors est secutura. Sic miles potest consistere, in statione, aut capessere jussum aliquod Imperatoris, ex quo novit se ista ratione interimendum. Sic Samson (ex singulari instinctu) directè intendebat Philistæos occidere, non semetipsum, quamvis præviderit suam mortem inde secuturam. *Jud.* 16. 30. Similis fere est ratio eorum, qui pulvere tormentario accendunt navem qua feruntur, ne perveniat in hostis possessionem. Non enim directè intendunt semetipsos occidere, sed hosti incommodare.

Quæstio septima. An occisio hominis casualis sit peccatum?

XV. R. 1. Casu dicitur fieri, quod fit præter scopum & intentionem facientis. Hoc autem duplici modo fit: vel enim est præter intentionem absolutè tam in se, quam in sua causa; vel in se tantum, sed non in causa. Si primo modo occisio hominis contingat, non est homicidium, nisi materialiter tantum: ac proinde non est peccatum: quia nullo modo est voluntarium. *Exod.* 21. 13. *Num.* 35. 22, 23. *Deut.* 19. 5.

XVI. 2. Secundo autem modo si fiat, est homicidii peccatum, gravius aut levius, prout magis aut minus fuit in sua causa voluntarium.

XVII. 3. In isto genere maximè peccat ille, qui dat operam rei illicitæ, ex qua immediatè sequitur alterius mors: ut si quis alterum injuste & graviter percuteret, sine intentione occidendi, & tamen mors ex illa percussione sequatur.

XVIII. 4. Proximus est gradus peccati ejus, qui

qui dat operam rei illicitæ, ex qua mediatè vel per aliud ſuppoſitum ſequitur occiſio alterius : ut qui fovet ſicarium, aut homicidam notum, quamvis non faciat cum intentione ut quenquam occidat.

XIX. 5. Graviter etiam in iſto genere peccat, qui dans operam rei licitæ, non adhibet debitam diligentiam ad homicidium cavendum ; ut quum explodit quis bombardam, projicit jaculum; aut ſagittam, craſſa negligentia inſuper habens, utrum obvius ſit aliquis, necne.

XX. 6. Quum autem diligentiam ſingularem tenentur quidam adhibere ex juſtitia, ad homicidia cavenda, illorum negligentia eſt cum maxima culpa conjuncta: ut ſi miniſtri juſtitiæ publicæ non faciant officium : in homicidiis & eorum cauſis, vel occaſionibus è medio tollendis.

XXI. 7. Neque illi tamen poſſunt excuſari, qui negligunt officium quod ex charitate tenentur præſtare : ut ſi quis non ſuccurrat alteri, quando poteſt, in periculo gravi.

## CAPUT XXXII.

### *De Duello.*

QUæſtio. An duellum ſit licitum ?

I. R. Per duellum in iſta quæſtione non eſt intelligenda quælibet ſingularis dimicatio aut monomachia vel pugna inter duos (ſic enim neceſſaria defenſio propriæ vitæ adverſus aggreſſorem in quæſtionem vocaretur) ſed illa tantum, quæ directè & ſponte ſuſcipitur, ex condicto vel conventione, cum periculo occiſionis vel mutilationis. Iſtiuſmodi autem duellum ſimpliciter eſt damnandum, tam in acceptante, quam in provocante, quamvis major ſit culpa provocantis.

II. Nulla in Scripturis exſtat approbatio hujuſmodi pugnæ: ita ut leges duelli (ſicut etiam potandi leges) non ſint à Deo ſcriptæ, ſed à diabolo tra-

traditæ in perniciem generis humani. Pugna Davidis adversus Goliath, præterquam quod ex authoritate publica, in bonum commune suscipiebatur, tanquam bellum partiale nihil simile habens duelli, inter privatos, sponte & ex condicto concepti, fuit etiam ex singulari motione Spiritus sancti; atque adeo ex ordine non imitandum.

III. Non est medium aptum, idoneum, & necessarium ad finem aliquem bonum. Non ad veritatis manifestationem, aut criminis purgationem: quia cum nulla sit promissio Dei, quod hoc modo testimonium velit præbere veritati, extraordinariam ejus providentiam tali modo consulere aut appellare nihil aliud est quam inventione diabolica, Deum tentare. Non ad defensionem honoris mundani: quia honor ille, qui hac ratione defendi potest, est vanus, & inter vanos homines obtinens, qui ex perverso abusu, & barbaro more, opinionem istam imbiberunt; quem si quis anteponit honori apud Deum, qui hujusmodi peccato amittitur: non est habendus pro Christiano. Non ad defensionem honoris Dei, ut si quis infidelem provocaret ad duellum, aut ab illo provocaretur ut ex eventu judicium fieret de fide: quia sic vel fidei veritas infallibilis ex medio fallaci suspenderetur, vel miraculum à Deo temere exspectaretur cum Dei tentatione. Non ad justam vindictam exequendam: quia neque conceditur vindicta privatis, neque in pari duellatorum conditione adest potentia quæ requiritur ad injuriam vindicandam.

IV. Duellum est bellum inter duos, quod non magis est licitum quam inter plures, atque adeo ejusdem est naturæ cum bello civili, quod sponte & ex condicto suspicere omnes haberent pro insania.

V. In duello, quisque judex est in sua propria causa, idque ira, furore & vindictæ appetitu turbatus, & semet una cum adversario eidem periculo subjicit, in causa levi & gravi.

CA-

## CAPUT XXXII.

### *De Bello.*

QUæstio prima. An bellum sit licitum Christianis?

I. Resp. Bellum est, quando per vim certatur. Quod vel privatim fit, de quo antea dictum fuit, vel publicè, de quo jam propriè quæritur.

II. 1. Bellum per se nudè & integrè consideratum, est in genere mali. Nam 1. ex altera saltem parte est malum culpæ, vel peccatum: quia nullum potest esse bellum ex utraque parte justum. 2. Ex utraque parte est malum pœnæ, propter incommoda plurima quæ secum infert. Unde etiam inter gravissima Dei flagella in Scripturis numeratur.

III. 2. Hinc, signum est hominis feri & barbari, si quis bello sit deditus, bellum simpliciter exoptans, eoque delectatur. *Psal.* 170.7.

IV. 3. Per se tamen & intrinsece, non semper est illicitum sed potest certis conditionibus honestari. Si enim sic esset illicitum, tum nunquam à Deo probatum fuisset sub veteri testamento, quod tamen à nemine potest negari.

V. 4. Johannes Baptista, tanquam præcursor Christi, in concione de Regno Dei, vel Baptismo resipiscentiæ in remissionem peccatorum, id est, de novo testamento, *Luc.* 3. 14. rogatus de officio militum non suadet ut abjiciant arma, sed ut recte iis utantur. Similis est ratio Centurionum, & militum ad Christum conversorum. *Luc.* 7 *Act.* 10. *Act.* 13.12.

VI. 5. Christus Dominus, *Matth.* 22. docet reddenda esse Cæsari, quæ sunt Cæsaris, inter quæ fuerunt vectigalia in stipendia militum, & belli sumptus: quos tamen suppeditare minime liceret, si bellum simpliciter esset illicitum.

VII. 6. Apostolus *Rom.* 13. testatur aperte, supereminentem potestatem gladium gerere, ut ministrum

nistrum Dei, atque adeo publicam potestatem gladii ipsi esse commissam.

VIII. 7. In Apocalypsi, multæ sunt prophetiæ de bellis à populo Dei gerendis, cum approbatione manifesta.

IX. 8. Supereminens potestas, jure naturæ, approbante Apostolo *Rom.* 13. habet potestatem injurias propulsandi, & sibi subditos ab eisdem vindicandi. Sed aliquando accidit, ut hoc fieri non possit, nisi bellum gerendo.

X. 9. Quæ contra objiciuntur ex *Matth.* 5. & similibus locis, non ostendunt omne bellum esse simpliciter illicitum. Nam 1. Nihil ibi præcipitur novi, quod non potest ostendi præceptum etiam in V. T. ubi tamen bellum approbatur. 2. Quæ ibi dicuntur, dicuntur privatis, quatenus affectibus & perturbationibus suis quoquo modo indulgent, non publicæ authoritati, à Deo constitutæ vindici ad iram ei qui malum fecerit. *Rom.* 13. 3. Prohibetur ibi odium inimicitiæ & vindictæ meræ, non justitiæ cura. 4. Hyperbolicæ quædam locutiones adhibentur, ut doceamur, quomodo animis præparati esse debemus, ad summam patientiam, ubi opus fuerit: & quod ad illam partem contendere debeamus, à qua per naturam maximè sumus aversi.

*a* Quæstio secunda. Quæ conditiones requirantur ad bellum licitum?

XI. R. 1. Requiritur causa justa: ne in illud crimen incurratur, quod toties in Psalmis cum detestatione memoratur: *persequuntur me sine causa.* Justa autem belli causa nonne est injuria quælibet levis aut parva, quoniam bellum multans homines gravissimis pœnis, est gravissima & atrocissima plaga, atque adeo non inferenda nisi pro injuria gravi & atroci, vel in sese, vel in eo quod inde consequitur. Neque gravis & atrox injuria justam causam

*a* Quæ requirantur ad bellum justum?

præbet

præbet belli, nisi post alia omnia media pacis tentata. *Deut.* 20. *Iud.* 20.

XX. 2. Requiritur secundo in loco authoritas justa. Talis autem authoritas quamvis quoad bellum defensivum reperiatur in qualibet rep. etiam imperfecta; quia omnes jure naturali habet authoritatem sese defendendi, aut vim vi repellendi; tamen quoad bellum aggressivum, non est nisi penes remp. perfectam, quæ non dependet ab alia superiore, nec recurrit ad illam, sed sibi ad omnia est sufficiens, & integra in omnibus quæ pertinent ad debitam gubernationem. R. Bellum enim aggressivum est supremus actus justitiæ vindicativæ. *Jer.* 39. 5. & 52. 9. qualis actus illi soli convenit qui est judex supremus, & non habet superiorem, ad quem recurrat, & per quem exigat debitam satisfactionem.

XXII 3. Requiritur tertio recta intentio. Recta autem intentio hæc non tantum in genere debet adesse, ut gloria Dei spectetur, (quæ est communis conditio omnis operis boni) sed etiam specialis illa, quæ intimè congruit justitiæ belli. i. e. ne ex affectu, odio, sed ex zelo justitiæ bellum geratur; ut bellum semper tendat ad æquam pacem & tranquillitatem, tanquam ad suum finem.

XIV. 4. Requiritur denique modus justus agendi. In quo tam generalis illa regula & observanda, ne quidquam fiat adversus legem Dei; quam specialis, ne quidquam inferatur aliis mali, quod non est accommodatum ac necessarium ad justum finem belli consequendum; neve receptum; jus gentium violetur.

*a* Quæstio tertia. Circa primam conditionem; quæritur quatenus constare debeat bellum gerentibus de justitia causæ?

XV. R. 1. Princeps vel author belli, & milites etiam superioris ordinis, qui admittuntur ad concilia belli, diligentissimè examinare tenentur, an causas habeant justi belli per se, & per alios prudētes & pios.

*a* De justitia causæ cognoscenda.

Q R. Qui

R. Qui enim bellum indicit, gerit vices judicis in re gravissima. Judex autem tenetur omnem diligentiam adhibere, in caussis examinandis, ad sententiam ex judicio recto ferendam. Non sufficit igitur ad justitiam belli, ut princeps credat se habere justam causam, sed oportet, ut ex cognitionis examine eandem habeat bene perspectam. Hinc etiam audiendæ semper sunt rationes adversariorum, si velint ex æquo & bono disceptare.

XVI. 2. Si post sufficientem examinationem, & deliberationem, justitia belli maneat adhuc plane dubia, sive altera pars sit in possessione, sive non, abstinendum est à bello: quia ille qui bellum gerit in causa dubia, 1. peccat in eo, quod non agat ex fide. 2. Temere exponit se & alios gravissimis periculis, tam peccandi, quam pœna ferendi. 3 Sententiam justitiæ vindicativæ fert & exequitur absque ulla causa manifesta.

XVII. 3. Milites inferioris ordinis, qui sunt subditi Principi bellum gerenti, quamvis in causa manifeste injusta non debeant ipsum juvare, si tamen post examen quod ab ipsis commode potest institui, causa non appareat injusta, possunt principi suo militare. R. 1. Quia milites tales neque tenentur, neque possunt accurate examinare causas belli, sed sunt exequutores tantum sententiæ alienæ, & instrumenta, quæ non tam moventur proprio consilio ac deliberatione, quam causæ principalis. 2. Quia in causa dubia tutior pars est sequenda: sed tutius est (ubi de nulla injustitia constat) sequi jussum principis, & consulere suæ ac suorum saluti, quam alienæ.

XVIII. 4. Milites tamen non subditi Principi bellum gerenti, non debent eum in bello juvare, si dubitent de justitia belli. R. Quia in dubiis tutior pars est eligenda; sed tales milites, quum sunt liberi, si in tali casu abstineant à bello, nemini faciunt injuriuam; si vero suscipiant tale bellum, tum & conscientiis suis vim faciunt, & exponunt se periculo gravi, aliis maximam injuriam faciendi. Hinc il-
los

los milites, qui animas habent venales, & parati sunt ad quodcunque bellum suscipiendum, unde major stipendia possunt expectare, sceleratam agere vitam, & nulla ratione posse excusari, patet.

*a* Quæstio quarta. Circa secundam conditionem quæritur, an principi Christiano sit licitum, in bello justo, vocare in auxilium milites infideles, aut auxilium ipsis ferre?

VIX. R. 1. Hoc per se, & absolute consideratum, non est illicitum. Ratio. Sicut enim licitum est in bello justo, uti auxilio bestiarum, ut elephantorum, equorum, &c. sic etiam licitum est uti auxilio hominum bestialium. Exemplum probatum habemus in Abrahamo, qui *Gen.* 14. arma sua conjunxit cum armis Regis Sodomorum.

XX. 2. Per accidens tamen hoc ita solet illicitum fieri, ut sine magna cautela non debeat tentari. 1. Quia præ se fert speciem quandam diffidentiæ, & inclinationis ad finem propositum per fas & nefas consequendum; nec non illicitæ, cum impiis conjunctionis. 2. Quia solent inde gravissima scandala oriri, tam inter Christianos, quam infideles. 3. Quia infideles non solent fidem datam servare; & sic eorum auxilia cedunt in malum.

XXI 3. Israëlitæ non tantum istas ob causas peccarunt, quando usi sunt auxilio infidelium, sed etiam quia singularem habuerunt protectionem Dei sibi promissam, neque potuerunt vinci, dum Deo adhærebant. 2. *Chron.* 16. 8, 9. *&* 19, 2. 20. 36.

XXII. 4. Fœdus talis amicitiæ, quo absolutè sine exceptione causæ, auxilia promittuntur mutua, ad quodlibet bellum ex occasione suscipiendum vix, aut ne vix quidem iniri potest cum Principe fideli, nedum infideli. Hoc enim esset exponere se periculo gravissimi peccati, & conscientiam ex arbitrio alterius suspensam habere.

Quæstio quinta. Circa tertiam conditionem, quæritur, quale sit peccatum, sinistra intentio bel-

*a* De auxiliis infidelium.

lum gerentis, ut odium invidia, ſtudium honoris, divitiarum, &c.

XXII. R. 1. Intentio prava ſemper vitiat actionem quemlibet moralem: quia finis qui intenditur, & movet voluntatem ad agendum, maximam vim habet in ipſa actione elicienda. In bello autem gerendo, eo gravius peccatur ex intentione prava, quo ægrius eligi debet bellum, nec niſi ex cauſa graviſſima & neceſſaria, etiam ex intentione bona, propter atrocem ejus naturam.

XXIV. 2. Opus tamen ipſum (quatenus ab actione differt) intentione bona vel prava non mutatur: quia intentio eſt cauſa tantum affectionis, non eſſentiæ rei; pertinet ad modum faciendi; non ad modum rei factæ, quæ natura ſua interna poteſt ac debet ſemper æſtimari.

XXV. 3. Hinc in bello quod ſuſcipitnr ex cauſa & authoritate juſta, non eſt illicitum uti opera eorum, qui ex intentione prava, odio, vi, aut ambitione, vel cupiditate prædæ militabunt.

XXVI. 4 Hinc etiam intentio ſiniſtra in bello alias juſto, quamvis peccatum ſit, non tamen infert obligationem alicujus reſtitutionis: quia non eſt peccatum contra juſtitiam in re ipſa. Sicut enim judex qui ex odio reum aliquem afficit pœna quam meretur; quamvis peccet, non tamen debet iſti reſtitutionem, ſic etiam bellum juſtum ex odio gerens.

XXVII. 5. In bello injuſto intentio prava auget & aggravat injuſtitiam ejus. Quum enim injuſtitia cauſæ minuitnr & quaſi excuſatur aliquando per ignorantiam invincibilem, intentio prava facit, ut ignorantia talis non habeat vim cauſæ excuſantis.

XXVIII. 6. Intentio non tantum per ſe mala, ſed etiam levis, & vana, ut virium oſtentatio & ſimilia, non debent quemquam impellere ad bellum gerendum: quia pugnat cum recta ratione, eligere atrox medium, & periculi plenum, ad finem vanum conſequendum.

XXIX. 7. Intentio licita, ut militiæ exercitatio, & expe-

experientiæ comparatio, aut mercedis exspectatio, etiam in bello justo, si principalius movent animum, quàm jus ipsum, actionem totam non possunt non vitiare.

Q. sexta. Circa quartam conditionem, quæritur 1. Quinam jure possint lædi in bello, & quatenus?

XXX. R. 1. Bellum justũ proprie & directe geritur adversus nocentes & reos; id est, adversus illos qui sunt in causa & culpa propter quam bellum geritur. Illi igitur soli directe & ex proposito debent puniri, secundum rationem justitiæ vindicativæ. Nam sine culpa præcedente, non potest pœna justa cuiquã infligi. Graviter igitur peccasse videntur Israëlitæ, interficiendo filios Benjamin sine electu, *Iud.* 20.

XXXI. 2. Inter nocẽtes non possunt numerari infantes, neque ex ordine fœminæ, neque pacifici illi, qui dissentientes coguntur inter hostes manere.

XXXII. 3. Nocentes ipsi non sunt lædendi, nisi quatenus necessarius est ad justum finem belli consequendum, id est, vel ad obtinendam justam compensationem rei ablatæ, vel ad injuriam vindicandam, vel ad pacem stabiliendam.

XXXIII 4. Innocentes præter intentionem & per accidens possunt lædi, ut in justa expugnatione civitatis, aut navis, in qua sunt varii innocentes, & in expoliatione bonorum, quibus hostis aliquo modo ad bellum armatur: quia ex tali conjunctione, innocentes illi habentur pro parte noscentum, & injuria quæ ipsis infertur, provenit proprie à nocentibus illis, in quorum sunt potestate, à quibus etiam restitutio ipsis debetur. Sed charitas tamen & æquitas postulat, ut bellum exerceatur cum innocentium damno quam minimo fieri possit.

XXXIV. 5. Hinc non potest regulariter deffendi, ut ulla civitas militibus detur in prædam pro ipsorum libitu diripienda: quia inter plurima alia horrenda quæ inde sequũtur, in tali direptione, nullum omnino discrimen statuitur inter nocentes & innocentes.

XXXV. 6. Hinc etiam, non tam bellum justum,

 quam

quam latrocinium est, quo intenditur oppressio innoxiorum agricolarum & similium; quale est bellũ hodiernum Ferdinandi Imperatoris in Germania.

Quæstio septima. In quibus possint hostes lædi?

XXX. Resp. In eis quæ pertinent vel ad pœnam justam, vel securitatem necessariam: ut in privatione vitæ, bonorum externorum & libertatis. In quibus tamen moderamen illud est adhibendum, quod justitiæ debitum, & securitatis necessitas suadet. Sed in pudicitia & similibus, nulla vis inferri, aut permitti potest, absque gravi peccato. Talia enim neque ad justitiam pertinent, neque ad securitatem, neque potest in illis peccatum agentis, à pœna patientis separari.

Quæstio octava a An licitum sit uti insidiis, & stratagematis in bello justo?

XXXVII. Resp. 1. Insidias & stratagemata militaria Deus ipse justitiæ author in populo suo approbavit mandato, *Jos.* 8. 2. & exemplis multis: Ut *Iud.* 7. 16. *&c.* & 20. 29. *&c.*

XXXVIII. 2. Sed stratagematis licitis non sunt annumeranda mendacia: quia fidem vel illicite dare vel licite datam non servare, semper est injustum.

XXXIX. 3. In stratagematis tamen licitum est, non tantum consilia & proposita occultare, sed etiam signis aut factis quibusdam præ te ferre intentionem hanc aut illam quam non habes. Quamvis enim directà significare verbis quod falsum est, mendacium sit improbandum; gestibus tamen aut factis quibusdam tale quid indirecte significare, i.e. illud facere, ex quo verisimile est alium conclusurum quod falsum est, hoc non est mentiri: quia facta illa quæ neque ex natura sua, neque ex instituto, vel pacto certo, significant hanc aut illam sententiam, non sunt ejusdem naturæ cum sermone, atque adeo non habent rationem mendacii, quamvis in significatione falsa à spectantibus accipiantur, & illud etiam prævideantur, quæraturque.

a De stratagematis bellicis.

CA-

## CAPUT XXXIV.

### *De Æquitate legum quarundam Mosaicarum ad sextum praeceptum pertinentium.*

QUæstio prima. Quid juris fuerit in illo, quod arrogans sibi occidere proximum, morte plectendus fuerit? *Exod.* 21. 14.

I. Resp. Sensus est, idemque æquissimus, ut ipsa voluntas occidendi, sive machinatio mortis alterius morte puniatur.

II Hoc autem intelligendum est, non de quacunque voluntate, quamvis verbis forsan manifestata; sed de voluntate ita prolata, ut homicidium sit in fieri, i. e. inceperit progredi in actum, ita ut quantum in volente fuerit, mors alterius consequeretur.

III. Hujusmodi voluntas pro facto debet puniri: quia talis homo fecit quod in ipso fuit ad occidendum; & sic occidit activè, quamvis passio destinata non sit inde secuta. Sic qui sciens volens operam dedit, ut innocens condemnaretur, plectendus est ut homicida. *Deut.* 19. 19.

IV. Similis est ratio illius qui vel telo, vel veneno, vel simili aliqua ratione conatus est hominem necare, & illius etiam cujus dolo malo incendium factum est. In istiusmodi casibus, non tam factum, quam animus; non tam exitus, quam voluntas & consilium spectatur.

Quæstio secunda. Quid juris sit in illa lege, de servi morte, aut læsione, minus quam liberi vindicanda? *Exod.* 21. 21. 26.

V. R. 1. Aliqua differentia inter servos & liberos, quoad percussionem, ex eo promanat, quod servi vel mancipia, ex sua conditione obnoxii sint verberibus & plagis, & corpore luere cogantur quod peccarunt: *Luc.* 12. 47, 48. liberorum autem & ingenuorum conditio liberos ipsos præstat ab hujusmodi vi.

VI. 2. Servus tamen non est Dominò suo subjectus quoad vitam, sed tantum quoad operā, & illa quæ eo faciunt. Solus enim Deus, qui dat vitam, est Domi-

nus ejus: nec poteſt quiſquam eam juſte auferre: niſi Deus, vel gerens auctoritatem Dei, ut Judex.

VII. 3. Non excuſatur igitur Dñs, ſed ſi ſervum percuſſerit telo vel inſtrumento occidendi, ſed ſi fecerit hoc *virga*, vel inſtrumento caſtigandi. *Exo* 21. 20.

VIII. 4. Qui percutit ſervum ſuum virga, non præſumitur hoc feciſſe voluntate occidendi, niſi tanta violentia & crudelitas exerceatur, ut ſub manu ipſius, vel incontinenti, & ſtatim ex plaga moriatur.

IX. 5. Ratio illa, quæ redditur, *Exod.* 21. 1. *Nam pecunia ejus eſt*, non liberat Dñm in foro conſcientiæ, quaſi pecunia ſua necis jus in ſervum acquiſierit: neque etiam in foro externo, niſi quatenus præſumitur, eum non occidere voluiſſe quem emerat, ſed tantum caſtigare, & pœnam aliquo modo cõgruam dediſſe, in eo quod perdiderit pretium emptionis.

Quæſtio tertia. Qualis ſit æquitas legis illius de beſtia hominem occidente? *Exod.* 21. 28. *&c.*

X. R. Animalia rationis expertia propter occaſionem hominis perimi jubebantur, non quia culpam contraxerant, (cujus proprie non ſunt capacia) ſed 1. Ut eorum Domini in ipſis punirentur, quia illa animalia non ſatis diligenter curaverant ac cuſtodierant. 2. Ut vita humana omnibus hoc pacto commendaretur, & res eidem adverſantes eſſent deteſtationi. 3 Ut homines beſtiales morte beſtiæ ab homicidiis magis deterrerentur.

Quæſt. quarta. Quæ æquitas fuit in lege de beſtiis quibuſdam ab homine non occidendis, *Deut.* 22 6.

XI. R. Prohibentur hujus generis varia, non quia ſunt homicidia, aut contra juſtitiam proprie dictam peccata: ſed 1. Quia in talibus apparet, exercetur, & augetur feritas & ſævitia quorundam ingeniorum, à qua proveniunt homicidia. *Prov.* 12. 10. 2 Quia hujuſmodi rudimentis inſtituuntur homines à crudelitate abhorrere. 3. Quia Deus vult ſuos exercere ut quam longiſſime recedant ab hujuſmodi peccatis, & vel à ſpecie eorum abhorrere: Iſtiuſmodi enim cautionibus, quaſi ſepimentis, voluit Deus

legem

legem suam circumvallari, ad arcendos homines à gravioribus peccatis. Quemadmodum autem septum & maceries qua prædium circum munitur cum ipso prædio in unũ coalescit; sic hujusmodi appendices mandatorum cum ipsis mãdatis cohærẽt. Similis est ratio illius legis de hœdo in matris lacte non coquendo. *Exo.* 23. 19. *&* 34. 26. *Deut* 14 22. *&c.*

Q. 5. Quid juris est de sanguine non comedendo. *Lev.* 7. 27. *&* 17. 10. *&* 16. 26. *Deut.* 42. 19. 23.

XII. R. Hæc lex partim spectat ad crudelitatis detestationem augendam; quo nomine conjungitur cum homicidii severa prohibitione. *Gen.* 9. 4. 5. & partim ad religiosam vel typicam observationẽ; quo nomine conjungitur cum lege sacrificandi, *Lev.* 17. 10. 11.

Quæstio sexta. Qualis sunt æquitas asylorum vel urbium refugii in lege constitutarum. *Exod.* 21. 13. *Num.* 35. 22. *Deut.* 19. 4.

XIII. R. 1. Non proprie fuerunt loca exilii, sed refugii. Exilium enim est pœna: sed refugium tendit ad immunitatem à pœna. Neq; revera legitur quidquam in lege, de exilii pœna constitutum, sed tantũ de pœna mortis, mulctæ, verberum, & servitutis.

XIV. 2. Refugium hoc fuit iis tantum paratum, qui homicidiũ patraverant prorsus involuntariũ: quod instrumẽto, ac modo describitur, *Num.* 35. & exemplo illustratur. *Deut.* 19. Voluntariis autẽ homicidiis hujusmodi refugii beneficium severè negatur. *Exod.* 21. 13. cujus rei exemplum habemus. 1 *Reg.* 1. *&* 2.

XV. 3. Refugium hoc paratum fuit innocentibus adversus inconsultum impetum propinquorum occisi, non adversus Magistratus jurisdictionem.

XVI. 4. Refugii loca ordinaria fuerunt urbes quædam Levitarum. Non tantum ut reverentia Levitarum tutius agerent infelices profugi, sed etiam ut eorum consuetudine, exemplis, ac consiliis, tam ad sortem suam sancte ferendam, quam ad alias officii sui partes instituerentur.

XVII. 5. Extraordinaria perfugii loca fuerunt templum & altare Dei. *Exod.* 21. 14. quia reverentia

Dei conspectu loci illius excitata violentiam hominum reprimebat.

XVIII. 6. In ordinariis locis perfugii manendum fuit homicidæ ad tempus, ut ita interim, dolor, & perturbatio propinquorum occisi possit commode deponi. Tempus autem illud ex summi sacerdotis vita suspendebatur, partim ut Dei nutu restitueretur; & partim ut opportuna occasio reconciliationis captaretur ex lætitia successionis illius novæ.

XIX. 7. Si ante illud tempus deprehendebatur homicida extra urbem refugii, permittebatur hoc ægritudini propinquorū, ut ab aliis impune occideretur.

XX. 8. Æquitas horum fuit. 1. Homicidas non nisi causa cognita esse ulciscendos. 2. Subveniendum esse eis, qui contra vel præter intentionem suam aliquid mali fecerunt. 3. Rationem habendam esse naturalis hominum doloris. 4. Reverentiam singularem deberi locis sacris: sed non propter illa concedendam esse ullam impunitatem hominibus sceleratis.

## CAPUT XXXV.

### Præceptum. 7.

### *De Conjugio.*

QUæstio prima. Uter status sit præstantior, conjugium, an cælibatus?

I. R. 1. Si simpliciter & per se considerentur, nulla virtus aut vitium, vel opus moraliter bonū aut malum, in alterutro continetur, quia sunt naturales vivendi formæ, quarum neutra vel præcipitur, vel prohibetur, 1 *Cor.* 7. 25. Quum igitur neuter status est moraliter bonus, sed indifferens, de neutro proprie potest affirmari quod sit altero moraliter melior.

II. 2. Quia vero ex eis quæ mediæ sunt naturæ, neq; bona, neque mala, alia magis, alia minus conferunt & conducunt ad virtutem & opera bona (ut scientia plus adfert adjumenti ad pietatem quam vires corporis, aut opes) idcirco pro momento quod habent ad istum finem, sunt assumenda aut repudianda. Et secundum istam rationem intelligenda est quæ-

quæstio hæc de comparatione conjugii & cælibatus.

III. 3. In hac autem comparatione, si res ipsæ spectentur absolute, conjugii status videtur præstantior. 1. Quia in principio institutus fuit à Deo ad hominis conditionem meliorem faciendam. *Gen.* 2. 18.. 2. Quia post lapsum, illum finem ac usum habet, ut directe faciat ad tentationes & peccata vitanda. 1 *Cor.* 7. 2. 5. 9. & illa ratione ad virtutem conservandam ac promovendam.

IV. 4. Si tamen comparatio instituatur quoad hanc aut illam personam, tum judicium ferendū est partim ex dono quod habet, 1 *Cor.* 7. 7. & partim ex circumstantiis, quas Paulus cōplectitur nomine *instantis necessitatis*, *v.* 26. Et secundum istam considerationem, si quis donum aut potestatē habeat, & ex concurrentibus aliis cōditionibus videat, se magis commode, decenter & apte posse Domino servire in cælibatu, melius est ut ita maneat. *v.* 35. Si quis autem diligēti examine præcedente videat, se non posse vel tam sanctæ vel tam cōmode officio suos defungi in cælibatu, ac in cōjugio, ipsi melior est cōjugii status.

V. 5. Apostolicæ regulæ summa huc redit, ut qui non potest temperantia, diligenti cautione, ac oratione, vitare ustionem (id est, ardorem illum concupiscentiæ, qui conscientiæ tranquillitatem turbat) eligat conjugium: quandiu vero quis potest eis mediis ustionem vitare, cæteris paribus, præsertim in tempore persequutionis, aut similis necessitatis, eligat cælibatum.

Q. 2. *a* An, & qua ratione illicita sit polygamia?

VI. Resp. 1. Polygamia est peccatum contra primam conjugii institutionem & legem, *Gen.* 2. Nam 1. Unum virum & unam mulierem fecit & conjunxit Deus: ita, ut quicquid supra accedit, sit monstrosum, *Malach.* 2. 15. 2. Edicto sancivit, ut *duo*, non tres aut plures essent una caro: & ut vir adhæreret *uxori suæ*, non uxoribus. *Matth.* 19. 5.

VII. 2. Est etiam peccatum contra legem naturæ, & rationem rectam. Nam 1. est contra illud quod ho-

*a* De Polygamia.

homini inditum est in prima institutione humanæ naturæ. 2. Est contra naturam amoris conjugalis, qui ita proprius est & singularis, ut tertiam personam non possit admittere ad ejusdem rei communionem: sicut experientia docet in zelotypia conjugali.

VIII. 3. Est contra naturam contractus matrimonialis, quo fit ut conjux non habeat in potestate sua: 1 *Cor*. 7. 4. Unde etiam est quod injustitiæ & perfidiæ reus peragatur, qui alteri sese jungit. *Mal*. 2. 14, 15.

IX. 4. Est contra unitam illam prolis curam, quam conjugii finis requirit.

X. 5. Est contra perfectionem illam quæ in brutis quibusdam animalibus reperitur. Nam volucres inveniuntur variæ, quæ ex naturæ instinctu, conjunctionem servant unius ad unum: & ratio dictat, majorem requiri continentiam & ordinationem in homine, quam in volucre quacunque.

XI. 6. Est contra principium illud naturale: quod tibi fieri non vis, id alteri ne feceris.

XII. 7. Tollit pacem familiæ: sicut experientia docet, *Gen*. 4. 23. & 30. 1 *Sam*. 1. 6. *Lev*. 18. 18.

XIII. 8. Patres illi veteres, qui plures ducebant uxores, non possunt à peccato excusari, nisi habuerint singularem dispensationem. Quia autem de tali dispensatione nihil nobis constat ex Scriptura, idcirco non possumus aliud pro certo affirmare, quam Deum talia quædam in ipsis tolerasse, & in bonum convertisse.

Quæstio tertia. An & quatenus conjunctio nimia sit conjugii impedimentum?

XIV. R. 1. Conjunctio illa quæ contrahitur per carnalem propagationẽ ex eodem stipite propinquo, ut dicitur cōsanguinitas, est natutale matrimonii impedimentum. 1. Quia consanguinei tales sunt ab initio quasi una caro, atq; adeo minus idonei ut per cōtractum novum fiant una, ex non una; quæ est conjugii natura. 2. Quia natura docet, parentibus & proximis consanguineis peculiarem verecundiam ac reverentiam deberi, cui repugnat usus conditionis conjugalis, de quo homines à natura verecundantur. 3. Quia ne-

necessitudinis & amicitiæ dilatio (qui unus est ex fructibus conjugii) in conjugio consanguineorum periret. 4. Quia familiaritas & consuetudo consanguineorum multis incommodis præberet occasionem, si jus haberent matrimonii contrahendi.

XV. 2. Cognatio spiritualis, quæ à Pontificiis contrahi fingitur in susceptione Baptismi & confirmationis; & legalis, quæ insurgere fingitur ex adoptione, seu arrogatione, qua quis alienum filium recipit in suum, nullam vim habet conjugii impediendi, vel ex verbo Dei, vel ex lege naturæ.

XVI. 3. Gradus consanguinitatis & affinitatis, intra quos generaliter illicitum est contrahere matrimonium, non possunt tuto ad conscientiam dirigendam definiri, nisi ex lege Dei tradita per Mosen. *Lev.*18. qua lex naturæ explicatur.

XVII. 4. Illis gradibus annumerari debent personæ in lege non expressæ, si eandem habeant rationem propinquitatis cum eis, quæ nominatim prohibentur. Ut quia in lege prohibetur conjugium nepotis cum amita, vel matertera; sequitur etiam prohiberi conjugium patrui vel avunculi, cum nepote ex fratre, vel sorore.

XVIII. 5. Illis etiam personis, quæ videntur eandem rationem habere, quamvis non habeant, tutius est abstinere, honestatis causa, & ad speciem mali vitandam. Talis est ratio consobrinorum.

XIX. 6. Gradus isti generaliter prohibiti, admittere possunt in casu necessitatis, tales exceptiones, quales in Scriptura probantur.

XX. 7. Præter gradus jure divino prohibitos, potest Magistratus civilis interdicere contractu matrimoniali quibusdam personis ob rationes civiles. Sic recte in quibusdam locis cavetur ne curator contrahat cum pupilla.

Quæstio quarta. Quis & qualis consensus requiratur ad matrimonium justum?

XXI. R. 1. Mutuus consensus partium necessario requiritur ad essentiam status conjugalis. R. quia in matrimonio mutua fit traditio corporum, vel pote-

statis

ſtatis ac juris in corpora mutua: nulla autem fit legitima traditio ullius rei quæ alterius erat, ſine ejus conſenſu, ſicut in omnibus contractibus patet. Hinc eſt quod conſenſus iſte ſit proxima efficiens cauſa conjunctionis maritalis; ita ut nulla poteſtas humana poſſit jungere aliquos matrimonio, ſine ipſorum conſenſu.

XXII. 2. Conſenſus iſte debet ita per ſigna externa declarari, ut ex is manifeſtè appareat (quatenus moraliter judicare quis poteſt) conſenſus internus. Quamvis autē ex ordine talia ſigna non ſint niſi verba ſenſum mentis exprimentia, alia tamen ſigna verbis æquipollent, ſi conſenſum faciant indubitatum.

XXIII. 3. Conſenſus utriuſque ſimul debet eſſe: ſicut in aliis contractibus. Non tamen neceſſarium eſt ut conſenſus utriuſque ſimul tempore præſtetur; ſed ſatis eſt, ſi una pars prius conſenſerit, eumque conſenſum virtualiter cenſeatur continuare. Tum enim moraliter ſimul dicuntur conſentire.

XXIV. 4. Conſenſus iſte debet eſſe voluntarius ac liber: alias non cenſetur conſenſus humanus.

XXV. 5. Hinc conſenſus eorum qui non habent uſum rationis, nihil valet ad iſtum contractum.

XXVI. 6. Conſenſus coactus, qui extorquetur metu gravi ac violento, in illum finem incuſſo, irritum reddit contractum, niſi ſubſequente conſenſu libero innovetur, aut validetur. Metus autem qui reſpectu quorundam eſſet levis, reſpectu infirmiorum quorundam habendus eſt pro gravi. Metus etiam gravis ſi non ſit violentus, ſed reverentialis, i. e. qui tantum ex reverentia erga parentes procedit, conſenſum non infringit: quia talis metus non extorquet, ſed ſuaviter elicit & inducit conſenſum.

XXVII. 7. Conſenſus ille qui ita procedit ex errore, ut error ille det cauſam conſenſui, (ſive ſit error perſonæ, qualis fuit Jacobi circa Leam, *Gen*. 29. ſive conditionis aut qualitatis ad eſſentiam conjugii pertinentis, qualis eſt error de quo agitur, *Deut*. 22. 20. & Joſephus de beata virgine ſuſpicabatur,

*Matth*.

*Math.* 1.18.) talis consensus habendus est pro nullo.

XXVIII. 8. Si vero error sit tantum circa conditionem, aut qualitatem extrinsecam vel accidentariam quæ essentiam ipsam conjugii non attingit, tum conjugium non magis videtur irritari, quam Israëlitarum juramentum Gibeonitis præstitum ex errore. *Jos.* 9.

XXIX. 9. Requiritur insuper consensus parentũ, & eorum vices gerentium in quorũ potestate sunt partes contrahentes. Quod autem iste consensus parentum sit de honestate matrimonii, nemo potest dubitare: sed eundẽ exigi de necessitate, non negant tantum Pontificii, sed & anathemate damnant hoc affirmantes. *Concil. Trid. sess.* 24. At vero si regulariter & civiliter intelligatur quæstio, ita ut parentũ nomine intelligantur pater ac mater, sed præcipue pater, (in tutoribus enim & etiam in matre per se, patria potestas imminuta tantũ manet) & eorũ consensus vel dissensus si ab omni injuria remotus, justisq; causis nitatur: pars affirmativa tam verbo Dei quam rationi magis consentanea videtur, propter has rationes.

XXX. 10. Patri hoc perpetuo tribuitur in Scriptura, ut sit causa efficiens matrimonii suorum liberorum, *Deut* 7.3. *Jer.* 29.6. *&c.*

XXXI. 11. Exempla in Scriptura maxime probata, hoc semper habent, ut principium contractus matrimonialis sit à parentum consensu, *Gen.* 24. 3, 4. *&* 28. 1, 2. *&* 29. 19. *&c.*

XXXII. 12. Post consensum partium, in arbitrio patris relinquitur, utrum dare velit filiam suam illi cum quo rem habuit, necne. *Exod.* 22. 16, 17.

XXXIII. 13. Neque satisfacit hic Bellarminus, allegando, *non agi eo in loco de matrimonio jam contracto, sed de futuro, causa stupri præcedentis, in pœnam injuncto.* Absolutè enim docetur, patris dissensionem justum esse conjugii impedimentum, quicquid vir & puella, inter se, vel antea pacti fuerant, vel postea essent pacturi. Votum liberorum Deo factum (quod sæpe minus interest patrum, quam liberorum conjugium,

gium, & sua natura strictissimam habet obligationem) non est ratum, nisi ex patris vel explicito, vel saltem implicito consensu. *Num.* 30. 4, 5.

XXXIV. 14. Merum effugium est (quod Bellarm. hic objicit) *legem illam de filiabus agere quæ nondum pervenerunt ad pubertatem*. In genere enim agit de omni filia quæ est in domo, vel potestate patris, de omni filia non nupta, nec vidua, nec repudiata. *v* 6.

XXXV. 15. Filius non potest quidquam patris alienare, vel alteri donare, patre invito: ergo nec semetipsum: quia filius est aliquid patris.

XXXVI. 16. Leges civiles, ex principiis juris naturalis, cavent ne nuptiæ filiorum ratæ sint sine consensu parentum, & istas leges (hac in parte) Ecclesia primitiva tam doctrina quam praxi sua approbavit. Pœna enim hujusmodi matrimonio constituta fuit, ut neque vir, neque uxor, neque nuptiæ, neque dos intelligatur; & qui liberi nascentur, inter spurios numerentur. *Instit. de nupt.* §. *penult. l.* 2. *d. tit. de nupt. l. dotis* 68. *de jure dot.*

## CAPUT XXXVI.

### *De Solennitatibus Matrimonii.*

QUæstio prima. Quid juris sit de sponsalibus?

I. R. 1. Sponsalia (prout à matrimonio distinguuntur) sunt legitima promissio mutua futuri matrimonii signo sensibili expressa. Distinguuntur sæpe à matrimonio (quoad forum externum) differentia illa temporis, quam verba prolata rectè intelligentibus communiter generare solent. Si enim verba important consensum de contractu præsenti, constituunt matrimonium; si vero de futuro tantum, tum constituunt sponsalia.

II. 2. Quamvis istiusmodi sponsalia nō sunt absolutè necessaria (quia contractus omnis qui potest legitime in futurū promitti, potest etiā eodem tempore perfici in præsenti) sunt tamen ex ordine de matrimonii honestate. 1. Quia sic per justos gradus proceditur (sicut in re gravi decet) à principio ad finem.

2. Quia

2. Quia sic actus totus magis liberatur à suspicione temeritatis, & gravis ac deliberatus apparet. 3. Quia præparantur hac ratione & disponuntur animi sponsorum ad illos affectus qui matrimonium decent.

III. 3. Quamvis sponsalia legitima & nota in eo conveniant cum matrimonio ut eorum injusta violatio eodem loco habenda sit cum matrimonii violatione, *Deut*.22.23,24. Multis tamen ex causis solvi possunt sponsalia, quibus matrimonium non potest. Ut 1. si sponsalibus apposita est conditio aliqua honesta quæ non impletur. 2. Si designatum est certum tempus pro futuro matrimonio, & tunc una pars deest, altera pars videtur (quasi conditione non impleta) promissione sua absolvi. 3. Si aliquid superveniat post sponsalia, quod, si antea extitisset, impedivisset sponsalia, & rationabiliter mutat animum alterius partis. 4. Si pars utraque solvit promissionem factam.

Quæstio secunda. Quid censendum de matrimonio clandestino?

IV. Resp. 1. Clandestinum est quod clam fit: quod duobus modis intelligitur: vel sine testibus idoneis: vel sine publica celebratione.

V. 2. Fieri potest (seclusis legibus positivis) ut tale aliquod matrimonium sit justum ac ratum in foro conscientiæ: quia omnia illa quæ ad essentiam matrimonii requiruntur, clam existere possunt.

VI. 3. Quia tamen gravissima incommoda ex istiusmodi matrimoniis consequuntur; ut illicitæ conjunctiones, discordiæ, solutiones matrimoniorum contractorum, &c. Idcirco in foro externo, matrimonium plane clandestinum jure habetur pro nullo.

VII. 4. Denunciationes usitatæ, quæ fiunt ad inquirendum de impedimentis, quamvis non sint de essentia, sed tantum de solennitate matrimonii, quia tamen multa mala subsequi possunt ex earum omissione, idcirco ex ordine debent præmitti.

VIII. 5. Publica celebratio est necessaria, non tam ratione sponsorum, quam respectu communitatis, cui

cui ſubjiciuntur, & cujus intereſt, matrimonia ritè ordinari.

IX. 6. Iſta celebratio quamvis poſſit fieri per civilem Magiſtratum, *Ruth*. 4. 1. In Eccleſia tamen maxime conveniens eſt ut fiat per Eccleſiaſticum miniſtrum, 1. Quia ratificatio nomine Dei, per miniſtrum Dei, coram Eccleſia Dei facta, eſt gravior. 2. Quia contractus fit magis religioſus & obligatio magis penetrans ad conſcientiam. 3. Quia benedictio & ſanctificatio efficacior inde exſpectatur. 4. Vetuſtiſſimum Chriſtianorum inſtitutum eſſe, ut matrimonia palam Eccleſiæ & miniſtrorum precibus conſecrentur, apparet ex Tertulliano, ad uxorem, lib. 2. ubi ita ſcribit; *Unde ſufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum angeli renunciant, pater pro rato habet?*

## CAPUT XXXVII.

### *De Conjugum officio mutuo.*

QUæſtio prima. Quænam ſint officia quæ à conjugibus ſibimet invicem debentur?

I. Reſp. 1. Primum officium eſt dilectio ſpecialis, & conjugum propria, quæ idcirco vocari poteſt conjugalis. *Eph*. 5. 28, 29. *Gen*. 2. 24.

II. 2. Secundum officium eſt honos ſpecialis, vel conjugalis. 1 *Petr*. 3. 7.

III. 3. Tertium eſt cohabitatio, 1 *Cor*. 7. 10. *&c.* 1 *Pet*. 3. 7. Hæc autem cohabitatio complectitur ſub ſe ordinarium uſum ejuſdem domus, menſæ, & lecti.

IV. 4. Quartum eſt mutua corporum communicatio, ſecundum fines, ac intra limites conjugii, cum modeſtia & ſobrietate. 1 *Theſſ*. 4. 4.

V. 5. Quintum eſt communicatio facultatum & bonorum externorum, ſaltem quoad eorum uſum, *Epheſ*. 5. 20.

VI. 6. Sextum eſt communio in cultu Dei familiari, 1 *Petr*. 3. 7.

Quæ-

Quæstio secunda. An in istis officiis par sit ratio mariti & uxoris;

VII. Resp. Quoad essentiam officii & obligationis, eadem est ratio utrinque. Sed tamen quoad modum præstandi, differentia talis est, ut vir in omnibus ita se gerat, & ab uxore agnoscatur, tanquam caput. 1 *Cor.* 11. 3.

VIII. Hinc viri est 1. uxorem fovere, & nutrire, vel prospicere ipsi de necessariis, *Eph.* 5.29. 1 *Tim.* 3.4. 2. Præire uxori in scientia, & ejusdem omnimoda declaratione, 1 *Pet.* 3 7. 1 *Cor.* 14.35. 3. Gubernare vitam & actiones uxoris. 1 *Tim.* 3.4. 1 *Cor.* 11.3.

X. Hinc etiam uxoris est 1. subjectam se agnoscere viro, *Eph.* 5. 22. 2. virum revereri, *Eph.* 5. ult. 3. discere à marito. 1 *Cor.* 14. 35. 4. obedire viro sicut decet in Domino, 1 *Petr.* 3. 5, 6.

Quæstio tertia. Quibus ex causis possint conjuges à se invicem abesse?

X. Resp. 1. Abesse alter ab altero potest ad tempus ex mutuo consensu, 1 *Cor.* 7. 5.

XI. 2. Licita est etiam absentia ad tempus ex causa gravi, quæ cum mutua præsentia consistere non potest, 2 *Sam.* 11. 9, 10.

XII. 3. Si vir alio se transferat ex causa non turpi, ad tempus longum, & velit uxorem secum habere, uxor eum tenetur sequi, nisi gravissimum periculum corporis aut animæ inde manifestè sequeretur. Vir enim quia caput est mulieris, statuere potest de loco & modo habitationis, 1 *Cor.* 9 5. *Gen* 12. 11. &c.

Quæstio quarta. An uxor possit aliquid donare absque consensu mariti?

XIII. R. In quibusdam casibus potest: ut 1. Si in quibusdam bonis habeat liberam administrationem, & usumfructum: quod in multis regionibus conceditur uxoribus circa bona paraphernalia, & quæ sua industria acquisiverunt. 2. Si faciat donationes ac eleemosynas, secundum consuetudinem aliarum fœminarum suæ conditionis. 3. Si quantitas non sit notabilis, sed minuta, pro ratione bonorum

quæ

quæ cum marito habet in communi. 4. Si fiat ex præsumpta intentione & consensu mariti. 5. Si fiat ad impediendum grave damnum mariti. 1 *Sam* 25. 18. 6. Si maritus sit absens, amens, aut dissipator suorum bonorum.

Quæstio quinta. An & quatenus liceat marito uxorem peccantem coërcere?

XIV. R. Potest ac debet, mediis illis quæ societati conjugali non repugnent: ut admonitionibus, reprehensionibus, atque etiam denegatione quorundam privilegiorum, quæ piæ & morigeræ uxori debentur. Plagis autem ac verberibus uxorem castigare, non est mariti. Quia 1. Provenit à sævitia & amarulentia damnata. 2. Ingenuæ, æquabili, & amicabili conjugii societati adversatur. 3. Affectum conjugalem perimit utrinque, tam in marito, dum uxorem tractat ut servam, quam in uxore, dum videt se contemni & tyrannice tractari. 4. Experientia ipsa docet, ad emendationem & pacem familiæ hac ratione non perveniri. 5. Nullis legibus probatur: neque est in usu, nisi furiosis aut ebriosis.

## CAPUT XXXVIII.

### *De Matrimonii Dissolutione.*

QUæstio prima. An & quomodo Matrimonium possit dissolvi?

I. Resp. 1. Matrimonium non potest ab hominibus ex suo arbitrio dissolvi: & illa ratione simpliciter & absolute consideratum, recte dicitur insolubile, *Matth.* 19. 9. *Rom.* 7. 1.

II. Hoc autem habet matrimonium, sive consummatum, sive ratum, supra alios contractus, non tantum ex institutione Christi, sed ex jure naturæ. *Mat.* 19. *ab initio non fuit sic.* Ratio est, quia matrimonium non tantum est civilis, sed etiam divina conjunctio, cujus institutor & ordinator est Deus ipse. *Mat.* 19. *quod Deus conjunxit.* Et illius etiam est naturæ, ut sine gravi detrimento utriusque patris non possit dissolvi.

III. 2.

III. 2. Non ita tamen insolubile est matrimonium, quin possit ex causa, quam Deus ipse approbat ut justam, dissolvi. Insolubilitas enim illa non instituta fuit in pœnam, sed in solatium innocentium: & admittit exceptionem, in qua Deus conjungere cessat, *Matt*, 19. 6. & 9.

IV. 3. Nulla justa causa divortii faciendi in Scripturis probatur præter adulterium, & similes impuritates nefandas, quibus fit ut duo non maneant una caro, sed divisa, & sic fides conjugii directe violatur. *Matth*. 5. 32. & 19.

V. 4. Hinc Matrimonii consummati dissolvendi justa causa non est morbus contagiosus; quamvis conversationem conjugalem possit impedire. In tali igitur casu, Deus qui vocat ad continentiam, iis qui eam tam precibus quam legitimo usu mediorum eo facientium quærunt, non denegabit.

VI. 5. Obstinata desertio quāvis in parte deserente non contineat justam causam divortii faciendi, parti tamen desertæ, post omnia alia media frustra tentata, justam adfert causam divortii patiendi. 1 *Cor*. 7. 15.

VII, 6. Absentia voluntaria & spontanea, si sit ultra tempus moribus constitutum, ac dolo malo continuatur, eandem habet rationem cum desertione professa.

VIII. 7 Grave periculum unius partis, sive ex sævitia alterius, sive aliunde manifesto emineat ex cohabitatione, justa potest esse causa, ad tempus divertendi, ut prospiciat saluti & securitati suæ, sed non absolutè deserendi, nisi prius deseratur. Si enim una pars abigat alteram sævitia gravi, causa est desertionis, & habenda est pro desertore. Si vero obstinate negligat necessarium discessum periculum grave fugientis, eo ipso desertorem agit.

Quæst. 2. An adulterium admissum solummodo usum, vel etiam vinculū ipsum mattimonii solvat?

IX. R. Vinculum ipsum solvi patet. 1. Quia essentia ipsa contractus directè violatur. Contractu autem cessante, vinculum contractu nixum necessario cessat.

cessat. 2. Alienam est ab omni ratione, ut omnia officia matrimonialia in perpetuum tollantur, & vinculum tamen, vel obligatio ad illa officia continuetur.

X. 3. Verba Domini, *Mat.* 5.32. & 19.9. nullam habent distinctionem aut limitationem dimissionis, sed dimissionem in adulterii causa simpliciter absolute probant: probant igitur non dimissionem partialem, aut secundum quid à mensa & thoro, sed totalem.

XI. 4. Exceptio fornicationis, *Mat.* 19.9. aliquid significat diversum ab aliis causis (sicut Cajet. observat) & illud diversum nihil aliud est nisi quod propter fornicationem dimittens uxorem & aliam ducens non mœchatur. Cajetani confessio in illum locum est observanda: *sic sonat textus, secundum planum literæ sensum intelligo igitur ex hac Domini Iesu Christi lege, licitum esse Christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, & posse ducere aliam uxorem.*

XII. 5. Apostolus 1 *Cor.* 7.15. disertis verbis pronunciat, partem desertam esse liberam. Qui autem liber est, non est vinculo constrictus. Si vero in causa desertionis obstinatæ absque adulterio pars innocens vinculo solvatur tum multo magis in adulterii causa. *Non solum miror* (ait Cajetanus) *sed stupeo, quod Christo clare excipiente causam fornicationis, torrens doctorum non admittat illam mariti libertatem: Paulo autem non clare dicente, interpretata sit solutio conjugii ex causa alia ab explicato à Christo, & sola excepta.*

XIII. 2. Non ita tamen per adulterium solvitur matrimonii vinculum, quin possit ex innocentis consensu continuari ac renovari. 1 *Sam.* 25.44. *cum* 2 *Sam.* 3.14. Ratio est, quia divortium est in favorem partis innocentis: potest autem innocens cedere juri suo. Divortium etiam non est præceptum sed tantum permissum, & probatum. Qnamvis igitur non sit ita connivendum ad istiusmodi peccatum, ut ejus emendatio negligatur; hoc enim esset fovere impuritatem; pœnitenti tamen offensam condonare

nare extra casum scandali, nemo prohibetur.

XIV. 3. De parte noxia nulla esset quæstio, si, ut decebat & lex Dei postulat adulteria punirentur. Quia vero indulgentia una trahit alteram, consentaneum rationi videtur, ut non prorsus priventur libertate naturali.

XV. 4. Compensatio criminum, qua uterque conjux est particeps ejusdem vel æquivalentis peccati, utrique parti jus divortii adimere videtur. Paria enim delicta nulla compensatione abolentur.

## CAPUT XXXIX.

### *De Luxuria impudica.*

QUæstio prima. Quale peccatum sit luxuria?

I. R. 1. Luxuria generatim notat quemlibet excessum in usu rerum pertinentium ad corporis cultum. Qui enim nimis delicate ac molliter vivit, dicitur luxuaria diffluere. Stricte autem & proprie sumpta significat vitium oppositum castitati per excessum in usu rerum, quæ pertinent ad generationem. Ratio est, quia omnis excessus in corporis cultu tendit ad istam impuritatem, tanquam ad consummatum corporis abusum.

II. 2. Peccatum est sua natura gravissimum, 1. quia animam perdit, quatenus naturam habet ustionis pietatem cordis consumentis, impedientis, & obruentis, 1 *Cor.* 7. 9. quo sensu etiam cupiditates hujusmodi pugnare dicuntur adversus animam. 1 *Pet.* 1. 12. 2. Quia corpus singulariter polluit & dehonestat, 1 *Cor.* 6. 18. 3. Quia est perversa inordinatio rei gravissimæ, quæ spectat non tantum ad bonum privatum, sed etiam ad commune bonum generis humani. 4. Quia maxime demergit totum hominem, ut difficillime possit inde liberari, propter concupiscentiæ hujus intimam inhærentiam, assiduam importunitatem, & effrænem impotentiam. *Hos.* 4. 1. *Prov.* 2. 18. 5. Quia ex isthoc peccato plurima alia prodeunt, tanquam ex radice fœcunda; ut stultiloquium, turpiloquium, carnalis dispositio; & omnimoda

moda alienatio à Deo. 6. Quia infert secum gravissima incommoda vitæ naturalis. 7. Quia lucem naturæ extinguens, simul peccatum est, & pœna peccati, atque etiam gravissimarum, pœnarum causa, *Rom.* 1. 24. *&c.*

Quæstio secunda. Qualis est luxuria cordis?

III. Resp. 1. Voluntaria cogitatio, de actu aliquo impudico, nisi fiat cum detestatione, est tentationis periculosæ receptio.

IV. 2. Delectatio de actu impudico, cogitatione vel imaginatione tantũ repræsentato, quamvis non adsit animus actum ipsum perficiendi, est impudicitiæ peccatum: quia delectatio semper talis est, quale est objectum unde nascitur, & circa quod versatur.

V. 3. Cogitationes & delectationes istæ eo magis vitiosæ sunt, quo magis voluntariæ sunt & morosæ.

VI. 4. Consensus in actum impurum si occasio aut facultas detur, pro actu ipso reputatur, *Matt.* 5. 28.

VII. 5. Habitus libidinosus, quo quis ex omni occasione accenditur ad istiusmodi delectationes cum voluntatis consensu, est morbus cupiditatis deterior actu aliquo impuritatis. 1 *Thess.* 4, 5.

Quæstio tertia. Qualis est luxuria sermonis?

VIII. R. 1. *a* Sermones obscœni sunt in sese putridi: id est nullo modo commodi ad ædificationis usum, sed eidem plane repugnãtes. *Eph.* 4. 29. *&* 5. 4.

IX. 2. Prout vulgo frequentantur, sunt manifesta signa cordis impuri, ex cujus abundantia tales sermones procedunt, *Luc.* 6. 45.

X. 3. Non Dei tantum verbo, sed & ordini naturæ adversatur: quia illa, quæ natura sua sunt cũ pudore occultãda, istiusmodi verbis impudẽter propalãtur.

XI. 4. Sunt tentationes audientium, quibus cogitationes turpes hoc pacto suggeruntur: maxime vero quando in illum finem habentur, ut carnalem excitent aut foveant delectationem, 1 *Cor.* 15. 33. Recte Ambrosius, de pœnit. l. 1. c. 14. *Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate*

*a* Sermones obscœni.

*flamma*

*flammatur. Graviora his sunt fomenta verborum, quæ vino quodam Sodomitanæ vitis mentem inebriant.*

XII. 5. Locutio de rebus turpibus, animo oblectandi se rebus illis narratis & objectis imaginationi tanquam præsentibus, est verbalis patratio turpitudinis illius, de qua sermo habetur.

XIII. 6. Sermones obsœni, ex naturali quodam pudore, non verbis simplicibus explicari, sed per metaphoricas phrases oblique solent insinuari: unde fit, ut ex occasione similium verborum ac phrasium, pii sermones, meditationes, & præces ipsæ, illis imaginationibns sese ingerentibus, sæpè infestentur, polluantur, aut impediantur. Hac autem ratione frequentatio sermonum obscœnorum magis noxia videtur pietati, quam simplex actus fornicationis.

XIV. 7. Sermonibus obscœnis annumerari debent non tantum cantica & scripta obscœna, sed etiam gestus quidam impudici. Sunt enim sermones speciali modo repræsentati.

XV. 8. Istiusmodi peccatis involvuntur & illi qui libenter, vel sine detestatione & cautela audiunt sermones turpes: aut etiam talia scripta legunt. Vel enim illicitam delectationem intendunt, vel saltem exponunt se periculo ita peccandi.

Quæstio quarta. Qualis est luxuria oculorum?

XVI. Resp. 1. Aspectus ille omnis, qui fit in ordine ad illicitas delectationes & concupiscentias carnales, est exercitium impudicitiæ cordis, *Matt.* 5. 8. 2 *Petr.* 2. 14.

XVII. 2. Similis aspectus, quamvis non fiat ex intentione turpi, sed ex levitate, vel curiositate, quatenus fit cum periculo concupiscentiæ illicitæ commovendæ, participat idem peccatum sub ratione medii eo tendentis. *Iob.* 31. 1.

XVIII. 3. Aspectus rerum turpium, aut lascivarum, sive in actu, aut gestu aliquo reali, sive in ejus repræsentatione, per picturam indecoram, aut immodestam imitationem; prout in usu vulgi

R fre-

moda alienatio à Deo. 6. Quia infert ſecum graviſſima incommoda vitæ naturalis. 7. Quia lucem naturæ extinguens, ſimul peccatum eſt, & pœna peccati, atque etiam graviſſimarum, pœnarum cauſa, *Rom.* 1. 24. *&c.*

Quæſtio ſecunda. Qualis eſt luxuria cordis?

III. Reſp. 1. Voluntaria cogitatio, de actu aliquo impudico, niſi fiat cum deteſtatione, eſt tentationis periculoſæ receptio.

IV. 2. Delectatio de actu impudico, cogitatione vel imaginatione tantū repræſentato, quamvis non adſit animus actum ipſum perficiendi, eſt impudicitiæ peccatum: quia delectatio ſemper talis eſt, quale eſt objectum unde naſcitur, & circa quod verſatur.

V. 3. Cogitationes & delectationes iſtæ eo magis vitioſæ ſunt, quo magis voluntariæ ſunt & moroſæ.

VI. 4. Conſenſus in actum impurum ſi occaſio aut facultas detur, pro actu ipſo reputatur, *Matt.* 5. 28.

VII. 5. Habitus libidinoſus, quo quis ex omni occaſione accenditur ad iſtiuſmodi delectationes cum voluntatis conſenſu, eſt morbus cupiditatis deterior actu aliquo impuritatis. 1 *Theſſ.* 4, 5.

Quæſtio tertia. Qualis eſt luxuria ſermonis?

VIII. R. 1. *a* Sermones obſcœni ſunt in ſeſe putridi: id eſt nullo modo commodi ad ædificationis uſum, ſed eidem plane repugnātes. *Eph.* 4. 29. *&* 5. 4.

IX. 2. Prout vulgo frequentantur, ſunt manifeſta ſigna cordis impuri, ex cujus abundantia tales ſermones procedunt, *Luc.* 6. 45.

X. 3. Non Dei tantum verbo, ſed & ordini naturæ adverſatur: quia illa, quæ natura ſua ſunt cū pudore occultāda, iſtiuſmodi verbis impudēter propalātur.

XI. 4. Sunt tentationes audientium, quibus cogitationes turpes hoc pacto ſuggeruntur: maxime vero quando in illum finem habentur, ut carnalem excitent aut foveant delectationem, 1 *Cor.* 15. 33. Recte Ambroſius, de pœnit. l. 1. c. 14. *Paſcitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate*

*a* Sermones obſcœni.

*flamma*

*flammatur. Graviora his sunt fomenta verborum, quæ vino quodam Sodomitanæ vitis mentem inebriant.*

XII. 5. Locutio de rebus turpibus, animo oblectandi se rebus illis narratis & objectis imaginationi tanquam præsentibus, est verbalis patratio turpitudinis illius, de qua sermo habetur.

XIII. 6. Sermones obsœni, ex naturali quodam pudore, non verbis simplicibus explicari, sed per metaphoricas phrases oblique solent insinuari: unde fit, ut ex occasione similium verborum ac phrasium, pii sermones, meditationes, & præces ipsæ, illis imaginationibns sese ingerentibus, sæpè infestentur, polluantur, aut impediantur. Hac autem ratione frequentatio sermonum obscœnorum magis noxia videtur pietati, quam simplex actus fornicationis.

XIV. 7. Sermonibus obscœnis annumerari debent non tantum cantica & scripta obscœna, sed etiam gestus quidam impudici. Sunt enim sermones speciali modo repræsentati.

XV. 8. Istiusmodi peccatis involvuntur & illi qui libenter, vel sine detestatione & cautela audiunt sermones turpes: aut etiam talia scripta legunt. Vel enim illicitam delectationem intendunt, vel saltem exponunt se periculo ita peccandi.

Quæstio quarta. Qualis est luxuria oculorum?

XVI. Resp. 1. Aspectus ille omnis, qui fit in ordine ad illicitas delectationes & concupiscentias carnales, est exercitium impudicitiæ cordis, *Matt.* 5. 8. 2 *Petr.* 2. 14.

XVII. 2. Similis aspectus, quamvis non fiat ex intentione turpi, sed ex levitate, vel curiositate, quatenus fit cum periculo concupiscentiæ illicitæ commovendæ, participat idem peccatum sub ratione medii eo tendentis. *Iob.* 31. 1.

XVIII. 3. Aspectus rerum turpium, aut lascivarum, sive in actu, aut gestu aliquo reali, sive in ejus repræsentatione, per picturam indecoram, aut immodestam imitationem; prout in usu vulgi

frequentatur ab impudicitiæ nota non poteſt excuſari. *Epheſ.* 5, 3.

XIX. 4. Aſpectus perſonæ nudæ, præſertim in ſexu diverſo, quia moraliter & practicè loquendo, occaſionem præbet libidinoſæ commotionis, ſine cauſa neceſſaria, non eſt admittendus, 2 *Sam.* 11. 2.

XX. 5. Ad hoc genus peccati referendus eſt ornatus corporis laſcivus; quo vel indicatur vel excitatur concupiſcentia libidinoſa, vel quocunque modo periculum adfertur caſtitati ſeu propriæ ſeu alienæ, *Eſai.* 3. 17. 1 *Tim.* 2. 9. 1 *Petr* 3. 2, 3.

Quæſtio quinta. Quænam eſt luxuria in tactu?

XXI. R. 1. Oſcula & amplexus, qui ex more patriæ honeſta adhibentur ad benevolentiam honeſtam ſignificãdam, ſunt res per ſe licitæ, *Gen.* 29. 11.

XXII. 2. Oſcula, amplexus, & tactus libidinoſi, qui fiunt vel cum intentione excitandi ac fovendi illicitam concupiſcentiam carnalem, vel propter delectationem carnalem inter non ſponſos, vel cum periculo commotionis inordinatæ, ſunt progymnaſmata impudicitiæ: quia ſua natura tendunt ad corporum commixtionem, & ſunt ejuſdem quaſi incohatio. *Rom.* 13. 13. *Col.* 3. 5. Hoc ſatis indicant luxuriæ Magiſtri Comici, ſuis illis ſententiis: *Semper tu cito, flamma fumo eſt proxima. Qui è nucleo nucem eſſe vult frangit nucem: qui vult cubare, pangit ſaltem ſuavium. Quæro deinde illecebram ſtupri, principio eam ſuavium poſco.*

*a* Quæſtio ſexta. Quid ſentiendum de choreis?

XXIII. 1. Choreæ vulgares vel ludicræ ſaltationes, mixtæ, vel ſociæ inter viros & mulieres habitæ, ſunt prorſus damnandæ. 1. Quia (practice loquendo) exprimunt animi inſolentiam, & inſaniam quandam. Tum enim ad choreas ducendas apti ſunt homines cum fere inſaniunt, vel ex ebrietate vel ex affectu procace, *Exod.* 32. 6. *Mar.* 6. 21. 2. Quia propalam repræſentant geſtibus, quæ in ordine naturæ pudorem habent conjunctum. 3. Quia

*a* De Choreis.

la-

laquei sunt & scandala, non tantum saltatoribus, sed & spectatoribus: irritant enim suis illecebris & inflammant cor hominum ad libidinem, quod tanta proclivitate eo fertur, ut omni modo sit exprimendum. 4. Quia est in illis defœdatio quædam dignitatis illius, quæ omnibus Christianis debet conservari: & eo nomine inter graviores Ethnicos à conductitiis meretricibus & psalteriis tantum exercebantur.

XXIV. 2. Neque juvant hic quidquam limitationes illæ, aut cautiones, quibus positis choreas istas admittendas esse quidem contendunt. 1. Si in eis teneantur modus, nec nimis frequententur. 2 Si instituantur tantum delectationis, ergo non ex levitate aliqua, vel libidinis causa. 3. Si fiant in præsentia honestarum personarum. Nam 1. frustra modus requiritur in insolentia & insania, & similibus, quæ in excessu modi consistunt. 2. Non finis tantum vel intentio operantis, sed & finis operis, & quid ex eo consequi soleat, in conscientiis nostris debet expendi: præsertim cum res ipsa est nullo modo necessaria. 3. Honestis personis scandala possunt præberi. Et si sint extra periculum scandali, eo majori dignæ sunt reverentia, quæ prohibet leves & insanas ineptias coram ipsis exercere.

XXV. 3. Minus autem valet, quod ab harum chorearum patronis objicitur, esse illas conciliatrices benevolentiæ, inter adolescentes & puellas, & sic conjugii contrahendi. Non enim occasio quælibet conjugiorum est probanda; sed occasio honesta conjugii impolluti.

Quæstio septima. Quid sentiendum de scenicis ludis?

XXVI. R.[a] Ludi scenici, tales saltem, quales jam in usu vulgari habentur, sunt prorsus damnandi.

XXVII. 1. Consistunt in vitiorum & scelerum viva repræsentatione. Si autem licitum non sit istiusmodi scelera nominare, nisi cum aliqua dete-

[a] De ludis scenicis.

ſtatione. *Eph.* 5. 3. tum certe multo minus concedi poteſt, ut eadem geſtibus ad vivum repræſententur.

XXVIII. 2. Iſtiuſmodi ſcelerum repræſentatione, actores non tantum ſpeciem ipſorum induunt (à qua Chriſtiani debent abſtinere. 1 *Theſſ.* 5 6. 22.) ſed & magno ſtudio componunt ſeſe, ut quam maximè ad vivum, tam internè concipiant, quam externè exprimant tales mores. Ex quo fit ut ad eadem vitia ſeſe exercentes, diſponant: unde proni ac prompti reddantur ad illa patranda ſine pudore. Experientia etiam docet, quoſdam in iſtis ludis agendis habitus & geſtus indecentes ita ſibi induiſſe, ut longo tempore non potuerint eos exuere denuo.

XXIX. 3. Quædam vitia ita repræſentantur, ut ſimul etiam reipſa exerceantur: qualia ſunt ſtultiloquia, turpiloquia, dejerationes vanæ, execrationes, & ſimilia.

XXX. 4. Vel mulieres in ſcenam producuntur ad impudicitiam cum impudentia repræſentandam (quæ etiam in Eccleſia debent ſileri, 1 *Cor.* 14. 30. & velari. 1 *Cor.* 11. 10.) vel viri oblectationis cauſa induunt muliebria veſtimenta, faciem & geſtus: quod & verbo Dei adverſatur. *Deut.* 22. 5. & magnum incentivum eſt impudicitiæ: atque etiam occaſionem præbet rectáque ducit ad illas fœditates. quæ ſunt contra naturam. *Rom.* 1. 27.

XXXI. 5. Tam ſpectatores quam actores oblectationem quærunt ex eis, quorum debet ipſos pudere. *Rom.* 6. 21.

XXXII. 6. Objiciunt ſe periculo manifeſto. Qui enim modeſtiores ſunt, vix aut ne vix quidem effugere poſſunt moroſas cogitationes & delectationes de rebus illicitis. Alii autem diſcunt facere, quæ ſine verecundia conſueverunt audire & videre. Obſervarunt hoc Ethnicorum ipſorum prudentiores: inter quos Seneca; *Nihil eſt tam damnoſum bonis moribus, quam in aliquo ſpectaculo deſidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia ſurrepunt.*

XXXIII.

XXXIII. 7. Si qui tam ferreo pectore sint, ut non moveantur istis spectaculis, scandalum tamen præbent aliis, qui eorum exemplo ad pericula & peccata trahuntur.

XXXIV. 8. Magni sumptus vane & noxie fiunt. Impensis enim in unum ludum scenicum factis, multi pauperes menses aliquot possent substentari.

XXXV. 9. Histriones jure civili sunt infames. In ecclesia primitiva fuerunt ab ecclesiastica communione exclusi.

XXXVI. 10. Olim solenne votum fuit omnium baptizatorum: *abrenuntio diabolo, pompis, spectaculis & operibus ejus*: ex quo Salvian. de provid. l. 6. ita disputat: *In spectaculis quædam apostasia fidei est, & à symbolis ipsius, & cœlestibus sacramentis lethalis prævaricatio. Quæ est enim in Baptismo salutari Christianorum prima confessio? quæ scilicet, nisi ut renunciare se diabolo, ac pompis ejus atque spectaculis & operibus protestentur? Ergo spectacula & pompæ, etiam juxta nostram professionem, opera sunt diaboli. Quomodo, ô Christiane, spectacula post baptismum sequeris, quæ opus esse diaboli confiteris? Renunciasti semel diabolo & spectaculis ejus: ac per hoc necesse est, prudens & sciens, dum ad spectacula remeas, ad diabolum te redire cognoscas. Utrique enim rei simul renunciasti, & unum utrumque esse duxisti. Si ad unum reverteris, ad utrumque remeasti. Abrenuntio enim, inquies, diabolo, pompis, spectaculis, & operibus ejus. Et quid postea? Credo (inquies) in Deum patrem &c. Ergo primum renunciatur diabolo, ut credat Deo: quia qui non renunciat diabolo, non credit Deo. Et ideo qui revertitur ad diabolum, relinquit Deum. Diabolus in spectaculis est & pompis suis: ac per hoc cum redimus ad spectaculum, relinquimus fidem Christi.* Hæc Pius Salvianus ex Tertuliano (ut videtur) *de Spectac. cap. 4. & de Idololat. cap. 6.* ubi similia reperiuntur. Objectiones & limitationes illæ quæ in patrocinium horum ludorum à Theologis quibusdam proferuntur, nullius sunt momenti. Obji-

citur 1. ludos ſcenicos eſſe aliquo modo neceſſarios. Quum enim recreatio ſit homini neceſſaria; & nullum reperiatur exercitium: & nihil magis recreet ac delectet quam iſtiuſmodi ludi, ſequitur, eoſdem eſſe neceſſarios.

XXXVII. 11. R. 1. Licitæ recreationes ludorum conſiſtunt in rebus tantum adiaphoris, quæ neque à Deo præceptæ ſunt, neque vetitæ. Vetitis enim non licet uti: in præceptis autem non licet jocari. Sed vulgares ludos ſcenicos in rebus vetitis verſari jam antea fuit probatum. 2. Delectationes illæ quæ vel ex illicitis rebus oriuntur, vel illicitis rebus cauſam aut etiam occaſionem præbent, ſunt vitioſæ & exitioſæ. 3. Nimiæ voluptatum carnalium illecebræ vitari debent, tanquam ſuſpectæ ac periculoſæ, tanquam laquei: quia carnem luxuriari faciunt, animam autem inficiunt & gravant. Neque alia revera cauſa eſt cur ludi ſcenici vulgares tantopere multitudinem oblectent, quam in illis turpi voluptate ingurgitentur, ex imagine viva earum libidinum quas in ſemetipſis qualibet ratione foveri & excitari amant. Objicitur 2. multiplicem eſſe ludorum horum utilitatem: quia juvant intellectum & memoriam in cognitione rerum: vitiorum fugam, & virtutis ſtudium promovent; linguarum etiam & mores reddunt comtiores & civiliores.

XXXVIII. 12. R. 1. Si media hæc eſſent, quæ tantas adferrent utilitates, approbationem aliquam proculdubio haberent in verbo Dei. Non autem hæc, ſed alia ſunt media, Dei verbo aprobata, in quorum uſu iſtæ perfectiones debent quæri. 2. Media talia ſolent à Chriſtianis verbo & precibus ſanctificari, 2 *Tim.* 4. 5. ſed inauditum plane, & alienum eſt à natura horum ludorum, ut quis precibus ſe paret ad eorum uſum. 3. Intellectum, & memoriam iſtis ludis pollui, vitia promoveri, & virtutes extingui experientia omnium ſeculorum docet, & mores hiſtrionum clamant.

Ob-

Objicitur. 3. Posse istos ludos finem habere honestum; materiam laudabilem, ut historiam biblicam, & auctores honestos, ab omni levitate & scurrilitate alienos.

XXXIX. 13. Resp. 1. Quomodo finis operis est inhonestus, intentione operantis non potest honestari. 2. Si duorum optio danda esset, magis tolerabile videtur, ab histrionibus prophanas fabulas agi, quam historias sacras. Majestas enim verbi Dei quod cum timore ac tremore debet audiri, & cogitari, indigno modo imminuitur, læditur, & contumelia afficitur, si in rem ludicram convertantur. 3. Si levitas & scurrilitas à scena tollatur, tolletur simul ipsa scena vulgaris: qui tam actoribus quam spectatoribus destituetur. Observavit hoc olim Ethnicus Philosophus, Tusc. Quæst. lib. 4. *O præclaram emendatricem vitæ poeticam, quæ amorem flagitii, & levitatis auctorem, in concilio Deorum collocandum putet. De Comœdia loquor: quasi hæc flagitia non probaremus, nulla esset omnino.*

## CAPUT XL.

### *De Legibus Mosaicis, quæ spectant.* Ad 7. Præceptum.

I. 1. LEges quædam hujus præcepti appendices fuerunt permissivæ, quibus factum aliquod non plane probant, neque indifferens aut licitum redditur, sed tantum immune relinquiritur, à pœna legali. Hujus generis fuit lex de repudio uxoris non adulteræ, sed propter fœditatem aliquam odiosæ, *Deut.* 24. 1. *Matth.* 19. 7, 8. Fuit ejusdem generis lex de veritate investiganda in casu zelotypiæ, *Num.* 5. 14. Ad hoc genus etiam, ex parte saltem, referri debent leges quædam quæ polygamiam supponunt: qualis illa, quæ prohibet translationem juris primogenituræ à filio uxoris exosæ, ad filium dilectæ, *Deut.* 21. 15. *Si fuerint*

*alicui duæ uxores, una dilecta & altera exosa pepererintque ei filios dilecta & exosa*, &c.

II. 2. Quædam leges fuerunt definitivæ, seu propriæ illius populi, & partim forensem, partim ceremonialem habuerunt rationem.

III. 3. Talis fuit lex de uxore fratris ducenda. *Deut.* 25. 5. sive frater germanus defuncti, & levir viduæ intelligatur, ita ut sit exceptio à lege, *Lev.* 19. 16. quæ est opinio magis recepta, sive cognatus proximus, qui secundum legem potuit viduam ducere, quæ est Calvini explicatio non improbabilis.

IV, 4. Talis lex de filia hærede, quæ intra paternam tribum nubere jubetur, ne cum illa hæreditas de tribu in tribum demigraret. *Num.* 36. 8.

V. 5. Talis fuit lex de alienigena uxore non ducenda, non quatenus interdicitur populo Dei, non uxores idololatras ducant, *Deut.* 7. 3. sed quatenus nuptiæ cum quibusdam saltem gentibus, jam contractæ & consummatæ, habeantur irritæ, *Esai.* 9. 1. & 10. 10, 11. Apostolus enim sub novo testamento contrarium docet. 1 *Cor.* 7. 2, 3.

VI. 6. Talis fuit lex de sacerdotis conjugio, *Lev.* 21, 13. de filiæ sacerdotis propter fornicationem vivicomburio, *Lev.* 21. 9.

VII. 7. Istiusmodi legum æquitas tantum est perpetui & moralis juris.

VIII. 8. Aliæ autem leges ad conjugium spectantes, quæ neque ex permissione, neque speciali Judæorum conditione pendent, sed ex natura ipsius rei fluunt, quoad substantiam sunt juris communis ac moralis.

IX. 9. Talis est lex de adulterio commisso cum uxore aliena, utriusque capite plectendo. *Deuter.* 22. 22. Huic legi non magis derogatur ex eo quod Christus noluerit adulteram condemnare. *Ioh.* 8, 11. quam justitiæ & æquitati familiæ herciscundæ, ex eo derogatur, quod Christus noluerit hæreditatatem dividere inter fratres, *Luc.* 12, 14.

CA-

## CAPUT XLI.

### Præcept. 8.

### *De Dominio rerum externarum.*

QUæstio prima, Quinam proprie sunt domini rerum?

I. R. 1. Solus Deus est dominus omnium rerum absolutus. Quatenus enim est creator & gubernator omnium, solus est dominus naturæ rerum; quum homo tantum sit dominus usus earum: & in ipso usu homo subjicitur voluntati Dei; Deus autem utitur omnibus prout ipsi placet.

II. 2. Angeli non videntur habere proprium dominium rerum corporalium: quia nullibi legimus, dominium istud traditum esse angelis: neque alius usus corporalium rerum ipsis usquam tribuitur, quam ministerialis, ad exequendam Domini voluntatem, ex dispensatione divina.

III. 3. Animalia bruta non habent propriè dominium in illas res quibus utuntur; quia jus & justum duntaxat metaphoricè in brutis reperiuntur, non paopriè.

IV. 4. Homo habet proprium dominium earum rerum, quæ potestati ipsius subjiciuntur, *Gen.* 1. *Psal.*8. quia habet facultatem istas res ad suos usus applicandi, quatenus Deus permittit.

V. 5. Inter homines corporalem vitam agentes nemo est, qui non habet dominium proprium rerum corporalium, in quacunque sit ætate, statu vel conditione.

VI. 6. Pueri, & amentes, quamvis propter defectum rationis, non habeant actualem proximam potentiam rebus utendi, habent tamen radicalem, quia sunt homines, *Gal.* 4.

VIII. 7. Infideles & impii homines, quamvis de jure obnoxii sint hujus dominii privationi, & destituantur

tuantur etiam altiore illo titulo, quem fideles in Christo sunt consequuti: quia tamen sententia legis adversus ipsos nondum est exequutioni mandata, & corporalium rerum dominium aliquod humanæ naturæ, in ista vita est debitum à Deo, in lege & ordine naturæ annexum, idcirco justum & liberum usum habent istiusmodi rerum temporalium.

Quæstio secunda. An, & quomodo divisio dominiorum fuerit justa?

VIII. R 1. Justa fuit hæc rerum divisio, & necessaria. 1. Ad contentiones vitandas. *Gen.* 15. 2. Ut diligentius istiusmodi res in suis partibus colerentur. 3. Ut magis ordinate tractarentur.

IX. 2. Divisio ista non nititur tantum jure humano, sed & jure naturali ac divino. Quamvis enim jus naturæ non directe & immediate præceperit ab initio istam divisionem, dictat tamen ex occasione humani generis multiplicati, & iniquitatis invalescentis, & divisionem istam esse necessariam ad pacificam & suavem rerum administrationem. Fuit hoc etiam semper in jure naturæ quod observatur in mensa vel convivio ordinato, ut quamvis fercula omnia in communi proponantur, portiones tamen ab aliis occupatas nemo debeat ad se transferre sine consensu eorum, à quibus fuerunt occupatæ.

Quæstio tertia. An Dominium verum, quoad forum conscientiæ fundari possit in solo jure civili, aut in solo jure divino; an in utroque?

X. R. 1. Conscientia in omnibus respicere debet judicium Dei. Nisi igitur jure à Deo vel in natura, vel in verbo publicato, constet dominii titulum esse legitimum & verum, in foro conscientiæ consistere non potest.

XI. 2. Respicit etiam propriè judicium Dei solum: qui non subjicitur foro humano. Si igitur plane constet ex jure naturæ, vel divino, titulum esse validum, etiam si jure civili irritetur, confert

fert dominium in foro conſcientiæ verum.

a XII. Hinc etiam juſtum & verum eſt dominium ejus qui poſſidet aliquid ex contractu, alias legitimo & vero, ſed propter defectum alicujus ceremoniæ & ſolemnitatis, quam jus civile tali contractui præſcribit, in foro humano ſit irritus, vel irritandus.

XIII. Sic transfertur dominium, in foro conſcientiæ, per teſtamentum non ſolemne, id eſt cui deeſt certus numerus teſtium, notarius &c. Solemnitas hæc idcirco ſolum præſcribitur in legibus civilibus, ut obviam eatur fraudibus & dolis, qui in talibus contractibus plerumque committi ſolent: ſed quando conſtat manifeſtè de voluntate eorum, qui hujuſmodi contractus fecerunt, etiamſi prætermiſſa ſit ſolemnitas illa, ceſſat ratio iſta, atque adeo ceſſat vis juris civilis: quia ceſſante cauſa, ceſſat effectum.

XIV. Sententia judicis iſtiuſmodi contractum irritum faciens, fundatur in falſa præſumptione illius fraudis: ſed iſtiuſmodi falſa præſumptio in conſcientia illius, cui contrarium conſtat, nullum habet locum.

XV. Per hujuſmodi contractus minus ſolemnes, ex omnium conſenſu inducitur obligatio juris naturalis: quia fiunt per liberam voluntatem, ex conſilio deliberato. Sed jus civile non poteſt abrogare jus naturæ. Ergo.

XVI. Intentio ipſa juris civilis eſt, in iſtiuſmodi contractibus irritandis, tantummodo non adjuvare ipſos in foro externo, vel non dare ipſis actionem, propter commune bonum. Relinquit igitur obligationem omnem ex jure naturæ conſurgentem.

XVII. Jus ipſum civile in quibuſdam caſibus (ut teſtamento militari &c.) admittit hanc obligationem naturalem, ſolemnitatibus illis deſtitutam. Agnoſcit igitur per ſe valere in conſcientiæ foro.

XXIII. Non poteſt igitur ille, in cujus favo-

a De ſolemnitatibus juris.

rem lex irritum facit talem contractum (salva conscientia) contra eundem agere coram judice, aut petere ut declaretur irritus aut nullus, si constet ipsi de veritate.

a XIX. 4. Hinc etiam possessio rei alienæ, invito proprio domino, quamvis continuata sit quandiu leges requirunt ad præscriptionem vel usucapionem, in foro conscientiæ non confert dominium possessori.

XX. Si possessio sit male fidei, id est, si possessor noverit, aut opinetur, rem possessam non esse suam, sed alienam, peccatum est iniquitatis, contra jus naturæ. Non potest igitur fundamentum esse juris dominii. Leges etiam quæ talem vim tribuunt hujusmodi possessioni, tendunt in perniciem reip. quia fovent gravia peccata, in occupationibus rerum alienarum, contra conscientiam; & furibus concedunt dominium rei furtivæ, tantummodo propter moram restituendi, quod est manifestè iniquum.

XXI. Bonæ fidei possessio nihil habet quod non est in possessione cum fide mala, præter opinionem falsam possessoris, quod res sit sua. Hæc autem opinio nullum justum titulum dominii potest adferre in foro conscientiæ; præsertim postquam per veritatis manifestationem fuerit sublata, & contraria scientia locum habet, qua novit, rem quam possedit, fuisse alienam.

XXII. Nullæ justæ causæ possunt adferri, quare præscriptio bonæ fidei dominium transferret. Tres tantum rationes solent allegari: 1. Ne dominia rerum sint incerta. 2. Ne lites sint infinitæ. 3. Ut puniatur negligentia & socordia hominum in suis bonis procurandis. Sed 1. omnes istæ rationes æque militant pro possessione malæ fidei, atque pro illa quæ bonam fidem habet conjunctam. 2. Prima & secunda ratio non spectant ad forum conscientiæ, sed ad externum tantum, ubi

a De præscriptione & usucaptione.

propter

propter illas denegari forsam actio potest vero domino, post exactum tempus lege definitum. 3. Tertia causa non est sufficiens: quia quælibet negligentia domini in suis rebus repetendis, non meretur tantam pœnam. Neque revera lex præscriptionis est proprie pœnalis, tum enim dominium, non amitteret prior dominus, neque præscribens acquireret ante sententiam latam. Neque facile probari potest ex solo temporis intervallo negligentia crassa & supina. 4. Ignorantia, etiam affectata, & negligentia voluntaria in veritate inquirenda, quæ bonam fidem excludit, præsumitur semper de eo, qui occupat rem alienam, præsertim si auctor sit possessionis inchoandæ.

a XXIII. 5. Hinc etiam occupatio bonorum ex naufragio perditorum, justum dominii titulum non confert occupanti. Nam 1. injustitia est maxime sæva & crudelis, spoliare spoliatos, & miserorum miseriam augere. 2. Charitati maxime adversatur. Ubi enim singularis misericordia & subveniendi studium requiritur, ibi afflictionem addere afflictis, hoc est è religione, & positivè contra charitatem venire. Perinde revera est, ac si viatorem, qui in manus prædonum incidit, & bonis aliis spoliatus, ab ipsis vivus dimissus fuit (sed vinctus tamen) cum equo & pallio Dominus loci teneret vinctum, & bonis quæ supersunt, equo scil. & vestibus spoliaret.

XXIV. Nullam aliam speciem juris ad dominium valentis habet occupatio bonorum naufragio perditorum, præter illam quæ oritur ex occupatione bonorum derelictorum, quæ fieri solent primi occupantis. At vero bona, quæ naufragio jactantur in aquam, non idcirco habenda sunt pro derelictis. Derelicta enim talia fiunt vel expresso actu Domini prioris, vel ex conjecturis æquivalentibus; ut si sciens volens penitus negligat & permittat ab aliis occupari, quæ sua fuerunt. Qui au-

a De occupatione bonorum naufragorum.

tem

tem invitus patitur naufragium, non magis derelinquit bona illa quæ enarant, vel expresse vel tacite, quam qui propter incendium, aut ruinam, bona quædam ex ædibus suis patitur exportari. Istiusmodi bona non de jure, sed de facto tantum sunt extra potestatem Domini sui. Non carent Domino: atque adeo inventione vel occupatione nuda dominium ipsorum non potest acquiri.

XXV. Leges ipsæ civiles hanc occupationem damnant. Sic enim Constantinus *Cod. lib.* 11. *tit.* 5. *Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat: fiscus meus sese non interponat. Quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate ut de re tam luctuosa compendium sectetur?* Si autem fiscus publicus naufragorum bona sua non facit, multo minus hoc fieri debet à privatis. Recte igitur Cajet. in sum v. furtum. Naufragorum bona, juxta leges quorumdam littorum confiscata, ex hoc ipso, quod ex naufragio sunt, nescio qua justitia occupentur, nisi illa qui afflictio additur afflicto. Nulla causa est cuiquam ex naufragio quidquam acquirendi, nisi quod justa merces debeatur iis, quorum opera ac industria naufragorum bona eripiuntur & conservantur.

## CAPUT XLII.

### *De Contractu.*

QUæstio prima. Quid juris sit de efficientibus caussis contractus?

I. R. 1. Ad contractum legitimum requiruntur imprimis personæ habiles ad contrahendum. i, e. qui habent administrationem suorum bonorum, aut potestatem semetipsos in talibus obligandi. *Actor.* 5. 4.

II. 2. Hinc infantes, furiosi, & prodigi non sunt idonei ad efficiendum contractum; eoque nomine

mine eorum contractus à jure civili merito pro nullis habentur.

III. 3. Minores autem qui ad perfectum usum rationis pervenerunt, quamvis habeant adhuc curatores, si ex consilio deliberato contrahant, talis contractus in se consideratus, quoad forum conscientiæ videtur valere. Unde etiam Jurisconsulti docent, minores contrahentes absque authoritate curatorum, etiamsi non obligentur civiliter, naturaliter tamen obligari.

IV. 4. Requiritur secundo in loco, contrahentium consensus, vel formalis, vel virtualis, idque cum tribus istis conditionibus, ut 1. sit liber, ita saltem ut quis teneatur liberè velle & consentire, quamvis actu elicito non velit. 2. promissorius, i. e. cum animo obligandi ad leges ejus contractus qui celebratur. 3. Expressus aliquo signo exrerno.

V. 5. Ex prima conditione sequitur, consensum metu gravi extortum non sufficere ad validum contractum.

VI. 6. Hoc tamen sic intelligi debet, 1. ut metus talis in illum finem inferatur ut extorqueatur consensus. Si enim ob alium finem esset illatus, & qui patitur metum, evadendum illud malum; faceret contractum; talis contractus validus esset: ut si captus à latrone promittat tertio pecuniæ summam ut ab ipso liberetur, talis metus non esset causa, sed occasio tantum contractus. 2. Metus talis inferri debet injustè. Nam si quis formidine pœnæ legibus statutæ contrahat cum illo quem injuria affecit, talis contractus non potest irritari.

VII. 7. Ex conditione secunda sequitur, promissionem vel dolo elicitam, vel ex errore datam, vel adeo imperfectam, ut non contineat intentionem sese obligandi, non propriè facere contractum. Si tamen alter verbis alicujus deciperetur, cum suo damno, accipiens illa pro promissione, teneretur ille præstare quod promisit ex modo loquendi ne daret causam damni quod sequeretur.

VIII.

VIII. 8. Ex tertia conditione sequitur promissionem internam homini factam non obligare. i. e. quia actus interni non sunt idonea media nostros sensus, aut consensus ad alios transmittendi.

Quæstio secunda. Quid juris sit de materia circa quam contractus versantur?

IX. R. 1. Contractus legitimi non versantur proprie nisi circa res licitas, r. e. 1. Quia in omni contractu præbetur consensus: consensu autem ferri in rem illicitam est peccatum. 2. Contractus habet in sese vim promissionis: promittere autem non licet, quod non licet præstare. 3. Ex contractu exurgit obligatio. Nulla autem obligatio potest esse legitima, quæ obligat ad peccatum, & eo nomine obligationi legis divinæ adversatur.

X. 2. Hinc contractus vel pactio pretii ob rem turpem est etiam turpis: ut pactio de homicidio, de stupro &c. r. e. quia ejusmodi pactiones ordinantur ad turpitudinem tanquam ad finem, atque adeo sunt ejusdem naturæ cum fine ad quem ordinantur, i. e. turpes. Si vero quæratur, an post rem turpem patratam, obliget contractus promittentem, & an liceat ex contractu accipere pretium aliquod ratione laboris, periculi, aut detrimenti cum turpitudine conjuncti? respondendum videtur, promittentem obligari, sed ut pars altera recipiat, vix posse consistere cum pœnitentia, *Matth.* 27. 3. 4.

XI. 3. Contractus emptionis ac venditionis, & qui sunt similis naturæ, non habent locum in quibusdam rebus, non quia non sunt licitæ ac bonæ in sese, sed quia adeo bonæ sunt, ut pretio non possint æstimari.

*a* XII. 4. Hinc peccatum est Simoniæ, emere aut vendere, aut quocunque modo commutare rem sacram vel spiritualem pro temporali. r. e. 1. Quia res sacræ sanctæ debent tractari, non pollui aut profanari; quod tum fit, quando, ut res mundanæ, in temporales contractus deducuntur. Hoc

*a* De Simonia.

est

est enim contra religionem & reverentiam debitam sacris. 2. Quia injustum est illa vendere, quæ gratis distribui debent, *Matth.* 10. 8.

XIII. 5. Extenditur autem hoc peccatum non tantum ad dona supernaturalia (quod tamen fuit peccatum Simonis magi, à quo peccatum hoc nomen suum accepit) sed etiam 1. ad talium donorum causas, ut Sacramenta, & similia. 2. ad talium annexa, quatenus sunt talia. Talia autem sunt illa omnia, quæ vel antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter, ita sunt spirituali functioni vel officio adjuncta, ut ab eodem non possint separari.

XIV. 6. Hinc Simoniæ tenentur non solum illi, qui emunt aut vendunt ea, quæ directè spectant ad electionem & ordinationem aut vocationem Ecclesiasticorum ministrorum, sed & qui in ordine ad illam vocationem, emunt aut vendunt illa quæ destinata sunt ministrorum sustentationi, quæ beneficia solent vocari.

XV. 7. Istiusmodi Simoniacæ pactiones non tantum in pecunia versantur, sed & in eis omnibus quæ vel pecunia aut pretio possunt æstimari, vel similem cum illis rationem habent, in ordine ad spiritualia. Hinc munus Simoniacum non inepte dividitur in munus à manu, munus à lingua, & munus ab obsequio. Munus à manu est pecunia, aut res pecunia æstimabilis. Per munus à lingua intelliguntur preces, intercessiones, laudes, adulationes, si vim habeant causa in ordine ad spiritualia comparanda. Per munus ab obsequio intelligitur actio aliqua temporalis inducens spiritualium collationem, quasi in solutionem debiti, sive pactum exprimatur, sive tacite intelligatur.

XVI. 8. Intentio ipsa istiusmodi donationum aut receptionum, quamvis in altera sola parte consistat, est gradus quidam hujus peccati; atque adeo nō male vocatur simonia mentalis, & à nonnullis confidentialis, prout distinguitur à conventionali & reali.

XVII. 9. Simoniæ nullam speciem habet quod
datur

datur in sustentationem eorum, qui ministri sunt rerum spiritualium. Locum hic habet, quod de mediorum & præceptorum dicitur mercede: *His non rei pretium, sed operæ solvitur, quod deserviunt, quia à rebus suis avocati nobis vocant. Mercedem, non meriti, sed occupationis suæ ferunt.*

XVIII. 10. Neque propriè simonia est, quando ex mera gratuitudine, sine ullo pacto expresso, vel tacito, directo vel indirecto, aliquid datur. Neque si quid detur ab illo, qui jus certum & indubitatum habet ad functionem spiritualem, in vexationis injustæ redemptionem. Sed in istis cavendus est dolus, & species mali fugienda.

XIX. 11. Quamvis non omnimoda paritas, similitudo tamen & proportio quædam est inter res sacras, & munera publica in quibus inest jurisdictionis potestas. Istiusmodi enim officiorum venditio turpem quandam perversitatem habet ipsorum naturæ adversantem. Nam sicut actui jurisdictionis repugnat, ut sit venalis, ita & potestati illum actum exercendi. Neque revera dominium habet Princeps in officia jurisdictionis, sed tantum administrationem. Tanta etiam sunt mala, quæ ex hac negotiatione proveniunt, ut omnibus ingenuis habeatur detestationi.

Quæstio tertia. Quid juris sit de forma contractus?

a XX. R. 1. Forma externa non est una certa ac determinata ullo jure, vel naturali, vel divino, vel etiam civili. Potest enim consistere in qualicunque declaratione mutui consensus, sive verbis fiat, sive gestibus, sive scriptura, sive rei ipsius traditione. Quamvis igitur ista forma vim habeat obligandi, quia tamen per se non valet, sed quatenus relationem habet ad formam internam, idcirco minus pertinet ad internum conscientiæ forum.

XXI. 2. Forma interna contractus legitimi est bona fides, qua quis sincerè intendit semeptipsum

a De forma contractus.

obli-

obligare ad illud præstandum quod præse fert, idemque quantum in se est præstare. Ratio est, quia contractus includit consensum promissorium, promissio autem est testimonium, quo quis fidem suam obligat ad fidem alteri faciendam de hoc aut illo præstanda: atque adeo ut sit vera ac sincera, internè & essentialiter exigit fidem bonam contrahentis.

XXII. 3. Hinc divisio illa contractuum, qua alii dicuntur esse bonæ fidei, & alii stricti juris, non est accurata, neque locum habet in foro conscientiæ & coram Deo. Bona enim fides in omnibus contractibus requiritur; quia in illa præcipua pars naturæ contractuum consistit, ex illa, & secundum illam quatenus liquere potest, judicium est ferendum. In omnibus igitur contractibus procedendum est ex æquo & bono potius quam ex verbis & summo juris rigore, in quo summa sæpe injuria continetur.

XXIII. 4. Huic bonæ fidei non repugnat, aliquando non præstare promissum: quando scil. promissio desinit obligare: ut. 1. Si res promissa fiat inutilis, illicita vel impossibilis. 2. Si status rerum vel personarum ita mutetur, ut judicio prudentium, promissor non censeatur voluisse comprehendere illum eventum. 3. Si altera pars remittat illud quod in ipsius gratiam fuit promissum. 4 Si alter qui vicissim promisit, nolit implere promissum. 5. Si aliquid promissum sit ob causam, quæ postea reperitur non subesse.

*a* XXIV. 5. Adversatur bonæ fidei simulatio, i. e. calliditas, astutia, fraus, fallacia, aut machinatio & insidiatio, vel verbis, vel factis, adhibita ad alterum in ejus fraudem decipiendum aut circumveniendum. 1 *Thess.* 4. 6. 1 *Cor.* 6. 8. Appellari solet dolus malus, ut distinguatur à dolo bono, quo quisquis decipitur consentaneè ad rationem rectam.

a De dolus malus.

XXV.

XXV. 6. Bonæ fidei repugnat, quatenus tollit ſinceram intentionem præſtandi quod prætenditur ac promitti videtur.

XXVI. 7. Si dolus iſte verſetur circa ſubſtantiam rei, ut ſi quis vendat vitrum pro Margarita, ex natura rei fit irritus contractus, r. e. quia in tali contractu deeſt conſenſus. Emptor enim qui emit Margaritam, non conſentit in vitrum.

XXVII. 8. Similis eſt ratio doli mali, qui contractui dat cauſam præcipuam, quamvis non verſetur in ſubſtantia rei; ut ſi quis inducat emptorem ad margaritam emendam eo ſolo nomine, quia fuit antea patris ipſius, alioqui non empturum. Talis enim contractus vel irritus eſt, vel irritandus, quia ille qui fuit dolo inductus ad contrahendum, paſſus eſt injuriam in ipſo contractu; atque adeo reſtitui debet in integrum per contractus illius reſciſſionem.

XXVIII. 9. Quando dolus incidit tantum in contractum, & verſatur circa accidentia; ut ſi decipiatur quis circa præſtantiam rei quam emit, & dolo inducatur, non ut emat, ſed ut pluris emat quam valeat, non reddit contractum vel plane irritum, vel omnino irritandum: ſed tamen qui decipit, in conſcientia tenetur, ſecundum æquitatem alterius damnum compenſare.

XXIX 10. Hujus generis dolus eſt, quando venditur emptorem celat vitium aliquod occultum rei venditæ, quod damnum vel periculum infert emptori.

XXX. 11. Eodem etiam ſpectat, ſi venditor ſciens futuram brevi magnam copiam mercium, ex cujus occaſione minuetur pretium, & grave damnum paſſurus eſt, qui emit antea pretio currente, neque indicet illud emptori, neque minuat pretium: aut etiam, ſi emptor ſciat, futuram brevi magnam copiam ementium aut mercium inopiam, ex quo augebuntur pretia rerum, & venditor in pauperiem incidet, ſi vendat pretio currente. In iſtis enim caſibus tenemur ſaltem ex communi lege chari-

charitatis providere bono proximi, dummodo fiat sine nostro magno detrimento.

XXXI. 12. Leges illæ civiles quæ confirmant contractum factum cum circumventione, citra dimidium pretii justi, sunt permissivæ tantum ad lites minuendas, non justificant talem contractum, sed relinquunt eum jure naturæ, divino, in foro conscientiæ judicandum.

XXXII. 13. Fidei bonæ opponitur etiam culpa illa, quæ consistit in omissione inconsiderata diligentiæ illius, quæ potuit ac debuit adhiberi ad contractum implendum. Differt à dolo: quia proprie dolus ex proposito, & scienter adhibetur: sed culpa provenit ex inadvertentia; vel inconsideratione, præter propositum ac intentionem. Fidei bonæ repugnat, non quod intentionem sinceram simpliciter excludat, sed quod vel sedulam ac debitam curam eandem perficiendi abesse declarat. Ab Apostolo idcirco recte *levitas* vocatur, 2 *Cor*. 1. 17.

XXXIII. 14. Culpa ista dividitur in latam, levem, & levissimam. Lata culpa est omissio illius diligentiæ quam communiter adhibere solent homines ejusdem conditionis: ut si quis librum commodatum relinqueret in loco publico, unde surripiatur. Levis culpa est omissio illius diligentiæ quam homines diligentes ejusdem conditionis adhibere solent: ut si quis magni pretii depositum relinqueret in cubiculo non obserato, unde surriperetur. Levissima culpa est omissio illius diligentiæ quam homines diligentissimi ejusdem conditiones solent adhibere; ut si tale depositum ita relinquat, ut putet, januam esse obseratam, sed non certo sciat.

XXXIV. 15. Ex culpa lata semper tenentur contrahentes de damno inde secuto. Quia diligentia communis in omnis permissionis obligatione continetur: & ejus omissio bonæ fidei manifeste repugnat. Unde etiam fit quod lata culpa eodem fere loco & ordine haberi soleat, cum dolo malo.

XXXV.

XXXV. 16. Ex culpa levi, vel levissima, eatenus tantum tenentur contrahentes, quatenus vel natura contractus, aut conventio contrahentium postulat, vel etiam leges humanæ ex æquitate sanxerunt

Quæstio quarta. Quid juris sit de fine contractus?

XXXVI. R. 1. Finis contractus semper debet esse aliquid boni. In malum enim neque obligatio neque promissio, neque consensus ferri debet.

XXXVII. 2. Contractus ex ordine tendere debent in bonum ipsorum contrahentium. Versantur enim circa ipsorum bona, non circa aliena. Nemo enim contrahere potest de illis bonis, quæ non habet in sua potestate.

XXXVIII. 3. Quidam contractus fiunt in bonum solius dantis, ut depositum, mandatum. Alii in bonum solius recipientis, ut donatio, mutuum, commodatum. Alii in bonum utriusque, ut emptio, locatio, societas, pignus, permutatio, &c. Hæc autem differentia, quamvis propriè pendeat ex ipsorum contractuum natura; ex contrahentium tamen conventione potest mutari, & varii fines misceri, e. g. depositum aliquando est in bonum etiam depositarii, & commodatum in bonum etiam commodantis.

XXXIX. 4. Proprium commodum quærere solum, in eo contractu qui sua natura tendit in bonum alterius, vel utriusque partis, hoc fraudem sapit, & sæpè justitiæ, semper autem charitati Christianæ repugnat.

XL. R. 1. Effectum omnis legitimi contractus est vinculum obligationis ad illud præstandum in quod consensit. Ratio est. 1. Quia quisque tenetur præstare quod legitimè promisit. 2. Quia ex promissione, & ejus acceptione, acquiritur alteri parti jus exigendi promissum. Unde etiam est, quod nullus contractus possit rescindi parte illa cujus interest invita.

XLI. 2. Hæc obligatio quia non extenditur ultra bonam fidem, idcirco cessat aliquando ex casu mere

re

re fortuito, vel eventu inopinato, qui evenit absque culpa obligati, ut pote qui non potuit humana providentia impediri.

XLIII. 3. Quamvis autem regulariter & ex natura rei, nemo teneatur de casu fortuito absque ejus culpa intercedente; fieri tamen potest ut quis ex singulari conventione teneatur ad talem casum: quia talis obligatio certo pretio potest æstimari.

## CAPUT XLIII.

*De Precii ratione in contractibus venditionis, emptionis, locationis, conductionis, & qui sunt similis naturæ.*

QUæstio prima. Quænam regulæ sunt observandæ ad prætium justum, in hujusmodi contractibus, constituendum?

I. R. 1. Regula illa est primaria, quæ traditur à Spiritu sancto, *Prov.* 20. 14. ne emptor ut pretium possit minuere, dolose detrahat quidquam mercibus emendis; aut venditor, ad pretium augendum, contra conscientiam suam amplificet mercium suarum dignitatem. Nam vili velle emere, & caro vendere, commune quidem est (ut Augustinus observat) sad tamen est vitium commune, nisi intra certum modum & limites consistat.

II. 2. Sequenda est authoritas publica in eis rebus, quarum pretium est à Magistratu constitutum; quod multis in locis usu venire solet, in maxime necessariis, quæ pertinent ad victum. Semper enim (nisi contrarium sit manifestum) præsumitur justum & æquum in istiusmodi rebus communis usus, quod à communitate probatur. Hic tamen observandum est, quod quia in rebus ad vitam necessariis, taxari solet prætium penes terminum magnitudinis, in favorem emptorum, idcirco posse illud pretium minui sed non posse augeri.

III. 3. Sequenda est communis æstimatio fori,

&

& hominum prudentium ac bonorum. Hæc enim æstimatio vim habet tacitæ legis, & excludit periculum deceptionis alicujus cum alterius damno. Hoc sensu admitti potest illa regula, quæ in jure civili, & moribus hominum approbatur: justum esse pretium, si res tanti vendatur, quanti vendi potest: vel rem omnem venalem tanti valere, quanti potest vendi: id est, quanti vendi potest communiter, non ex affectione aut utilitate hujus aut illius hominis singularis.

IV. 4 Ubi neque publica taxatio, neque communis æstimatio potest locum habere, ibi statuendum est pretium (seclusa fraude) secundum judicium intelligentium, omnibus circumstantiis rite consideratis. Certior enim regula in multis haberi non potest ad conventionem dirigendam.

V. 5. Differentia illa notanda est in istis regulis observandis: quod pretium legitimum authoritate publica constitutum consistat in indivisibili, ita ut non possit à venditore vel minimum augeri: sed pretium naturale, per communem æstimationem, aut partium conventionem statuendum, habet suam latitudinem, intra quam potest ex occasione variari. Hinc triplex assignari solet pretium justum. Aliud dicitur rigidum aut supremum, penes terminum magnitudinis: aliud mite, infimum, pium, dulce, penes terminum parvitatis: aliud vero medium, mediocre, & moderatum, penes recessum ab utroque extremo.

Quæstio secunda. An sint aliquæ causæ justæ, justum pretium variandi?

Resp. Dantur causæ variæ.

VI. 1. Prima causa petitur ex ratione officii mercatoris: quia pretio æstimabile est, quod tempus, curas, & cogitationes suas in rebus conquirendis, conservandis, & distrahendis impendit, & conducit etiam operam famulorum; ad quæ facien-

facienda resp. necessario debet publicos ministros conducere, si mercatores deessent. Hinc eadem res majore pretio æstimatur apud mercatores, quam apud alios privatos. Non tamen computare debent mercatores expensas omnes quas fecerunt. Sæpe enim accidere potest, ut inutiliter & non necessario in re aliqua tanta opera sit posita, & tantæ intervenerint expensæ: sed communis rerum æstimatio est sequenda.

VII. Hinc fallaces sunt illæ regulæ, quibus negotiatores solent justificare semetipsos, in pretio majore pro mercibus exigendo, quod scil. tanti emerunt merces illas; quod tantas expensas fecerunt in illis procurandis. Contingere enim potest, ut negotiator vilius vendat quàm emerit, & tamen inique vendat; vel quia stulte emit, vel quia postea mutata est talium mercium æstimatio.

VIII. 2. Secunda causa petitur ex modo vendendi: ex quo sequitur varietas multiplex in pretio augendo ac minuendo.

IX. Quando merx quærit emptorem, hoc facit vilescere pretium rei justum, secundum proverbium commune: merces ultroneæ aut oblatæ vilescunt. Ratio reddi solet, quia in illo modo vendendi est raritas emptorum, & sic minuitur æstimatio communis: sed non videtur illa ratio in conscientia sufficiens ad notabilem pretii imminutionem, nisi illud etiam accedat, quod res illa, quæ venditur, sit parum utilis emptori, aut talis qualem non esset empturus, nisi ex tali occasione: aut non tam in suam, quam in venditoris gratiam eandem emat.

X. Ex hac regula sæpe fit: ut merces in auctione, sub hasta, vel publica voce præconis, minus pretium habeant, quàm solent alias habere.

XI. 2. Quando emptores quærunt merces. Tum enim copia emptorum auget æstimationem communem, & sic causa est justa pretium augendi.

XII. 3. Quando aliquis vendit simul magnam copiam rerum, & non minutim; hic vendendi modus

dus minuit pretium, quia minuit copiam emptorum, & potestatem rursus ex occasione vendendi, sine detrimento aut periculo damni.

XIII. 4. Quando vendit aliquis minutim vel per mensuras minutiores, hic modus justum rei pretium juste auget: quia sic major est labor in vendendo; & major cura & industria, in mercibus servandis ac dividendis.

XIV. 5. Tertia causa est, si venditor ex venditione passurus sit incommodum aliquod singulare quamvis illud incommodum consistat tantum in privatione honoris, aut delectationis singularis. Tum enim venditor potest aliquid amplius exigere, quàm res secundum se valeret, & pretium per accidens erit justum: quia æquitas naturalis postulat, ut venditor, qui est dominus rei suæ, servet se indemnem.

XV. Sed hoc tum demum verum est, quando emptor sollicitat venditorem, ut rem illam vendat, quàm alias non esset venditurus. Si enim venditor, ultro se offert ad vendendum, tunc emptor non est causa quod venditor suo commodo privetur.

## CAPUT XLIV.

### *De Contractu usurario.*

QUæstio prima. Quid sit usura?

R. 1. Usura (in ista materia contractuum) per accommodationem describi solet, lucrum ex mutuo quæsitum vi ipsius mutui.

II. 2. Per *lucrum* autem intelligitur acquisitio commodi pecunia æstimabilis, quod alias meum non erat. Si enim quis amicitiam ac benevolentiam quærat, non est usura: qui non est de numero eorum, quæ pretio æstimantur. Si etiam quis in mutuo dando illud tantum quærat, ut accipiat aliquid sibi debitum virtute alterius alicujus contractus aut obligationis, non est usura: quia non acciperet aliquis

quis alias non suum. Si tamen quis non quæreret pecuniam, aut merces, sed obsequium, munus, aut oneris alicujus impositionem, recte vocatur lucrum usurarium, quia est pretio æstimabile.

III. 3. *Ut ipsius mutui* dicitur, ad excludendum lucrum quod ex alio titulo accipi potest. Ut in compensationem damni emergentis, vel lucri cessantis, &c. Cujus generis lucrum vocari solet *quod interest*, & ab *usura* ac *fœnore* distingui.

IV. 4. *Quæsitum* dicitur hoc lucrum, non *conventum*: quia non tantum usura *realis*, in qua pactum intercedit, sed & *mentalis*, quæ versatur in intentione lucrum ut debitum ex mutuo acquirendi, ista descriptione continetur.

Quæstio secunda. An usura hujusmodi sit licita?

V. R. 1. Usura talis, qualis à danistis ac fœneratoribus vulgo exercetur, ab omnibus merito improbatur. Quia ars est captatoria, quæ nulla ratione habita caritatis aut æquitatis, aliorū bonis insidiatur.

VI. 2. Generaliter tamen & absolutè illicitam esse quamlibet usuram, nulla ratione naturali solidè probari potest.

VII. Non eorum, qui dicunt, mutuum ex natura sua debere esse gratuitum. Neque enim probari hoc potest, omne mutuum, quibuscunque circumstantiis vestiatur, debere esse gratuitum: & si concedatur hoc, nihil aliud inde sequetur, quàm mutuum, si gratis non fiat, transire in alium contractum, vel, nominatum, vel innominatum, vel simplicem, vel mixtum.

VIII. Non eorum, qui allegant, in rebus illis quæ usu consumuntur, dominium non distingui ab usu; atque adeo pro usu nihil posse accipi, ultra valorem ipsius rei vel dominii ejus. Respondetur enim, lucrum accipi non simpliciter pro usu rei mutuatæ, quoad substantiam, sed quoad valorem aut proventum, qui manet post substantiam consumptam & subsistit sæpe in rebus, quæ usu non consumuntur; & pro officio vel actu mutandi.

unde commodum percipit mutuatarius.

IX. Non eorum qui objiciunt, pecuniam sua natura esse sterilem. Quamvis enim per se sit sterilis, facile tamen commutari potest in merces, quæ fructum edunt: & accedente industria utentis, vim suam confert ad fructum pariendum.

X. Non denique eorum qui in genere dicunt, nihil esse in mutuo pro quo lucrum possit accipi. Est enim proventus fructus, vel emolumentum quod ex pecunia mutuo data probabiliter potest exspectari: & est onus annexum privationi pecuniæ, quæ fit, ut omnis occasio eandem cum fructu alio collocandi omittatur. Vacatio etenim à pecunia utenda, eodem jure æstimari posse videtur, quo & vocatio à labore æstimatur. *Exod.* 21. 19. cum illa non minus quàm labor, aut opera in domini sui commodum occupari possit.

XI. Ratione evidente confirmatur, aliquam usuram esse licitam: quia nulla realis differentia potest ostendi inter quandam usuram, & alios contractus ab omnibus probatos. e. g. est aliquis pecunia instructus ad prædium emendum, unde possit percipere annuos fructus centum imperialium: idem prædium cupit alter habere, sed non est pecunia instructus: si prior ille emat prædium, & elocet alteri pro centum imperialibus, quin justum & æquum fecerit, nemo negabit. Si verò alteri det pecuniam ad idem prædium sibi emendum, & eandem summam ab eo accipiat, eidem periculo sese subjiciens, cui in exemptione sua fuisset obnoxius, eadem prorsus est justitia, & præterea nonnihil accedit alteri illi, qui solvit usuras, ratione dominii in prædium illud, quod emptione sua acquisivit.

XII. Scriptura non tollit omnem omnino usuram: sed I. illam quæ exigitur ab egeno, qui ob instantem necessitatem, & sustentationem suam, aliquid mutuo petit: ita ut prohibitio fundetur in conditione personæ. *Exod.* 22. 25. *Lev.* 25. 35. *Prov.* 28. 8. *Ezech.* 18. 17. II. illam quæ mordet aut rodit: id est,

quando

quando debitum exigitur cum rigore, & proximi damno. III. illam quæ charitati repugnat, *Luc.* 6. 35. IV. forsan & illam omnem, quæ ex lege politica Judæis inter se exercere non licebat. *Deut.* 23. 19.

XIII. Scriptura indicare videtur, aliquam usuram esse per se licitam, dum à quolibet non egeno extraneo accipere usuras Judæis permittebat, *Deut.* 23. 20. Si enim usura omnis esset intrinsecè ac sua natura mala, tum non poterant Judæi à gentibus accipere usuras, sine scandalo gravi, quo gentes averterentur à religione ac lege Judæorum, quæ admitteret rem illicitam tanquam licitam. Huc etiam referri potest, quod maxime probabile sit ex parabola illa de talentis. *Matth.* 25. 27. non tantum in vulgari usu fuisse apud Judæos mensariorum aliquod fœnus, sed etiam à Domino non fuisse improbatum: quia sub illa similitudine exigit officium spirituale, sine ulla insinuatione alicujs improbationis, qualem in aliis parabolis; quæ ab usu improbato officium illustrabant, solebat adhibere, ut *Luc.* 16. 8.

Quæstio tertia. Ex quo fundamento possit æquitas lucri ex pecuniæ mutuatione demonstrari?

XIV. R 1. Æquitas est manifesta, de qua nemo potest dubitare, si quis nullum certum redditum vel summam sibi præcise pendi stipuletur, sed ita pecuniam suam apud probum virum collocet, ut in illius fide acquiescat ac contentus sit æquam partem fructus pecuniæ percipere, pro ratione benedictionis Dei erga ipsum pecuniæ exercitorem. De hujusmodi pecuniæ collocatione nulla potest esse quæstio, si periculum Capitalis maneat commune. Nihil enim est aliud quam contractus societatis in lucro & damno.

XV. 2. Nihil contra æquitatem committitur, si lucrum incertum quod probabiliter sequetur, vendatur pro certo moderato.

XVI. 3. Neque iniquitatis quidquam est in eo, si contractus fiat legibus æquis, ut totum periculum capitalis pertineat ad eum qui pecuniam exer-

cet. Nihil enim aliud est quàm contractus assecurationis, quo alienæ rei periculum pretio æstimabile suscipitur pro pretio.

XVII. 4. Non necessario requiritur ut istiusmodi contractus distincte & expresse fiant; sed satis est, fiant implicite, ex intentione sincera, & secundum æstimationem proborum & istiusmodi rerum intelligentium virorum.

XVIII 5. Quum igitur isto omnes contractus separatim liciti sint, ut omnes concedunt, necessario sequitur, contractum mixtum & compositum ex istis, vid. ex contractu societatis, assecurationis, sortis & venditionis lucri incerti pro certo, non esse simpliciter & absolute improbandum.

Quæstio quarta. Quænam observanda sunt ad peccatum vitandum in pecunia exponenda?

XIX. R. 1. Cavendum inprimis, ne quid ultra sortem exigatur ab eis, qui sunt egeni.

XX. 2. Cavendum etiam ne lucri aviditas aliquo modo impediat quenquam, quo minus vel egentes, mutuo dando, vel prorsus pauperes simpliciter donando juvet, pro ratione suarum facultatum.

XXI. 3. Cavendus est omnis excessus; ad quem devitandum, tutissimum est, eum qui pecuniam exponit, non totum illud exigere quod legibus & usu recepto licet, sed circa illud quod permittitur sese continere.

VXII. 4. Ratio semper habenda est illius, qui cum res est, ut cum ejus commodo non damno fructus pecuniæ redeat ad illum, qui mutuo dedit. Hinc summum jus non potest sæpe sine summa injuria urgeri. E g. si quis absque sua culpa jacturam fecerit in negociatione quam facit ex pecunia mutuo accepta, inhumanum esset ab ipso exigere pecuniæ proventum, i.e. lucrum percipere ex ejus damno. Hanc æquitatem etiam in locatione & conductione naturalis conscientia videtur dictare; ut si vel sterilitas, vel calamitas superveniens tanta sit,

ſit, ut conductor damnum notabile patiatur ex re conducta penſio ille ſit à locatore remittenda vel tota, vel ex damni facti proportione.

XXIII. 5. Spectanda ſemper & obſervanda regula æquitatis & caritatis: ut illud tantum accipiatur, quod quiſque bona fide, velle à ſe accipi, in ſimili neceſſitate deprehenſus.

XXIV. 6. Offenſiones, & calumniæ (quibus obnoxium eſt hoc genus contractuum. *Jer.* 15.10.) declinari ſemper debent, quantum fieri poteſt.

## CAPUT XLV.

### *De Contractu Sponſionum, Sortium & Ludorum.*

QUæſtio prima. Quid ſit ſponſio?

I. R. Eſt contractus, in quo duobus circa veritatem aliquam contendentibus, viciſſim aliquod ſpondent, ex quo præmio afficietur is, qui veritatem fuerit aſſecutus, & pœna ille qui veritatem non attigerit. Exemplum habemus in ænigmate Samſon? *Jud.* 4. 13. 14.

Quæſtio ſecunda. An hujuſmodi ſponſiones ſint licitæ?

II. R. 1. Actus ſponſionis per ſe conſideratus non eſt plane injuſtus: quia periculum tantum unius, opponitur periculo alterius: qualia pericula poſſunt aliquando ſubiri, & inter ſe commutari.

III. 2. Poteſt quis aliquando voluntariæ mulctæ periculum ſubire ad ſuam conjecturam confirmandam: & illa mulcta poteſt ab altero merito expoſci. ſi modo temere ſuæ conjecturæ confidit.

IV. 3. Poteſt etiam inter duos præmium aliquod ſtatui, ex mutuo conſenſu, de eventu aliquo dubio, ut ſpe illius præmii hic aut ille ad laudabilem induſtriam excitetur.

V. 5. Sponſiones tamen ſunt illicitæ 1. ſi conditionem habeant illicitam, ut ſi duo certent inter ſe de hoc aut illo peccato; ut quis alterum vincat

potando; quis audacius sese gerat in hoc aut illo negotio improbando, &c. 2. si cedant in notabile damnum alterius partis. Istiusmodi enim periculum non debet subiri in contractu illo, qui nulli notabili utilitati vel publicæ vel privatæ deservit, quales sunt sponsiones vulgares. Et lucrum illud habendum est pro turpi, quod ex alterius damno assurgit. Hinc contractus ille de ænigmate Samsonis merito damnatur postea ab ipsis Philistæis, quia tendebat ad ipsos hæreditate sua spoliandos. *Iod* 14.16.

VI. 5. Ad contractum sponsionum non debet referri census qui vocatur *vitalitius*, quo quis dat summam pecuniæ, ut accipiat singulis annis certam pensionem quoad vixerit. Non enim spondet ille, se fore incolumem usque dum pensiones superaverint sortem; neque contra spondet alter. Contractus enim talis est emptionis ac venditionis, quo incertum lucrum emitur pretio certo: & pro licito habetur secundum naturam & leges talis emptionis, non ratione fictitiæ alicujus sponsionis.

Quæstio tertia. *a* Quid sit contractus sortium?

VII. Resp. 1. Contractus, quo vi conventionis præviæ mittuntur sortes, ex quibus constet, quis hanc aut illam rem obtinere debeat.

VIII. 2. Hujusmodi contractus aliquando fit inter eos, qui antea jus habuerunt ad illam rem, circa quam sors versatur; sive sit dividenda inter multos, ut in distributione terræ Canaan, *Jos*. 18. sive tota unum debeat devenire, ut in veste Domini huic aut illi adjudicanda. *Ioh*.19 24. ad quam speciem etiam reduci possunt sortes illæ, quæ *Lusoriæ* vocantur. Aliquando autem fit inter eos, qui antea nullum commune jus habuerunt ad rem sorte disponendam; ut quando aliquid unum, aut plura exponuntur per sortes quasi vendenda, & varii concurrunt ad eandem per sortes acquirendam: ut in sortilegiis illis, quæ vulgo vocantur *Lotteriæ*; aut quando sortes ordinantur vel ad electionem ali-

*a* De contractu sortium.

quam

quam faciendam, ut in electione Matthiæ. *Act.* 1. 26.

Quæstio quarta. Quid juris sit de hujusmodi contractu?

IX. R. Contractus iste per se licitus est, & in Scriptura variis exemplis approbatus. Ratio est, quia quod singuli invicem periculo sortis exponant æquale jus ad rem aliquam, vel quam partem ex ea debeant accipere, est commutatio quædam æqualis.

X. Sed tamen variis modis vertitur in peccatum, 1. Si quis in sortibus dirigendis, vel ab astris pendeat, vel ab angelis, vel à fortuna. 2 Si intendatur quod in se non est licitum, vel si illicitus admisceatur modus agendi. 3. Si denique vel absque gravi causa, vel absque debita reverentia adhibeantur: quia ex natura sua, missio sortium singularem quandam relationem habet ad specialem Dei providentiam. *Prov.* 16. 33.

Quæstio quinta. Quid est contractus ludi?

XI. Resp. 1. Est contractus, quo ludentes inter se conveniunt, ut victori aliquid tribuatur à victo. Sive enim victori tribuatur totum illud quod deponitur ab utroque, sive depositum fuit à victo, in communem usum impendatur, semper victori aliquid tribuitur à victo.

XII. 2. Est aliquid mixtum ex duobus contractibus: quorum primus est mutua commutatio periculi & interesse: in commodum hujus aut illius, secundum eventum ludi; secundus est sponsio ex peritia, industria, vel felicitate majore suspensa.

Quæstio sexta. An talis contractus sit licitus?

XIII. Resp. 1. Non est per se illicitus: quia potest conventio talis esse in justa potestate convenientium; potest ordinari ad finem bonum ex intentione bona, & potest eo modo exerceri; ut nullam violationem secum trahat vel religionis, vel justitiæ, vel charitatis.

XIV. 2. Intentio notabilis alicujus lucri ex ludo reddit illum vitiosum. 1. Quia finis ludi est recreatio & oblectatio ludentium. Est igitur abusus

naturæ ludi contrarius, si lucri causa instituatur, & in unius partis notabile incommodum convertatur. 2. Vel paritas supponitur inter colludentes, & sic prodigalis temeritas est, notabilem pecuniæ summam tali periculo exponere absque ulla necessitate; vel de imparitate aliqua cogitatur, & sic dolo & iniquitate vitiatur contractus, dum usus vel nullum vel exiguum suum periculum damni, cum spe ferè certa lucri, alterius maximo periculo opponit. 3. Nemo mortalis tam absolutus est dominus suæ pecuniæ, ut notabilem summam vel alienare, vel exponere periculo alienationis possit, absque justa causa in verbo Dei probata: quod de ludo per se conisiderato non potest affirmari.

4. Non licet quiquam lucrum quærere ex alterius damno: hoc autem fit manifeste, in ludo lucri causa instituto: & hoc respectu, lucrum ex ludis est turpe lucrum: neque magis à vulgo probaretur quam aliæ species avaritiæ, quæ sordidiores habentur, nisi quod prodigalitatis aliquid habeat conjunctum, cui magnificentia quædam inesse videtur.

XV. 3. Modicum illud, in quod ludere, licet, pro ratione conditionis ludentium aliquam admittit variationem. Sed certum est, non licere cuiquam plus exponere in ludo quam justam proportionem habet ad finem ludi, i. e. quam homo talis conditionis possit ex recta ratione impendere suæ recreationi.

XVI. 4. Illi ludi qui sorte constant, aut sorte præcipuè nituntur, ab istiusmodi contractibus sunt removendi. Nam 1. Nullum est in sortibus certamen aut exercitium alicujus virtutis, ad quam solam excitandum sicut præmia debent publice proponi, sic etiam constitui ex privata consensione. 2. Sors ex natura suâ specialem continet appellationem ad providentiam illam à qua gubernatur, atque adeo est res sacra: verum autem vetus verbum, *Non est bonum ludere cum sanctis*. 3. Istiusmodi ludi ex natura sua singularem occasionem præbent luso-

lusoribus variorum peccatorum: ut 1. gravissimarum perturbationum, execrationum & blasphemiarum, propter adversam (ut appellant) fortunam. 2. Immodicæ pertinaciæ in continuatione ludi, propter spem fortunæ melioris, cujus abjiciendæ causam nullam possunt videre. 3. Jacturæ temporis, atque etiam pecuniæ, nullo solido fructu inde cuiquam redundante.

XVII. Hinc est, quod in Scripturis legamus de aliis exercitiis virtutis causa habitis & probatis: ut de arcu tractando. 2 *Sam*. 1. 18. Sed ludus aleæ, aut alcatorius, in Scripturis nullam habet approbationem, & omnibus fere legibus prohibetur, quamvis tales leges pravis moribus cedere cogantur.

## CAPUT XLVI.

### *De occupatione vitæ.*

QUæstio prima. An quis extra certam occupationem vitæ vivere possit absque peccato?

I. R. Qui tantum habet virium & donorum à Deo sibi concessorum, ut in honesta aliqua functione laudabiliter possit versari, si ab omni occupatione vitæ abstineat sua sponte, non potest à gravi peccato excusari. Nam 1. Hæc est ordinatio Dei, ut in speciali aliqua functione unusquisque aliis inserviendo Deum glorificet. *Gen*. 2. 15. *&* 3. 19. 1 *Petr*. 4. 10. *Gal*. 5. 13. 1 *Thess*. 4. 11 In istum finem quisque accepit à Deo suum talentum, aut saltem particulam aliquam talenti; quæ sine peccato non potest defodi. *Matt*. 25. 3. Iners otium fugiendum est tanquam mater & nutricula multorum vitiorum, præcipuè malarum cogitationum, cupiditatum, curiositatum & machinationum malarum. 1 *Thess*. 4. 11. *&* 2 *Thess*. 3. 11. 4. Gloria Dei, utilitas publica, & privata, nec non conscientiæ lætitia ex honesta functione quæri possunt ac debent.

II. *a* Hinc validi mendicantes errones non sunt

*a* De mendicis.

tolerandi. 1. Quia ex professo opponunt sese ordinationi divinæ. 2. Oneri sunt aliis absque ulla necessitate. 3. Veros pauperes ex parte saltem spoliant eleemosynis, quas acciperent, nisi à talibus interciperetur. 4. Non gerunt se ut membra vel Ecclesiæ, vel Reip. ullius. 5. Directe se disponunt ad multa genera flagitiorum.

Quæstio secunda. Quomodo quis scire possit, hanc aut illam occupationem vitæ esse honestam?

III. R. 1. Si in Scripturis manifeste approbetur. 2. Si ex analogia earum, quæ in Scripturis approbantur, versetur circa id quod licitum est in se, utile generi humano, & famæ bonæ. *Ephes.* 4. 23. *Phil.* 2. 8.

IV. Hinc 1. illi qui occupantur in vitiis hominum fovendis, & promovendis, ut caupones illi qui non inserviunt necessitati peregrinorum, & advenarum, sed intemperantiæ vicinorum, inhonestam vitam agunt.

V. 2. Illi qui sectantur artes ridiculas, jocularias, ludicras, scurriles, aut eo facientes, non possunt in eis acquiscere, tanquam in honesta vitæ ratione. Nam 1. nihil in istiusmodi artibus reperitur, quod dignum est vita humana. 2. Ordinem naturæ invertunt, dum laboris remissionem convertunt in laborem. 3. Semetipsos ineptos reddunt ad seria & gravia officia Christianorum. 4. Operam suam diabolo solent navare in hominibus tentandis, dum carnales ipsorum cupiditates excitant & accendunt.

VI. 3. Illorum etiam occupatio, qui occasiones captant sua commoda ex aliorum incommodis quærendi, qualis est conditio vulgarium fœneratorum, non potest ut honesta probari.

Quæstio tertia. Quænam requiruntur ad honestam vocationem honestè exercendam?

VII. Resp. 1. Requiritur peritia, qua quisque illa, quæ ad suam occupationem spectant, probè nota habet & perspecta. *Prov.* 14. 8.

VIII.

VIII. 2. Requiritur attentio ad officia propria magis quàm aliena. 2 *Theſſ*.3.11. 1 *Tim*.5.13. 1 *Petr*. 4. 15.

IX. 3. Requiritur ſedula diligentia in negotiis obeundis. *Prov*.10.4. & 13.4. & 21. 5. & 27.23,24. *Eccleſ*. 10. 12.

X. 4. Requiritur prudentia in opportunitate commoda obſervanda, captanda, & recte utenda. *Prov*.10.5. & 21.5. *Eccleſ*.10.8.

XI. 5. Requiritur fortitudo & conſtantia in difficultatibus ſuperandis. *Prov*.15.19. & 20.4. & 26 16.

XII. 6. Requiritur moderatio appetitionis lucri, & curæ ſucceſſuum optatorum. 1 *Tim*. 6.9. *Matth*. 6. 34. *Prov*. 28. 20, 22.

XIII. 7. Requiritur denique religioſa ſanctificatio omnium noſtrorum laborum. 1 *Cor*.10.31. *Gen*. 24.13,27. *Pſal*.90. *ult*.

## CAPUT XLVII.

### *De Paupertate & Divitiis*.

QUæſtio prima. Quo loco habenda eſt paupertas?

I. R. 1. Paupertas ſimulata eſt ingratitudo erga Deum, cujus benedictio abnegatur, & injuria erga homines tam illos, quibus auxilium debitum denegatur, quàm illos qui propterea magis onerantur, *Prov*. 13. 7.

II. Talis autem eſt paupertas magnæ partis Monachorum Pontificiorum, qui voce & habitu profitentur paupertatem; ſed re ipſa ſunt ditiſſimi, fundos ampliſſimos, maximos reditus, ſummaſq; opes poſſidentes. Ridicula enim eſt illa defenſio eorum: quod conventus, vel fratres in conventu, in communi, & indiviſim poſſideant iſta bona, ita ut ſinguli nihil inde vendere, vel alienare, vel etiam accipere pro arbitrio ſuo poſſint. Nam 1. ſi conventus ſit dives, Monachi in illo conventu non poſſunt eſſe pauperes. Si enim unuſquiſque illorum pauper eſt, &

& conventus dives, tum eadem ratione singulæ partes alicujus corporis possunt esse albæ, & totum corpus nigrum. 2. Hæredes alicujus Principis aut prædivitis hominis, quamvis indivisim possideant hæreditatem, & prohibiti sint aliquid ejus vendere aut alienare, pro pauperibus non solent aut possunt haberi. 3. Si duo vel plures homines seculares, bona sua simul conferant alicui procuratori, ea lege aut conditione, ut uniquique necessaria prout opus fuerit, vel seorsim, vel conjunctim manifestaret, isti certè divitias non deponerent, sed onus, curam, & solicitudinem earum: quemadmodum Potiphar Ægyptius seorsim fecit, *Gen* 39. 8. & aliquo modo Pharao *cap*. 41. 4. Unusquisque monachus habet jus pretendi portionem suam congruam, ita ut si denegetur ipsi absque justa causa, injuria æstimetur, & habeat actionem adversus conventum coram judice competente persequendam. 5. Notum est, multos ingredi monasteria, ut fugiant paupertatem, quia non habent aliàs unde otiosè vivere possint: & multos à parentibus & propinquis in claustra detrudi, ut certius ipsis de victu necessario prospiciatur. 6. Multi denique ingrediuntur monasteria, ut gradum & viam sibi faciant ad Papales dignitates, aut munera; ex quibus & ipsi ditescere, & suos ditare possint.

III. 2. Paupertas vera, si sit directè expetita & quæsita, quæ vocari solet voluntaria, & sine speciali vocatione, aut necessitate cogente accersitur, est insania damnanda. 1. Quia talis pauper non prospicit sibi & suis ex ordine naturæ à Deo approbato. 2. Quia eligit & quærit malum pœnæ. 3. Quia variis tentationibus semetipsum temere exponit. 4. Quia inhabilem se reddit ad officia multa, quæ proximo debentur ab eis, qui habent externas facultates. 5. Quia hoc est Deum tentare, si quis habens unde possit sustentari, illud abjiciat, exspectans à Deo sustentationem. 6. Rejicit illud quod quotidie petit à Deo, id est, panem suum quotidianum.

7. Absque

7. Absque ulla necessitate gravat eos, à quibus accipit, & pauperes alios fraudat, qui eandem accepisset, nisi ille intercepisset. Talis est paupertas quorundam inter Monachos Papales, eorum scilicet qui ex eo tantum vivunt, quod mendicatione de die in diem acquirunt. Sed addunt etiam huic insaniæ superstitiosam & impiam præsumptionem, quatenus paupertatem istam venditant pro opere perfectionis, & supererogationis, ad satisfactionem & meritum coram Deo plurimum valentis.

IV. 3. Paupertas vera, quæ est necessaria, & aliunde illata, non studio quæsita, quæ maxima ex parte conjunguntur cum infirmitate, debilitate, vel simili defectu, quo fit ut non possit pauper semetipsum labore sustentare, hæc paupertas in se, & per se, nihil habet vitii, aut culpæ pudendæ: sed sæpe immititur piis à Deo, vel ut castigatio, vel ut exploratio, aut tentatio, vel ut utrumque. Est igitur status miserabilis, sed talis tamen quæ ordinatione & gratia Dei veris fidelibus cooperatur ad salutem.

V. Hinc 1. istiusmodi pauperes cavere debent inprimis ne animum nimis abjiciant. *Prov.* 13. 15. 2. Neve obmurmurent adversus providentiam divinam, ut illicitis mediis utantur ad semetipsos sublevandos, *Prov.* 30. 9. 3. ut ab omni invidia liberi gerant se prout pauperes decet. *Prov.* 18. 23. Hinc etiam cavendum est aliis ne pauperes irrideant, & contemnant, aversentur, aut etiam pro viribus juvare recusent. *Prov.* 14. 10. *&* 17. 5. *&* 19. 5. 7. 17. *Luc.* 2, 3, 4.

Quæst. secunda. Quo loco habendæ sunt divitiæ?

VI. R. 1. Divitiæ absolute & per se consideratæ, neque sunt bonæ, neque malæ moraliter, sed res mediæ, vel indifferentes, quibus possunt homines vel bene uti, vel male.

VII. 2. Quia verò ex sua natura ordinatæ sunt ad bonum usum, *Prov.* 3. 9. idcirco quamvis non sint bona moralia, utilia tamen vel commoda bona,

na, atque adeo dona & benedictiones Dei recte dicuntur, *Prov.* 10. 22.

VIII. 3. Ratione tamen corruptionis & infirmitatis humanæ, tanto cum periculo conjuncta est possessio magnarum divitiarum, ut contineat in sese malum gravis & periculosæ tentationis; ita ut difficile admodum sit diviti intrare in regnum cœlorum. *Matth.* 19. 23. Quo respectu, comparantur denso luto aggravanti & inquinanti tenentem, *Hab.* 2 6. spinis quæ pungunt & lacerant eos à quibus tractantur, & sementem omnem spiritualem strangulant ac suffocant. *Matth.* 13. 22. laqueo irretienti, & sagittæ animam transfigenti 1 *Tim.* 6. 9, 10.

IX. 4. Speciales autem tentationes divitiarum sunt ad superbiam, ad fiduciam vanam & idololatricam in eis collocandam; ad mundi amorem; ad luxum denique & quaslibet cupiditates prosequendas, cum Dei contemptu, 1 *Tim.* 6. 17. *Eph.* 5. 5. *Prov.* 30. 9. *Luc.* 16. 9.

X. 5. Hinc I. Divitiæ non sunt absolute expetendæ. *Prov.* 23. 4, 5. 1 *Tim.* 6. 8, 9, 10. II. Si ex Dei providentia affluant divitiæ, serio & sedulo muniendus est animus adversus illa vitia, quæ eas comitari solent. *Psal.* 62. 11. III. Tam oratione apud Deum, quàm omni studio id agendum, ut divitiæ sint nobis instrumenta pietatis.

## CAPUT XLVIII.

### *De Parsimonia & Frugalitate.*

QUæstio prima. Quid requiritur ad Parsimoniam honestam?

I. R. 1. Requiritur 1. ut caveamus nobis ab inutili profusione eorum, quæ possunt in usus vel commodos vel honestos impendi. *Prov.* 21. 17. Hanc regulam ut rectæ rationi & doctrinæ Christi consentaneam, male quidem, sed confidenter tamen applicabant discipuli quidam, & præcipuè Judas, ad

Mariæ

Mariæ factum circa funerationem Christi carpendum. *Matth* 16 8,9. *Marc*.14.4,5. *Joh*.12.4.

II.2. Requiritur 2. ut videamus ne ex eis, quæ usui esse possunt, quidquam notabile perdatur. *Joh*.6.12.

III. 3. Requiritur 3. ut neque ex tenacitate invideamus nobismetipsis usum justum eorum, quæ habeamus, *Eccl* 1.2. neque eadem stulte absorbeamus. *Prov*. 21. 20.

IV.5. Requiritur denique, ut ista cura non procedat ex amore divitiarum; sed ex conscientia erga Deum, cujus beneficiis uti, non abuti debemus & ex studio nostris necessitatibus prospiciendi, & aliis benefaciendi. Parsimonia enim honesta non impedit, sed promovet liberalitatem, aliasque virtutes.

Quæstio secunda. Quid requiritur ad honestam frugalitatem?

V. R. 1. Requiritur 1 ne in res vanas aut nullam frugem ferentes pecuniam impendamus. *Esa*. 55:2.

VI. 2. Ne simus amatores deliciarum. *Prov*. 21. 17. *Luc*. 16. 19.

VII. 3. Ut pecuniam expendamus circa illa quæ solidum usum habent. *Prov*. 31. 13, 16.

VIII. 4. Ut in pios usus promptè exponamus quod possumus, certissimum inde fructum exspectantes. *Prov*.11.24. & 19.17. *Hag*.14.8. *&c*.

## CAPUT XLIX.

### *De Liberalitate & Misecordia.*

QUæstio prima. Quorum est liberalitatem & misericordiam exercere?

I. Resp. 1. Quoad affectionem & dispositionem animi, & etiam quoad conatum aliquo modo aliis commodandi, officia hæc sunt ad omnes homines ex æquo spectantia.

II. 2. Quoad opus ipsum externum donandi aliquid, quo indigentiæ alterius subvenitur (quæ est definitio eleemosynæ) officium hoc, est eorum tantum

tum qui habent aliquid proprium, cujus donandi potestatem habent. 1 *Ioh*. 3. 17.

III. 3. Pertinet igitur hoc officium non tantum ad divites, sed etiam ad tenuioris conditionis homines, qui labore manuum quæritant sibi victum. *Eph*. 4. 28.

IV. 4. Illi qui ita sunt aliis subditi, ut nihil proprium habeant, vel quoad dominium & usumfructum, vel quoad usumfructum solum, hactenus ab hoc officio sunt exempti, ut nihil possint aliis erogare sine tacito saltem consensu superiorum.

V. 5. Neque omnes qui habent aliquid proprium, statim tenentur illud indigentibus donare. Ex ordine enim succurrere aliis debemus ex eis quæ nobis superfluunt. 1 *Cor*. 8. 13. quod intelligendum est 1. de superfluis ad necessitatem vitæ. 2. De superfluis ad necessitatem status aut conditionis vitæ in qua positi sumus, id est, eis quibus citra vitæ aut status detrimentum possumus carere. Sed extraordinarius aliquis casus exigere potest, ut etiam de eis quæ necessaria statui habentur, sint eroganda; & hoc est supra vires dare. 2 *Cor*. 8. 2, 3.

Quæst. secunda. Quibus danda sit eleemosyna?

VI. R. 1. Indigentibus, qui non possunt semetipsos sustentare. *Matt*. 23. 35, 36. *Actor*. 20. 34. 35.

VII. 2. Quum indigentia triplicem gradum admittat, ita ut in aliis sit extrema, cum periculo mortis vel peccati conjuncta; in aliis gravis, cum periculo incommodi magni; in aliis communis, levamen aliquod exposcens, differentia inde sequitur obligationis; quia extremè indigenti tenemur succurrere etiam ex necessariis ad statum nostrum (vita enim proximi pluris facienda est quàm externus noster status.) Graviter indigenti tenemur succurrere ex eis, quæ necessaria sunt ad decentiam status. Communi modo laboranti, ex eis, quæ superflua sunt ad decentiam status nostri.

Quæstio tertia. Quis ordo servandus sit in eleemosyna facienda?

VIII. R.

VIII. R. 1. Cæteris paribus, ſuccurrendum eſt majori & graviori neceſſitati potius quam minus gravi. 2. In ſimili neceſſitate, præferendi ſunt illi, in quibus plures dilectionis rationes dignoſcuntur: ut conjunctiores minus conjunctis, domeſtici fidei in infidelibus; meliores minus bonis; utiliores Eccleſiæ, vel reip. minus utilibus, &c. *Matt.* 15. 5. 6. 1 *Tim.* 5. 8. *Gal.* 6. 10. *Deut.* 5. 7.

IX. Quamvis autem adhibenda ſit diligentia, ut potius bonis quàm malis ſuccurramus, præſertim ſi veriſimile ſit, eleemoſynam noſtram futuram illis vel materiam vel inſtrumentum Deum glorificandi, iſtis autem occaſionem peccandi; non tamen idcirco curioſe inquirenda ſunt occulta pauperum peccata: quia caritas non facile cogitat malum. 1 *Cor.* 13. 5.

Quæſtio quarta. Quomodo eleemoſynæ ſunt faciendæ?

X. R. 1. Ex religione erga Deum, & ſtudio honoris ejus. *Prov.* 3. 9, 1 *Cor.* 8. 3.

XI. 2. Ex affectu charitatis & miſericordiæ fraternæ. 1 *Cor.* 13. 3.

XII. 3. Ex officii conſcientia humili coram Deo, non ex ambitione inanis gloriæ coram hominibus. *Matth.* 6. 1, 2.

XIII. 4. Cum pauperum honore, non contemtu & pudore. 1 *Cor.* 11. 22.

XIV. 5. Cum animi & vultus hilaritate & benignitate, non cum triſtitia vel quaſi ex coactione. 2 *Cor.* 9. 7. *Rom.* 12. 1.

XV. 6. Promptè, ſine cunctatione. *Prov.* 3. 27. 28.

Quæſtio quinta. Quantum in eleemoſynis ſit erogandum?

XVI. R. 1. Pro generali regula debet haberi, ne parcè hic agamus, ſed potius copioſè. 2 *Cor.* 6. 9.

XVII. 2. Menſura largitionis noſtræ in communi pendet ex menſura benedictionis Dei erga nos in rebus externis. 1 *Cor.* 16. 2.

XVIII. 3. Spectandum hic eſt diligenter, quid pie-

pietas & charitas dictare solet optimis Christianis, ut vel paria faciamus, si pares habeamus facultates, vel secundum proportionem æquam. 2 *Cor*. 9. 2.

XIX. 4. Illud etiam certum est, omnibus & singulis plus multo in istiusmodi pios usus esse exponendum, quàm in voluptates insumant.

XX. 5. Quantum hic & nunc sit largiendum, hoc non nisi ex prudenti circumstantiarum omnium consideratione potest definiri.

Quæstio sexta. Quibus potissimum rationibus excitari debeamus ad eleemosynas faciendas?

XXI. R. In hoc officio singularis quædam excellentia reperitur. Quemadmodum enim charitas est omnium virtutum excellentissima. 1 *Cor* 13. & misericordia est excellens modus charitatis; sic opus hoc charitatis & misericordiæ excellentiam suam habet beatam. *Actor*. 20. 35.

XXII. 2. Non solum voluntas Dei in Scripturis revelata, sed & humanæ naturæ lex exigit hoc à nobis. Nihil enim est magis naturale quàm ut faciamus alteri, quod nobis fieri vellemus. Nihil est magis humanum, quam hominis necessitatem sublevare.

XXIII. 3. In misericordia, & operibus ejus, singulariter induimus imaginem & similitudinem Dei. *Luc*. 6. 36.

XXIV. 4. Charitas erga Deum, sine hac charitate erga proximum consistere non potest. 1 *Joh*. 3. 17. neque ulla religio vera. *Jac*. 1. 17.

XXV. 5. Deus est in Christo, qui flagitat à nobis eleemosynam per pauperes. *Matth*. 25. 40. flagitat autem particulam tantum exiguam eorum, quæ nobis dedit 1 *Paral*. 29. 11.

XXVI. 6. Dedit nobis Deus, quæ habemus non ut dominis absolutis, sed ut precariis possessoribus; ut fidei nostræ commissa, in ejus honorem; secundum ejus voluntatem dispensaremus. *Luc*. 16. 12.

XXVII. 7. Deus tamen cumulatissimè reddet, quæ ipsius nomine pauperibus donantur. *Prov*. 3. 9. & 19. 17. & 28. 27.

XXVIII.

XXVIII. 8. Sine misericordia erga fratres fieri non potest, ut vel sensum, vel certitudinem habeamus misericordiæ Dei erga nos, neque etiam ut dispositi simus ad eam vel recipiendam, vel petendam. *Matth.* 5.7. & 7. 6. 1 *Tim.* 6. 17, 18, 19.

XXIX. 9. Misericordia habet promissiones, & immisericordia comminationes tam hujus quàm futuræ vitæ, passim in Scriptura.

## CAPUT L.

### *De Furto.*

QUæstio prima. Quinam sunt casus, in quibus res aliqua aliena auferri potest, sine crimine furti?

R. 1. Si quis rem alienam surripiat, sine animo vel rem ipsam sibi retinendi, vel usum, aut possessionem ejus pecunia æstimabilem: ut sæpe inter amicos per jocum fieri contingit. 2. Si ablatio rei alienæ fiat in pœnam, ab eo qui potestatem habet pœnam talem infligendi. 3. Si (absque fraude & scandalo) fiat in commodum & utilitatem ejus à quo aufertur: ut cum aufertur ensis ab amente; vel pecunia viri prodigi ab uxore provida, in familiæ ejus necessarium usum. 4. Si fiat ex caritate, adversus quam injuste alter stomacharetur: ut si quis aleas alterius abjiciat, aut chartas corrumpat, ne ille suo lusu vel peccaret, vel in periculum aliud incurreret. 5. Si fiat in recompensationem certi & liquidi debiti, quod ordinaria via juris recuperari non potest, modo ita fiat, ut damnum, infamia, & scandalum proximi vitetur. 6. Si probabilis sit consensus, vel ratihabitio illius à quo aliquid aufertur: ut quando tam exigui momenti est quod aufertur: patri à filio, viro ab uxore, &c. ut communiter pro nihilo habeatur. *Deut.* 23. 24, 25. 7. Si irrationabiliter censeatur Dominus invitus: ut in eis quæ accipit aliquis ex alieno, ad extremam & præsentem suam necessitatem sublevandam, cui alia ratione succurrere non potest. Hoc enim

enim videtur esse ex jure naturali, divisione rerum antiquiore, & superiore, quod jure humano, quo facta est divisio rerum non potuit abrogari: quo sensu non male dicitur, omnia fieri communia in extrema necessitate.

## CAPUT LI.

### *De Avaritia.*

QUæstio prima. Quid sit avaritia damnata?

I. R. Avaritia propriè versatur circa illa quæ vocantur bona externa: & pertinent ad concupiscentiam oculorum, prout ex opposito dividitur contra in concupiscentiam carnis, & superbiam vitæ. 1 *Ioh.* 2. ubi præcipua peccata mundana, ratione suorum objectorum ad tria capita revocantur, ad honores, delicias, & divitias. Hinc in Scripturis vocatur amor divitiarum, amor lucri, & amor pecuniæ, per specialem quandam appropriationem; quia scil. pecunia omnia externa possunt comparari, & divitiæ solent æstimari.

II. 2. Non quælibet divitiarum concupiscentia est avaritia, sed inordinatus tantum earum amor. Inordinatus autem est ille amor, qui repugnat amori, quem vel Deo, vel proximo nostro debemus. Hinc avaritia vocari solet immodicus, vel injustus amor habendi.

III. 3. Quia autem avaritiæ essentiam concupiscentia consistit, idcirco inter illa peccata numeratur, quæ interius possunt consummari, absque ullo opere exteriori, quamvis totum hominem, atque adeo omne genus externas operationes elicere soleat & imperare.

IV. 4. Hinc etiam est, quod tripliciter peccare soleat avarus, 1. in divitiis appetendis. 2. in divitiis acquirendis, vel comparandis. 3. in eisdem retinendis vel conservandis. Hæc enim tria continentur in concupiscentia habendi.

V. 5.

V. 5. Quia vero inordinatio hujus amoris consistit in ejus repugnantia ad amorem Dei, vel proximi, idcirco avaritiæ pravatas in eo consistit 1. quo ad materiam, si ex illis ditescere velimus, quæ vel sunt Deo sacra, ut in simoniæ peccato, vel etiam ita sunt proximi, ut vel non debeat, vel non velit eadem alienare: quale fuit peccatum Achabi circa vineam Nabothi. 1 *Reg.* 21. 2. Quoad formam vel modum, si quis in divitiis quærendis, artibus aut modis vel impiis vel iniquis & injustis utatur. *Prov.* 10. 2. & 28. 8. 22. 2. Quoad gradum vel mensuram, si quis ita studeat divitiis congerendis, ut negligat officium erga Deum & proximum. *Luc.* 22. 5. *Esa.* 5. 8. 4. Quoad finem, si divitiæ vel propter se amentur, vel in malum aliquem finem referantur, vel denique avertant hominem à Deo, aut proximo, sive ex toto, sive ex parte.

Quæstio 2. Quænam sunt signa hominis avari?

VI. R. 1. Si quis admodum solicitus sit cogitando de bonis externis, ita ut animus ejus instar meteori suspendatur, *Luc.* 12. 22. 25. 29.

VII. 2. Si gaudium, tristitia, fiducia, metus ejus pendeant ex ejus successu in rebus istis externis. *Luc* 12. 19.

VIII. 3. Si sensus habeat in istis rebus exercitatos, & acutum videntes, seu ad spiritualia discernenda plane tardus sit & ineptus. Attentio enim animi, atque adeo cognitio magis in una re quàm in altera excellens, sequitur semper affectionem. *Matth.* 13. 22.

IX. 4. Si tempus illud quo desistere cogitur à lucro quærendo, quamvis cultui divino impendatur, nimis longum ipsi videatur. *Amos* 8. 5.

X. 5. Si in ipsis exercitiis cultus divini, animus ejus quæstum suum persequatur. *Ezech.* 33. 31.

Quæstio tertia. Quibus rationibus excitari possimus ad avaritiam fugiendam?

XI. R. 1. Quia hoc peccatum sic avertit amorem, fiduciam, & totum cor hominis à Deo ad mundum, ut

ut excludat veram religionem. 1 *Joh*. 2. 15. & spiritualem contineat idololatriam. *Eph*. 5. 5. *Col*. 3. 5.

XII. 2. Quia transfigit hominem anxietatibus, & doloribus mortiferis. 1 *Tim*. 6. 20.

XIII. 3. Quia radix est omnium malorum. 1 *Tim*. 6. 9, 10.

Quæstio quarta. Quænam sunt remedia quæ singulariter valent adversus hunc morbum?

XIV. Resp. 1. Meditatio frequens & seria de vanitate divitiarum. *Eccles*. 5. & 6.

XV. 2. Assidua consideratio brevitatis hujus vitæ, & æternitate illius ad quam adspirare debemus. *Luc*. 12. 20, 21, 32.

XVI. 3. Excitatio fidei ac fiduciæ vivæ in Dei providentia, & paterna nostri cura. *Luc*. 12. 28, 29, 30.

XVII. 4. Magna æstimatio & zelus Regni Dei & justitiæ ejus, quæ sunt divitiæ spirituales. *Luc*. 12. 21, 31.

XVIII. 5. Invocatio Dei, ne sinat animos nostros deflecti ad quæstum. *Psal*. 119. 36.

## CAPUT LII.

*De Legibus quibusdam Mosaicis ad præceptum Octavum spectantibus.*

QUæstio prima. Qualis sit æquitas illius, quod nullum furtum simplex fuerit capitali supplicio punitum?

I. R. 1. Summa fuit æquitas in ista moderatione, & à Christianis observanda: quia justitia postulat, ut proportio cum paritate, quantum fieri potest, observetur inter delictum & pœnam: sed inter illa externa bona, quæ simplici furto solent hominibus eripi, & hominis vitam, si in trutina simul appendantur, nulla proportio invenietur.

II. 2. Ad illud quod objici maximè solet, *crescentibus delictis exasperandas esse pœnas*, conceditur quidem ut vere dictum, sed hac lege & conditione, ne

ne totum genus pœnæ immutetur, neque transsiliantur lineæ proportionis inter delictum & pœnam.

III. Quæ contra adferuntur ex *Prov*.6.31. de exaggerata pœna furti ad septuplum; & ex 2 *Sam*. 12. 5. de fure morti adjudicato à Davide, illa non repugnant huic æquitati. Nam apud Salomonem, restitutio septupli poni videtur pro gravissima mulcta, quæ furi vel de jure potest, vel de facto solet imponi, sicut sæpè in Scripturis septenarius numerus ponitur pro magno. David autem sententiam illam ferens, non simplex furtum respexit, sed summam crudelitatem divitis furis, vel potius raptoris in proximum pauperem grassantis, & ira etiam valde accensus fuit, quando illam sententiam dixit.

IV. 4. Minus est, quod objicitur, legem Mosaïcam de pœna furti, in Novo Testamento nullibi iteratam, aut de novo confirmatam & inculcatam reperiri, atque adeo fuisse merè forensem & politicam. Concedunt enim illi ipsi qui contra sentiunt, leges illas Mosis esse universales & perpetuas, quæ causam vel rationem habent universalem & perpetuam, non specialem, Judæos tantum attinentem: & nullam specialem rationem adferre possunt nisi ridiculam, de consanguinitate vel affinitate Israëlitarum inter sese: quæ ratio nullum locum habuit in extraneis, qui tamen capitaliter non puniebantur propter furtum simplex; & si valuisset illa ratio adversus capitale supplicium furum inter Israëlitas, valuisset etiam adversus aliorum delictorum capitales pœnas.

Quæstio secunda. Quænam ratio restitutionis dupli in furto pecuniæ aut suppellectilis? *Exod*.22.17.

V. R. Æquum est (ex lege Talionis) ut non solum restitueretur ablatum, sed etiam ut tantum damni pateretur fur, quantum alteri voluit & conatus est inferre, & sic in sua pœna disceret, quid fuit quod alteri moliebatur, & quomodo erga alios habere se deberet.

VI. 2. Dupliciter à fure in proximum peccatur: quia non solum innocentiam erga proximum debet quisque præstare, sed etiam bene ipsi velle, & facere etiam ex occasione: fur autem contra utrumque officium delinquit.

Quæstio tertia. Qualis æquitas fuit in eo, quod minor mulcta statuta fuerit in eum, qui furto abstulerat, pecuniam aut suppellectilia quam in eum, qui bovem aut ovem furabatur, quum in illo furto plus damni sæpe fiat quàm in isto?

VII. Resp. 1. Quædam mala licet simpliciter in sese considerata, minora sint, plus tamen nocere possunt publicæ tranquillitati & paci, quàm alia, quæ sunt in sese majora.

VIII. 2. Quædam etiam mala facilioris sunt commissionis, & difficilioris curationis, propter suas oportunitates: ut ovem furari, quàm aurum, quod arctius potest ac solet custodiri.

IX. 3. Boves & oves ex sua natura magis necessaria sunt ad vitam humanam sustentandam, quam pecunia & suppellex.

X. 4. Boves & oves fuerunt inter præcipua sacrificia Deo offerenda. Non mirum igitur si districtius ea custodiri voluit, & eorum direptionem severius vindicari, de quibus ei pars debebatur, & ex quibus cultus ejus magna ex parte pendebat.

Quæstio quarta. Quare quinque boves restituendi fuerint pro uno, & quatuor tantum oves?

XI. Resp. 1. Quia boüm usus dominis suis fuit major, quam ovium. Huic autem differentiæ explicandæ non male quadrat eorum curiosa observatio, qui dicunt quatuor utilitates esse ovis, Pellis, carnis, lactis & fœtus; in bove autem accedere quintam, laboris nempe in agricolatione, trituratione & onerum vectione.

XII. 2. Quia minor species urgentis necessitatis est in bove furando, quam in ove una, quam potest quis quasi ex inopia cibi, quærere, ad se & familiam suam pascendam in præsenti necessitate.

XIII. 3.

XIII. 3. Quia majoris est audaciæ & improbitatis, bovem furari, quam ovem.

Quæstio quinta. Quæ ratio fuit in eo, quod fur deprehensus cum istis animalibus furtivis, minus puniebatur, quam si mactaverat aut vendiderat?

XIV. R. Quia in posteriore casu major continuatio, obduratio, & peccati multiplicatio reperitur.

Quæstio sexta. Quænam sit æquitas illius legis, *Exod.* 22. 2. de nocturni furis trucidatione?

XV. Resp. 1. Non jubet hoc lex divina, aut etiam simpliciter & universaliter probat, sed permittit tantum fieri impune, id est, ab ordinaria homicidii pœna interfectorem absolvit, *ne sunto illi sanguines*; reus cædis ne esto.

XVI. 2. Innuit etiam lex, cædem permissam debere esse aliquo modo præter intentionem occidentis: cum non dicit, si quis occiderit, sed si percussus fuerit, & morietur: quasi percussio tantum ad abigendum, aut apprehendendum fuit intenta, mors autem per accidens ex illa percussione secuta. Qui enim cum potuit vel abigere, vel apprehendere, maluit occidere, ab homicidii peccato coram Deo, & in conscientia sua non potest excusari.

XVII. 3. Non permittitur hoc de quolibet fure, sed de perfossore tantum aut effractore. Cui tamen sunt pares conditione latrones, piratæ, & publici prædones.

XVIII. 4. Permittitur hoc singulariter de nocturno effractore. 1. Quia nocturnus effractor præ se fert invasionem violentam, id est, talem vim, qualem vi repellere justum est & naturale. 2. Quia ista violentia de nocte, est ignotæ mensuræ ac modi. Discerni enim non potest, quo tendat violentia furis, id est, utrum fur sit, an sicarius, aut latro. 3. Quia de nocte neque testium neque suppetias ferentium copia haberi potest, idcirco & credendum est ei, qui de suo periculo vel timore asseverat, & ad suam defensionem vehementius agenti indulgendum.

XIX. 5. Ex istis considerationibus apparet, di-

recte non propter merum furtum, vel tentatum vel factum istiusmodi furem potuisse licite occidi, sed ad avertendum periculum quod neque admitti debet, neque alia ratione potuit caveri.

XX.6. Neque in Euangelio quidquam est, quo prohibetur hoc, quod ista lege fuit permissum. Naturalis enim æquitatis est & à Domino approbatæ. *Matth.* 24.43. ne quis sinerit perfodi domum suam à fure.

Quæstio septima. Quid sibi velit illud quod habetur, *Deut.* 15.4. *Omnino in te ne esto egens?*

XXI. Resp. 1. Non possunt hæc verba sic accipi, quasi continerent vel promissionem vel prædictionem absolutam. Sic enim adversarentur eis, quæ habentur *vers.* 11. *Non desinit egens è medio hujus terra.* Et similibus verbis Christi. *Matth.* 14.7.

XXII. 2. Sive promissio sit conditionalis, (ut quidam volunt) sive (ut alii accipiunt) ratio præcepti antecedentis de debitis non exigendis in anno intermissionis, vim habet statuti caventis ne sint in populo Dei ulli homines ad extremam egestatem & mendicitatem redacti, & in eadem relicti.

XXIII. 3. Quamvis autem non possit hoc procurari, nisi communi consensu, & eorum authoritate, & cura, qui publicam habent potestatem, omnibus tamen & singulis hoc officii imponitur, ut pro facultate & occasione, quam habent, conferrent aliquid ad hoc opus, tanquam publicum & commune bonum promovendum.

XXIV. Æquitas hujus legis gravissimis rationibus confirmatur. Nam 1. Sicut turpe est opprobrium familiæ, & certum signum inordinationis, confusionis ac dissolutionis, si non habeatur cura, ut in eadem singulis prospiciatur de necessariis ad victum, ita ut pro familia vix possit haberi, ubi illa cura non viget, sic est in omni civitate vel communitate.

XXV. 2. Ex neglectu hujus curæ magna existit turba mendicorum otiose ac inordinatè viventium, & fœdissimis moribus indulgentium.

XXVI. 3. Inde fit, quod supra modum, & absque

que necessitate onerentur cives honesti & benigni.

XXVII. 4. Inde etiam fit, ut personæ veræ miserabiles non possint ab aliis dignosci, ut eis prout oportet subveniatur.

XXVIII. 5. Publica denique & vaga mendicitas Christianorum cedit in contumeliam religionis veræ, quasi non illam humanitatem & charitatem doceret, quam ipsa natura dictat; in contemptum Christi, qui sibi fieri dicit, quod fit membris ejus egenis; & in manifestum dedecus nominis Dei, tam in eis mendicis, qui ipsum colentes publica fiunt miseriæ spectacula atque exempla, quam in cætera turba eorum, qui sine Deo vagantur instar animalium brutorum.

## CAPUT LIII.

### *Præceptum nonum.*

### DE MENDACIO.

QUæstio prima. Quid sit (propriè loquendo) mendacium?

I. Resp. 1. Mendacium est testimonium falsum.

II. 2. Testimonium falsum differt ab axiomate vel sententia falsa: quia sententia falsa potest esse in mente per errorem, ita ut nemini significetur: hoc verò requiritur ad testimonium falsum, quod sit peccatum sermonis, id est, sententiæ, vel ore vel scripto vel signo aliquo verbis æquipollente significatæ.

III. 3. Differt etiam ab enunciatione falsa, qua pronunciatur contra quam res est: quia potest hoc ita fieri, ut non sit in ordine ad fidem faciendam, quæ est natura testimonii: & potest quis per errorem deceptus pronunciare hoc aut illud falsum, quod mente putat esse verum; quum in mendacio sermo semper dissentit à mente.

IV. 4. Si quis igitur falsum dicit putans esse verum, mentitur tantum materialiter. Si quis verum

dicat, putans esse falsum, aut non putans esse verum, mentitur formaliter. Si verò quis falsum dicat, putans esse falsum, ille & materialiter & formaliter, atque adeo perfectè mentitur.

V. 5. Si tamen quis falsum testetur in eis, quæ scire & potest & tenetur, & etiam scire se profitetur, quamvis verum esse putet, ille per interpretationem habetur pro non putante, & eo nomine in Scripturis dicitur mentiri, sicut in falsis doctoribus apparet, qui omnes in Scriptura passim dicuntur *mentiri*; quamvis inter illos non pauci sint, quibus Deus (ex justo suo judicio) immisit efficaciam erroris, ut *credant mendatio*. 2 *Thess*. 2. 11.

VI. 6. Ad hoc genus mendacii ordinem sæpe quendam habet sermo internus falsus, & ipsa credulitas falsitatis, quatenus est principium enunciationis illo modo falsæ, & est aliquo modo falsum hominis testimonium, quod sibimetipsi testatur; quamvis non habeat formalem naturam mendacii, quia propriè loquendo nemo sibi, sed aliis vel falsum vel verum testificatur.

VII. 7. Ex eadem ratione provenit, quod mendacium, aut falsum testimonium propriè pertineat ad secundam tabulam: quia verba sunt instituta, ut per ea in aliorum hominum cogitationes nostras transmittamus, atque adeo hominibus proprie testificamur; quamvis etiam ex proportione quadam hypocritæ dicantur Deo ipsi mentiri. *Psal*. 78. 36. *Actor*. 5. 4.

Quæstio secunda. An omne mendacium sit peccatum, & quale?

VIII. Resp. 1. Peccatum est Deo abominabile, *Psal*. 5. 7. *Prov*. 6. 17, 19. *&c*. 12. 22. & quod ab ipso graviter puniri solet. *Prov*. 19. 5, 9. & 12. 18. *Lev*. 21. 27. & 23. 15.

IX. 2. Mendacium provenit ab instinctu diaboli, qui mendax est & mendacii pater. *Joh*. 8. 44.

X. 3. Pars est veteris hominis ab omnibus fidelibus mortificandi & exeundi. *Ephes*. 4. 25. *Coloss*. 3. 9.

XI. 4.

XI. 4. Inordinatio est mentientis in sese: quia contra ordinem naturæ oratio ejus, quæ mentis est interpres, à mente plane dissentit.

XII. 5. Inordinatio etiam est ad proximum: quia veritatis observantiam unusquisque proximo suo debet, ex obligatione naturalis & divini juris.

XIII. 6. Singulari modo lædit majestatem Dei, qui veritatis auctor, & amator talis est, ut non possit mentiri, & imaginem suæ veracitatis homini impressit conservandam; neque unquam per ullam dispensationem fecit mentiendi potestatem.

XIV. 7. Abusus est & turpis dehonestatio linguæ, quæ in Scripturis rectè vocatur *gloria* humana.

XV. 8. Vile & abjecti aliquid est in mendacio supra alia vulgaria peccata; vel quia provenire videtur à timore, vel quia tendit ad imposturam: ex quo fit ut homines feroculi & honoris umbræ velificantes (quamvis assidue mentiantur) mendacii tamen exprobrationem tam indigne ferant, ut dignam censeant quam gladio vindicarent.

XVI. 9. Violatio aut neglectus fidei directè facit ad omnes contractus & societates humanas turbandas ac tollendas: quia pendent ex fide & veritate hominum tanquam ex primario suo vinculo & fundamento.

XVII. 10. Mendacium, quia spoliat mendacem omni authoritate ac fide; inhabilem & ineptum eum reddit ad officia vel Christiana vel civilia, erga homines præstanda.

*a* Quæstio tertia. An & quatenus possit quis veritatem celare absque mendacii aut alius peccati reatu?

XVIII R. 1. Tacendo licet celare veritatem, quando neque pietas, neque justitia, neque charitas postulat ut manifestetur. *Mat* 26.63. *Marc*.14.61. & 15.5. *Luc*.23.9. *Joh*.19.2. Præceptum enim affirmativum, de veritate dicenda, non obligat ad semper, sed prout exigit ratio circumstantiarum bene expensarum.

 XIX. 2.

*a* De occultatione veritatis.

XIX. 2. Similis est ratio partem tantum veritatis dicendi, & alteram partem occultandi, si quis (attentis circumstantiis) jus habeat ad illam occultandam. *Jerem.* 38. 26, 27.

XX. 3. Licitum est etiam aliquando, salva veritate, illa verba proferre, ex quibus probabiliter novimus auditores aliquid conclusuros falsi. *Act.* 23. 6, 7, 8, 9. Hoc etenim non est mentiri, vel falsum testari, sed tantum occasionem alteri præbere errandi, non ad peccatum committendum, sed potius vitandum.

XXI. 4. Illa tamen occultatio veritatis, quam Pontificii plerique docent vel per mentalem reservationem, vel per æquivocationem verbalem, in variis casibus posse adhiberi, si in gravi testimonio usurpetur, nihil aliud est quàm ars mentiendi.

XXII. 5. Occultatio veritatis per mentalem reservationem (ut si reus dicat se non fecisse, aut nescire, quod fecit, & novit, reservans in mente sua illum sensum, quod non fecerit, aut noverit ita ut velit illud manifestare) 1. Enunciationis & testimonii doctrinam & naturam evertit: quia illa pars sententiæ, quæ in mente reservatur, nihil cuiquam enunciat, significat, aut testatur.

XXIII. 2. Provenit ex intentione fallendi, aut opinionem veritati contrariam in alterius animo generandi; quod est contra naturam testandi aut fidem de hac aut illa re faciendi.

XXIV. 3. In verbis hunc in modum prolatis merum & nudum mendacium continetur. Nam. 1. si reus qui hoc aut illud fecit, diceret se fecisse, testimonium ejus esset verum: ergo si negat se fecisse, testimonium ejus est falsum, id est, mentitur. 2. Hoc pacto reus ille dicit & testatur non tantum quod falsum est, sed etiam quod ille sentit & novit esse falsum; quod est tam formaliter quam materialiter, id est, completè mentiri.

XXV. 4. Si hoc non sit mentiri, tum talis reus nullo modo potest in eadem causa mentiri, quamvis maximè vellet. Qui hoc aut illud fecit, aut novit, si

ullo

ullo modo possit mentiri, necessario debet hoc esse, dicendo, non feci, non novi. In omnibus vulgaribus mendaciis latet semper aliqua mentalis reservatio vel distinctè vel implicitè concepta. Qui enim novit falsum esse, quod dicit, vix potest aliter falsum dicere quam cum istiusmodi restrictione: quamvis hoc sit falsum & suo loco ac tempore illud faterer, tamen hoc loco, & hoc tempore, propter causas, ita dico: ubi mentalis reservatio ejusdem fere notæ est cum illa quam Pontificii probant; non feci, ut hoc loco, hoc tempore, tibi dicam.

XXVI. 5. Inter ipsos Pontificios sunt viri magni, qui coguntur mentales istas reservationes damnare. Sotus de just. & jure, l. 5. q. 5. a. 2. *Dicere (non feci) quod tamen feci, licet cum hac mentis limitatione (ut tibi significem) non est æquivocatio, sed mendacium.* Sotum sequitur Covarruvias variarum resolutionum lib. 1. cap. 2. n. 2. Azor. lib. 11. cap. 4. *Si verba quibus utimur significatione sua, & communi hominum usu ambigua non sunt, nec habent nisi unicum tantummodo sensum, ea usurpare debemus eo sensu quem reddunt; nec licet nobis, etiam si contra jus fasque omne interrogemur, aliquid mentis cogitatione in aliud detorquere, nunquam enim fas est mentiri: at is mentitur, qui verba aliter accipit atque ipsa significant. Nihil tam falsum esse potest, quod non queat ab omni mendacio liberari, si aliquid arbitratu nostro mente tacitum retineamus.*

XXVII. 6. Restricto illa hujus licentiæ, quam patroni ejus faciunt ad certos casus, non tollit, sed minuit tantum ejus noxam. Licet (inquiunt) etiam sub juramento absolute negare verbis, quod quis novit esse verum. 1. si audiverit illud in confessione. 2. si non juridice à judice interrogetur. 3. si per interrogationem injuria ipsi inferatur. 4. si adsit alia aliqua rationabilis causa. Filincius tract. 40. cap. 2. num. 49. 50. 51. 52. Nam 1. Isti casus quamvis tacendi causas contineant, nullam tamen rationem aut respectum alium habent ad testimonium mixtum ex verbis externis per se falsis & mentalibus

verbis pro arbitratu fictis, quàm alia quælibet materia ſermonis in convictu communi. 2. Neque confeſſio, neque juridici proceſſus defectus, neque injuria confert alicui jus mentiendi. 3. Huc etiam accedit, quod ultima illa limitatio, (*ſi adſit rationabilis cauſa*) tam laxos ſtatuit fines huic fallaciæ, ut ex omni occaſione, in omni negotio, poſſit locum habere, apud illos ſcilicet, qui putant ſe rationabilem habere cauſam aliis illudendi: quod ſecum trahit deſtructionem convictus humani.

XXVIII. 1. *Cum quis (ajunt) à nullo interrogatus, vel ſolus, vel coram aliis, animi cauſa ſecum loquens, poteſt quod vult intelligere per quæcunque verba, ſine mendacio. Ergo etiam in caſu quo inique interrogetur: quia per iniquam interrogationem ad nihil obligatur.* Sed 1. Talis eſt hæc argumentatio, ac ſi quis diceret. Non eſt illicitum ludere aſtragalis: licet igitur ludere juramentis. 2. Diſſimilis prorſus eſt ratio. Qui enim vel ſolus ſecum loquitur, vel coram aliis ex profeſſo nugatur, illi nihil cuiquam teſtatur, nec profitetur ſe teſtimonium dicturum. Qui vero graviter interroganti reſpondet, profitetur (idque ſæpe ſub religione juramenti) ſe verum teſtimonium dicturum.

XXIX. 2. *Ambiguitas (addunt) in verbis poteſt non tantum ex ſignificatione ineſſe, ſed etiam ex loco, ex tempore, ex perſona, ex modo, & aliis circumſtantiis. Inique autem rogato integrum eſt eo ſenſu quem vult accipere ambigua verba.* Et hactenus quidem verum dicunt, quod ſunt uſitatæ quædam ſignificationes verborum ex circumſtantiis colligendæ; quando ſcilicet in aliqua propoſitione poſſunt ac ſolent intelligi, & ſuppleri aliquæ particulæ ex circumſtantia temporis, perſonæ, finis, &, ut ſi aliquis venditor frumenti, poſtquam vendiderit totum quod erat venditurus, reſervato ſibi neceſſario, & emptori poſtea interroganti an habeat frumentum, reſponderet, non habeo, non mentiretur; quia ex circumſtantia perſonarum intelligitur talis ſermo de frumento venali. Sed

li. Sed 1. in fallaciis istis de quibus agitur, nullæ sunt circumstantiæ ex quibus auditores possunt colligere mentalem illam interpretationem, quam æquivocator sibi reservat, e g. si Jesuita vel sacrificulus alius à judice laico interrogetur, utrum sit sacerdos necne, & negat hoc ille propterea, quia est sacerdos, atque adeo non subest jurisdictioni laici judicis: negat huic judici se esse sacerdotem, idcirco tantum quia est sacerdos. 2. Circumstantiæ illæ dum manent eædem, unam & eandem significationem verborum semper notant: sed æquivocatores isti vertunt sese in varios sensus prout ipsis libet. 3. Qui ex circumstantiis intelligi vult, ille non occultat veritatem, neque illudit vel interroganti, vel audienti: sed æquivocator utrumque profitetur. 4. Quando intelligitur aliquid ex circumstantiis, tum si insuper interrogaretur ille, quia ita loquitur, utrum sic intelligi debeant ejus verba, necne, manifestum esset mendacium, si negaret: sed æquivocatores isti distincte rogati, an æquivoce loquantur à suis magistris edocti, solent illud negare.

XXX. In exemplis hujusmodi æquivocationis, quæ proferunt Pontificii ex quibusdam sermonibus Domini quæ àb Euangelistis memorantur, nihil reperitur quod huic fallaciæ patrocinatur.

XXXI. *Christus Dominus* (ajunt) *Matth. 9. 24. dixit de puella mortua.* Non est mortua; *intelligens, respectu meæ potestatis, atque voluntatis.* Sed 1. In isthoc exemplo, neque fuit secretum confessionis, neque interrogatio facta contra aut præter jus, neque injuria Christo illata, neque alia rationabilis causa cogens Christum æquivocationem aliquam usurpare per mentalem reservationem: sed talis fuit sermo, quali Christus utebatur in communi sua cum hominibus conservatione. Non congruit igitur hoc exemplum thesi doctrinæ æquivocatorum. 2. Satis manifestus fuit sensus verborum Christi ex circumstantiis, absque ulla mentali reservatione. Loquebatur enim eis, qui flentes & ejulantes para-

bant exequias defunctæ & non suscitandæ; voluit testari se eam statum suscitaturum quasi ex somno expergefactam: non potuit igitur aptius hoc significare quam illis verbis, quibus est usus.

XXXII. 2. Proferunt etiam verba illa Domini, *Johan.* 15. 15. *Omnia, quæ andivi à Patre meo, nota feci vobis.* Quæ verba intelligenda dicunt per mentalem reservationem: quia alia habuit ipsis dicenda, non dicta. *Johan.* 16. 12. Sed respondet post Jansenium, ipse Toletus Jesuita, in locum illum: *Permulta dici in Scripturis quæ restringenda sunt secundum circumstantias rerum, personarum, temporum, aut finis, aut scopi, in quem proferuntur. Ita nunc Christum nota fecisse omnia discipulis, quæ pro conditione eorum audire ipsos oportebat.* Hic autem sensus satis indicatur illis verbis Christi, quibus dicit se egisse cum ipsis tanquam *amicis*. Amicis enim non omnia simpliciter dicimus, sed omnia quæ conducit ipsos audire & scire.

XXXIII. Objiciunt & urgent maxime illud *Marc.* 13. 32. *De die illa & hora nemo scit, neque ipse Filius.* Sed 1. Conditiones, quas requirunt Pontificii ad licitam æquivocationem, non magis huic exemplo conveniunt quàm primo. 2. Filius ut homo illo loco opponitur Patri tanquam Deo. Non enim negavit, aut videri voluit negare Christus, quin Spiritus sanctus noverit diem judicii. Sensus igitur clarus est, prout verba sonant; Christum tanquam hominem adhuc ignorasse diem judicii, vel saltem enim non scivisse cum notitia naturali: quæ est interpretatio Athanasii, Basilii, Hilarii, Nazianzeni, Theodoreti, Cyrilli, & totius Synodi sextæ, ut fatentur ex ipsis Jesuitis: Gregorius de Valentia in commentar. Theologiæ tom. 4. disputat. 1. quæst. 10. punct. 2. & Maldonatus in *Marc.* 13. Quamvis enim Christus Dominus non laboraverit ulla ignorantia culpabili, sive pravæ dispositionis, sive privativa; non tamen alienum fuit à statu humiliationis, ut quatenus homo fuit, haberet ignorantiam puræ nega-

negationis, vel ne ſcientiam quarundam rerum, quas poſtea glorificatus perfectè ſciret.

XXXIV. 4. Allegant etiam illud *Luc.* 24 28. *ſimulabat ſe longius ire.* Sed hæc ſimulatio fuit non in verbis veritati contradicentibus, ſed in geſtibus veritati conſentientibus. Compoſuit enim ſeſe Dominus tanquam longius iturus niſi in contrarium vehementer inſtarent diſcipuli, & quaſi vi ipſum retinerent. Iſtiuſmodi geſtus hoſpitum, etiam cum verbis conſentaneis conjuncti, nihil aliud ſignificant in communi ſermone, quam voluntatem hujuſmodi, ex conditione tali ſuſpenſam. In hoc igitur exemplo nulla ſpecies vel umbra eſt alicujus æquivocationis extraordinariæ, verbis alioquin veritati contradictoriis, ſed per mentalem reſervationem in alium imperceptibilem ſenſum tranſlatis.

XXXV. 5. Opponunt denique verba illa Domini, *Johan.* 7. 8. *Ego non adſcendam ad feſtum*: quia hac negatione non obſtante, idem Euangeliſta teſtatur eum ad feſtum illud adſcendiſſe *verſ.* 10. Sed tota vis hujus objectionis nititur ambigua verſione, qua redditur vox illa quæ propriè ſignificat *nondum* per *non.* Hoc obſervant Cajetanus, Janſenius, Maldonatus, ac Toletus in explicatione hujus loci. Hoc etiam ſatis indicatur in ipſa verſione vulgari, quæ in verbis proxime ſequentibus eandem vocem vertit per *nondum*: *quia meum tempus nondum impletum eſt.*

## CAPUT LIV.

### *De Judiciis publicis, Iudice, Accuſatore, Teſtibus, Advocato, & Reo.*

QUæſtio prima. Quid ſit judicium?

I. R. Judicium propriè ſignificat definitionem ejus quod juſtum eſt inter aliquos de jure certantes. Sed connotat ſimul poteſtatatem quandam coactivam, vel compellendi partes ut ſubjiciant ſeſe illi definitioni, vel ſententiæ latæ.

Quæ-

Quæstio secunda. An judicia hujusmodi & munera judicum sint licita inter Christianos?

II. Resp. 1. Non tantum licita sunt, sed etiam necessaria. *Act*. 15 10. *Rom*. 13. Nam quod jure naturali est utile & necessarium ad bonum statum societatis humanæ, illud non tollitur, sed stabilitur, dirigitur, & perficitur per Christianæ religionis instituta: quia religio Christiana non destruit, sed perficit naturam. Sed officium judicum & judicia, jure naturali, utilia & necessaria sunt ad bonum statum societatis humanæ: sicut exemplo & experientia omnium populorum patet, qui istiusmodi judicia usurparunt tanquam necessaria ad tuendum reip. statum. Manifestum enim est, sine litum terminatione confusionem non posse vitari: & lites multas non posse terminari sine judicum potestate.

III. 2. Quæ contra objiciuntur ab Anabaptistis, sunt magis infirma quam ut tam necessarium institutum tollant: Christus enim, *Mat*. 5. 40. non jubet vitare judicium tanquam rem illicitam: sed injurias patienter ferre, neque malum rependere pro malo, neque facile contendere cum eis à quibus injuriis afficimur. *Matth*. 7. 1. vetatur tantum judicium privatum, idque temerarium, superciliosum, & injustum, non justum, sicut apparet ex verbis oppositis, *Joh*. 7. 24. Paulus 1 *Cor*. 6. 6 non damnat omnia judicia, sed contentionem tantum cum scandalo conjunctam, qualis erat illa fratrum fidelium coram judicibus infidelibus, cum offensione tam fidelium quam infidelium.

Quæstio tertia. Quænam requiruntur ad judicium licitum?

IV. Resp. 1. Requiritur primò, ut ex authoritate justa, id est, ut fiat ab illo qui habet legitimam potestatem in tales personas, & in tali causa. *Luc*. 12. 14.

V. 2. Requiritur secundò, ut sit in se justum, id est, ut conforme sit judicium vel sententia judicialis cum justitia vera. *Joh*. 7. 24.

VI. 3. Requiritur tertiò, ut sit certum, id est, ut non

non fiat de rebus vel plane occultis, vel leviter tantum notis, ſed ſufficienter exploratis. *Prov.*18.13.

VII. 4. Requiritur etiam ut judicium ſit integrum ac ſincerum, id eſt, ut ex nullo affectu alio proficiſcatur, quàm ex amore juſtitiæ & publici boni. 2 *Chron.* 19. 9.

*a* Quæſtio quarta. Quot modis legitime poſſit procedere judex contra delicta?

VIII. Reſp. 1. Ordine proceditur in criminalibus per viam accuſationis: quando ſcil. eſt qui accuſat, & ſpondet ſe probaturum crimina objecta, r.e. 1. Quia judicium reſpicit litem, quæſtionem, aut controverſiam: ſed nulla poteſt eſſe lis aut quæſtio niſi inter duos, neque de crimine admiſſo, niſi inter accuſatorem ac reum. 2. Judicis officium eſt conſtituere medium juſtitiæ: quod non habet locum, niſi ubi ſunt duo inter quos conſtituatur. *Deut.* 17. 8. & 25. 1. *Actor.* 25. 16.

IX. 2. Ex jure tamen naturali, ac divino, ad ſententiam ferendam judicialem, requiritur tantum ſufficiens teſtificatio facti: quæ ſæpe habetur ſine ullo *formali* accuſatore: quando nempe alia ſunt quæ ſupplent vicem accuſatoris (ut evidentia facti, manifeſta & publica infamia.) in quibus continetur accuſatio *virtualis*.

*b* X. 3. Pertinet ſæpe ad officium judicis, procedere per viam Inquiſitionis, ubi nulla eſt inſtantia alicujus accuſatoris. Nam abſque hoc 1. judicia omnia penderent ex arbitrio accuſatorum. 2. Juſtitia illa ceſſaret quæ neceſſaria eſt ad atrocia vitia coërcenda, ac ad rempublicam purgandam & conſervandam.

XI. 4. Non ſatisfacit officio ſuo judex, ſi cognoſcat cauſas ad ſe delatas, niſi eaſdem ex occaſione prudenter perveſtiget. *Job.* 29. 16. *Prov.*24.11,2.

XII. 5. Inquiſitio illa, quæ dicitur generalis, qua in genere & moderate quæritur de obſervantia legum, & de criminibus adverſus leges admiſſis, tam

*a* Proceſſus juris. *b* De inquiſitione ex officio.

in

in Ecclesia quàm in republ. est admodum utilis & congruens rationi, ac officio eorum, qui habent curam communitatis, atque adeo sufficientem notitiam habere debent, quomodo se gerat in legibus observandis. *Actor*. 15. 36. *Deut*. 13. 14. & 21. 1, 2 *&c*.

XIII. 6 Si prius constet de crimine commisso, & author sit planè occultus, e. g. jacet in via publica homo trucidatus, vel constat domum alicujus esse dirutam vel direptam, tum generalis tantum inquisitio debet fieri, an scil. infamia vel suspicio probabilis alicui adhæreat circa crimen admissum? ex locis ante citatis: & ex analogia inquisitionis extraordinariæ habitæ de anathemate. *Ios*. 7.

XIV. 7. Si vero infamia, probabilis suspicio, querela, vel denunciatio facta sit de persona hac vel illa, tanquam authore, tum specialis inquisitio haberi potest de tali persona, utrum sit author criminis necne? Tum enim ex notitia quadam publica, judex ut publica persona procedit. Et in tali notitia, continetur accusatio quædam virtualis. *Deut*. 22. 14. *&c*.

XV. 8. In generali inquisitione hæc sunt observanda: 1. Nemo tenetur quenquam apud judicem prodere, in ordine ad pœnam, in causa quam ille novit honestam esse, & nullam pœnam mereri. Hoc enim esset injustitiam, non justitiam promovere. 2. Nemo non antea aliquo modo infamatus de delicto, de quo inquiritur, tenetur seipsum prodere & accusare, etiamsi sub juramento interrogetur, an noverit aliquem talis delicti reum, i.e. 1. quia de seipso non interrogatur ex intentione judicis juridicè procedentis; utpote qui non inquirit de eis quæ sunt planè occulta. 2. quia nemo tenetur in sese animadvertere, aut directè cooperari ad sui punitionem.

XVI. 8. Adeo contra naturam est, ut quisquam semetipsum prodat ac infamet, præsertim cum periculo aliquo gravi, ut tales inquisitiones, quibus interrogatur aliquis de semetipso, in causa criminali, nulla præcedente infamia, vim adferant natu-

ræ & occasionem præbeant perjuriis horrendis.

XVII. 9. Non semper tenetur quis alterius crimen occultum, de quo nulla præcessit infamia aut suspicio, manifestare. Ille enim cujus delictum est occultum, habet adhuc jus ad famam suam hactenus conservandam, ne temere fiat manifestum. Neque judicis est occulta scrutari, qui ut publica persona ex publica aliqua notitia, vel suspicione procedere debet.

XVIII. 10. Ad hæc igitur incommoda declinanda, nec judex debet cuiquam obtrudere, nec interrogatus admittere juramentum illud inquisitorium, quod dicitur ex officio, de veritate dicenda circa quælibet interroganda, nisi cum istiusmodi restrictione; quatenus ad id jure teneatur: vel quatenus id jure possit.

XIX. 11. Aliquando tamen detegenda sunt crimina, quæ antea fuerunt occulta, quando nempe circumstantiæ bene expensæ hoc suadent, e. g. 1. quando manifestatio illa utilis est & necessaria ad impediendam commissionem alterius criminis quod probabiliter timeatur. 2. quando grave aliquod incommodum imminet, quod sine manifestatione criminis vix potest averti. 3. quando manifestatio illa est necessaria vel ad emendationem delinquentis procurandam, vel ad continuationem ac iterationem delicti impediendam. In istis enim casibus, major habenda est ratio justitiæ & charitatis, boni communis, ac innocentis unius, quam famæ criminosi, quæ per accidens tantum læditur, idque ex ipsius propria culpa.

*a* Quæstio quinta. An judex semper debeat sententiam ferre secundum allegata & probata?

XX. Resp. 1. Contra allegata & probata non debet judex sententiam ferre, quicquid fuerit de scientia ejus privata. Nam. 1. Judex judicat ut persona publica, & vice reip. Non potest igitur censeri rectè & ex officio aliquam sententiam ferre, nisi eandem sententiam etiam resp. censeri possit ferre &

*a* An semper Judicandum secundum allegata & probata?

appro-

approbare. Sed si resp. judicaret, non posset procedere nisi secundum scientiam publicam. Ergo vel secundum scientiam publicam, quæ ex allegatis & probatis exsurgit, debet judicare, vel à judicio abstinere. 2. Si vel contra vel præter allegata & probata judex posset judicare, sequerentur inde magna incommoda, & judiciorum perversio, dum iniqui judices facile condemnarent innocentes, & absolverent nocentes, sub prætextu privatæ scientiæ ab allegatis ac probatis dissentientis. 3. Non potest alia ratione reip. satisfieri, ut in tranquillitate consistat.

XXI. 2. Non sic tamen adstringitur judex allegatis & probatis, ut possit propter illa capitis condemnare eum, quem evidenter novit esse innocentem. Nam 1. quia allegata & probata sunt media ad veritatem manifestandam. Contra veritatem igitur certò notam, nihil debent apud quemquam valere. Nihil enim juvat, quod hic responderi solet, finem probationum esse tantum veritatem publicam: quia veritas publica præsupponit veritatem absolutam. Quia judex pronuncians illud esse verum, quod certo novit esse falsum, mendax esset, & contra conscientiam peccaret.

XXII. 3. Neque solvitur hoc argumentum distinctione illa, inter conscientiam judicis publicam, & privatam. Nam 1. privata conscientia nunquam debet violari. 2. Scientia illa publica, quamvis aliis possit esse regula agendi, non tamen illi, qui certo novit eam esse falsam. 3. Quia occidere innocentem, factum est intrinsecè malum, atque adeo non potest à quoquam sciente, volente, licitè patrari. Neque satis est dicere hoc fieri per accidens; aut talem hominem esse nocentem judicio communitatis. Qui enim sciens, volens, ex certo consilio aliquid facit, ille est causa per se. Et judicium communitatis cum pernicie alicujus errans, non est ab eo, qui contrarium novit vel confirmandum, vel pro-

promovendum. 4. Nefarius ab omnibus jure haberetur, qui in singulari aliqua causa tali, susciperet judicis partes ad eum condemnandum, quem novit innocentem. Nefarium igitur munere illo suscepto tali modo abuti.

XXIII. 4. Si judex officium faciat in manifestatione veritatis procuranda, talis perplexitas vix unquam continget. Si verò contingat, post omnia tentata ad innocentem liberandum, officio judicis cedere potius tenetur quàm eum damnare.

*a* Quæstio sexta. Quænam sunt peccata judici præcipuè cavenda?

XXIV. Resp. 1. Iniquas leges vel ferre vel in judicando sequi. *Esai.* 10. 1. *Væ decernentibus decreta iniqua, & scribentibus molestiam quam illi præscripserint: ad evertendum de causa tenues, & ad rapiendum jus pauperum populi mei, &c.* Judex enim omnis justitiam veram debet administrare. Justitia autem non potest esse vera, si administretur secundum leges, quæ legi naturali aut divinæ repugnant. Judex etiam ex officio suo est minister Dei, & legis ejus custos. *Deuter.* 1. 17. 2 *Chron.* 19. 6, 7. Debet igitur secundum illam judicare.

XXV. 2. Personas accipere, id est, in judicando respicere aliquam conditionem in hac aut illa persona, quæ nihil facit ad causam dijudicandam. *Deut.* 16. 19. *Exod.* 23. 3. *Levit.* 19. 15. Hoc enim est directe contra judicis professionem. 1. Quia judex constituitur ut medium & mediator inter eos, quorum causam judicat. Sicut igitur medium æqualiter se habet ad utrumque extremum, ita affectus judicis in neutram partem debet propendere. 2. Judex nihil aliud est quàm justitia animata. Non magis igitur debet in hanc aut illam partem inclinare, quàm ipsa justitia causæ inclinat. 3. Judex sustinet personam Dei, qui omnis passionis est expers.

XXVI. 3. Recipere munera. *Dent.* 16. 19. & ubique in Scriptura. Ratio 1. Quia hoc tendit ad ani-

*a* Judicum peccata.

mum

mum inclinandum in hanc aut illam personam: & est extra causam: atque idcirco personæ acceptionem inducit. 2. Hac ratione vel corrumpitur & constupratur judicium, ut sit injustum, vel venditur judicium justum; quorum utrumque est abominandum. Ad judices igitur & alios judicii ministros spectat præcipue illa descriptio hominis justi, *Esai.* 33.15. *qui spernit lucrum ex fraudibus, qui excutit manus suas ne teneat munus, qui occludit aures suas ne audiat cædes, & obstipat oculos suos ne videat malum.*

XXVII. 4. Dilationes, extractiones, & moras non necessarias, vel injicere causæ, vel pati, ut ab aliis injiciantur. *Luc.* 18. *vers.* 3, 4. Nam 1. hoc est negare justitiam ex parte, quamvis non ex toto. 2. Hoc est efficacem occasionem præbere damni, vel utriusque partis, vel saltem alterius litigantis: dum enim causa protelatur, sumptus indies accrescunt, ita ut sæpe sortem & caput excedant. 3. Hac ratione fit ut incommoda tanta judiciis adhæreant, ut tam aliis pacis amantibus, quam pauperibus ac miserabilibus personis, in quorum gratiam præcipuè sunt constituta, noxia & formidabilia fiant, & improbis cavillatoribus maxime faveant: ita ut qui justam causam habent sæpe, judicia fugiant, & injusti oppressores eadem quærant: quæ est manifesta perversio & constupratio judiciorum. Istiusmodi abusibus convertuntur judicia in *absynthium, Amos* 5. 7. & 6. 12. & *in molestiam, Esai.* 10. 1, 2.

Quæstio septima. Quid juris sit de accusatione?

a XXVIII. Resp. 1. Delatio rei de crimine judici facta, sive fiat per *querelam*, (in qua quæri solet privatum bonum partis offensæ) sive per *denunciationem Euangelicam*, (qua intenditur bonum fratris denunciari) sive per *denunciationem judiciariam*, (qua intenditur bonum commune aut alterius innocentis per judicis inquisitionem) sive per *accusationem perfectam*, (qua idem bonum quæritur per

a De accusatoribus.

proba-

probationes deferentis procurandum) si recte & ordine fiat, est res licita & honesta. 1 *Timoth.* 5. *vers.* 19. Ratio, quia hujusmodi delatio est medium quoddam, proportionem & ordinem justum habens ad commune bonum defendendum. Est etiam actus virtutis justitiæ, quatenus est vindicatio injuriarium atrocium ex publica authoritate.

XXIX. 2. Multi sunt casus, in quibus non licitum tantum est, sed & necessarium, delinquentem accusare. e. g. 1. Fiscales, aut similes officiales, ex officio tenentur accusare nocentes, quoties expedierit ad promotionem publici boni. 2. Quilibet civis tenetur deferre crimina: quæ vel immediate lædunt bonum publicum, vel mediate in malum publicum redundant, vel graviter lædunt aliquem innocentem, si detrimentum illud non possit alia ratione commode averti. Ratio est, quia jure naturali, & ex charitate vel erga remp. vel erga proximum particularem, tenetur omnem suam industriam impendere, cum opus fuerit, ad talia mala à medio tollenda.

XXX. 3. Injusta redditur omnis accusatio, vel per *calumniam*, falsum crimen ponendo; vel per *prævaricationem*, fraudem in accusatione adhibendo; vel per *tergiversationem*, absque justa causa desistendo ab accusatione justa.

XXXI. 4. Non est semper necessarium præmittere admonitionem privatam ac fraternam ante accusationem vel delationem judiciariam. Aliquando enim scandalum est publicum, quod privata correctione non potest tolli. Aliquando nulla spes est, admonitionem privatam aliquid valituram. Nonnunquam etiam bonum commune ita periclitatur, ut per secretam admonitionem non possit defendi.

XXXII. 5. Si per admonitionem fraternam corrigi possit delinquens, & crimen ipsum non est aliis perniciosum, ita ut finis accusationis absque accusatione possit obtineri, tum charitas & justitia postulat,

stulat, ut accusatione missa facta, in correctione privata acquiescamus.

Quæstio octava. Quid juris sit de testibus?

a XXXIII. Resp. 1. Testis tenetur veritatem notam testari 1. si à judice legitimè interrogetur: quia postulat hoc tam obedientia judici debita, quam justitiæ promovendæ aut saltem non impediendæ cura. 2. Quamvis à judice non interrogetur, si tamen grave damnum immineat vel reip. vel alicui privato, quod (moraliter loquendo) non potest averti nisi per ejus testimonium, ex charitate saltem, si non etiam ex justitia, si commodè possit, tenetur veritatem testificari. Hinc in civilibus causis, quando proximus aliter grave damnum pateretur injustè, si quis sit, qui potest illi succurrere absque magno detrimento suo, non tantum ab ipso rogatus debet testificari, sed etiam ad testimonium se offerre: sicut etiam in criminalibus ad innocentem liberandum. *Prov.* 24. 11.

XXXIV. 2. In causis gravibus & criminalibus, duo testes ex ordine requiruntur. *Num.* 35. *vers.* 30. *Deut.* 17. 6. & 19. 15. Ratio est, quia unus facile corrumpi potest, & non potest facile convinci: duo vero aut plures testes falsi difficilius corrumpuntur, & quia vix possunt per omnia concordes esse, aut conformiter loqui idcirco facilius convincuntur.

XXXV. 3. Hinc tamen non impedit, quin in causis levioribus, præsertim quando non agitur de condemnatione alicujus, sufficiat unus testis eximiæ authoritatis. In quibusdam etiam criminibus, circa quorum probationem, ex natura rei, non possunt moraliter loquendo exspectari aut inveniri duo testes, ut in nocturnis flagitiis, in adulterio & similibus sufficere possunt probationes aliæ, quamvis non sint duo testes, idem singulare factum testantes. Ratio est, quia natura rei, & necessitas pu-

a De testibus.

blica

blica exceptionem hanc facit à regula universali.

XXXVI. 4. Vim & locum testimonii habent non tantum evidentia facti, confessio propria non extorta, instrumenta scripta, sed nonnunquam etiam præsumptiones, si non sint temerariæ, aut leves, sed planè violentæ & convincentes, 1 *Reg*. 3.

a Quæstio nona. Quid juris sit de Advocatis?

XXXVII. Resp. 1. Advocati & Procuratores constituti sunt ad supplendas vices eorum, qui justam causam habentes, vel ob imperitiam, vel propter absentiam, non possunt suas proprias causas agere sicut oportet.

XXXVIII. 2. Advocati igitur officium est exponere fundamenta causæ sui clientis, & eam judici probare, & quantum in se est, persuadere, ut pro illo sententiam ferat.

XXXIX. 3. Hinc in advocato singularis requiritur. 1. scientia causæ, & juris ad eam spectantis. 2. fidelitas, ac modus & ordo justus in eadem tractanda.

XL. 4. Hinc etiam nullus advocatus debet suscipere aut defendere, causam quam novit esse injustam. Nam 1. hoc esset mentiri, & contra conscientiam peccare. 2. hoc esset fraudem facere proximo contra *Levit*. 19. 13. & perversitatem exercere in judicio. ibid. *vers*. 15. 2. Hoc esset non tantum communicare peccatis judicis, & aliorum inique facientium, sed etiam eisdem occasionem efficacem aut causam præbere. Unde etiam fit, quod ars advocatoria (prout hodie à plerisque exercetur) nihil aliud sit, quam Sophistica perniciosa, ex dolis, fraudibus, technis, cavillationibus, laqueis, captiunculis, insidiis, tricis, ambagibus, & circumventionibus conflata.

XLI. 5. Ex iisdem rationibus consequitur, advocatum, qui initio litis causam censebat ju-

a De advocatis.

stam.

ſtam, ſed in progeſſu advertit eam injuſtam eſſe, teneri clientem ſuum admonere de injuſtitia cauſæ, eamque deſerere. Nam 1. poſt quam ad illam ſcientiam pervenit, non poteſt progredi, niſi contra conſcientiam facere velit. 2. Si cliens ejus intelligit cauſam ſuam injuſtam eſſe, tenetur deſiſtere. Ergo & advocatus qui eſt ejus adjutor.

XLII. 6. Poteſt etiam aliquando contingere, ut poſt injuſtitiam cauſæ evidenter compertam, teneatur advocatus (ſcandalo ſecluſo) contrariam partem vel teſtimonio vel conſilio juvare: ut in cauſa capitali, aut aliâ ſimilis momenti. Charitas enim poſtulat, ut uniuſquiſque paratus ſit occurrere gravi damno proximi ſui.

XLIII. 7. Si tamen cauſa ſit adeo probabilis, ut actor aut reus poſſit juſtitiam ejus judicio experiri, tum poteſt etiam advocatus eum adjuvare, argumenta illa judici ſubjiciendo, quæ faciunt ad cauſam probabilem reddendam.

XLIV. 8. Pro hac opera fideliter præſtita, quamvis poſſint advocati procurarores moderatum & ex conſuetudine aut bonorum æſtimatione probatum ſtipendium accipere, miſerabilibus tamen perſonis, quæ non habent, quod tribuant, gratis debent patrocinari, ex æquitate legis. *Exod.* 23. 4. & *Matth.* 7. 12. Hæc enim eſt eleemoſyna advocati, quatenus eſt talis.

*a* Quæſtio decima. Quid juris ſit de reo vel accuſato?

XLV. Reſp. 1. Si reus legitimè interrogetur, tenetur ſuum crimen fateri. Ratio. 1. Quia neque negare poteſt veritatem notam ſine mendacio; neque tacere vel reſpondendi officium detrectare; quando interrogatur à ſuperiore, qui jus habet interrogandi, ſine inobedientiæ peccato. 2. Quia crimen divina providentia manifeſtatum (prout debet manifeſtari ut reus de illo legitimè

*a* De perſona rea.

& juri-

& juridice interrogetur) vel mendacio, vel artificio abſcondere eſt aliquo modo contra gloriam Dei *Joſ.* 7. *verſ.* 19. 3. Quia publicum illud bonum, quod à judice in interrogatione legitima debet ſpectari, non debet à reo impediri. 4. Quia reus denegando crimen legitime objectum indirecte & per conſequentiam, dicit eum, qui objectat, per calumniam eſſe mentitum, cum gravi injuria ipſius.

XLVI. 2. Reus ex evidente iniquitate condemnatus, poteſt ſemetipſum licitis mediis, tam activa quam paſſiva reſiſtentia defendere, ne ſententia lata mandetur exequutioni, ſi poſſit id facere citra ſcandalum & majus malum. Ratio. 1. quia talis ſententia nulla eſt in foro conſcientiæ. 2. quia jure naturali, unuſquiſque jus habet ſemetipſum tuendi adverſus injurias, quæ ipſi intentantur.

XLVII. 3. Juſte condemnatus reus tenetur ad pœnam juſtam patiendam: ſed non ex ordine ad eandem ſibimet accerſendam, aut etiam ad procurandam aut non declinandam occaſionem patiendi.

XLVIII. 4. Licitum tamen eſt reo (ad gravius malum vitandum) in ſemetipſum aliquo modo exequi pœnam leviorem per juſtam ſententiam judicis decretam; ut reddere pecuniam judicatam, in carcerem, vel exilium iri: non vero mortis pœnam, aut ſimilem aliquam ſua natura horribilem, & naturæ humanæ repugnantem: quia hoc eſt intrinſece malum; neque poteſt ulla circumſtantia cohoneſtari.

## CAPUT LV.

### *De Secreti Revelatione.*

QUæſtio prima. An & quatenus peccatum ſit revelare ſecretum?

Reſp. I. Secretum alienum quod promiſimus nos celaturos, ſi promiſſio fuit & manet legitima,

non poteſt detegi abſque peccato. Ratio 1. quia hoc eſt contra veracitatem ac fidelitatem, quam jure naturali obſervare tenemur. 2. quia pugnat cum civili ſocietate, cujus perturbatio ſequitur ex iſtiuſmodi detectione ſecretorum.

II. Promiſſio occultandi fieri cenſetur non tantum expreſſè, quando ſilentium conceptis verbis pollicemur; ſed etiam tacite quando ex modo dicendi ac recipiendi, & ex verbis confidentiam ſignificantibus & ſuadentibus, pollicitatio talis relinquitur colligenda.

III. Quamvis nulla promiſſio interceſſerit, ſi tamen detectio ſecreti noceret alterius animæ, corpori, honori vel fortunis, tum ille quia abſque cauſa revelaret, peccaret tam adverſus Juſtitiam quam charitatem.

IV. Si animus vel intentio lædendi comitetur iſtam revelationem, gravius fit peccatum: ut quod caritati directè adverſatur.

V. Si non adſit animus alium lædendi, & tamen revera lædatur, aut ſaltem eſt periculum læſionis, tantum eſt peccatum, quanta eſt negligentia vel inconſideratio, in qua culpa nunc levis, nunc lata reperitur. Nam ſicut in factis, ſic etiam in verbis, non ſatis eſt ut abſit intentio lædendi, ſed inſuper caritas ac juſtitia poſtulat, ut adhibeatur diligentia, ne alterius detrimentum inde ſequatur.

VI. Quia injuſta revelatio ſecreti habet ſæpe in ſeſe pernitioſam violationem fidei, amicitiæ, & honeſtatis, idcircò non tantum communi hominum æſtimatione, ſed etiam in Scriptura numeratur inter peccata maxime odioſa, *Pſal.* 35. 15. *Qui pariter dulce inibamus ſecretum*, 2 *Tim.* 3. 4. *Proditores.*

VII. Si tamen ſecretum nobis commiſſum in grave damnum aliorum, vel etiam ipſius committentis, niſi detegeretur, ex caritate tenemur illud manifeſtare.

VIII. Si etiam ſecretum ſit levis aut nullius momenti, niſi promiſſio obſit, poteſt abſque peccato reve-

revelari: quia in tali materia, neque justitia, neque caritas per se obligationem ullam inducit.

## CAPUT LVI.

### *De Æquitate legis Talionis in testem falsum à Mose statuta, Deut.* 19. 16. *&c.*

I. Lex ista non statuitur in eum qui ex ignorantia probabili, vel inadvertentia, vel errore culpa lata carente, falsum testimonium dixerit: sed de eo qui destinato consilio surrexerit in aliquem ad testificandum adversus ipsum crimen falsum, *vers.* 16.

II. Accurata diligentia debet à judicibus adhiberi, ut certò ac clare constet non solum de facto iniquo, sed & de animo & de intentione hujusmodi testis, *vers.* 17, 18.

III. Hujusmodi peccati gravitas ex eo apparet, 1. quod religionis & Dei ipsius contemptus in perjurio testis falsi contineatur. 2. Quod malitia & odium summum adversus proximum ostendatur simul & exerceatur. 3. Quod istiusmodi testimonia falsa directè tendant ad justitiam communem & societatem humanam evertendam.

IV. Æquissimum est, ut qui hunc in modum peccat, eidem pœnæ subjiciatur quam innocenti intendit & conatus est inferre. Nam 1. Lex est omnium confessione æquissima, ut qui effundit sanguinem hominis, sanguis ejus per hominem effundatur *Gen.* 9. 6. sed qui suo testimonio mortem alterius procuravit, vel conatus est procurare, ille quantum in se fuit, sanguinem ejus effudit. 2. Justitia pœnæ (quæ consistit in proportione ejus ad culpam) in ista lege manifestè observatur. 3. Hujus legis observatio eo tendit, ut qui tale facinus meditantur, & tamen à pœna tali abhorrent, de gravitate ex rei ipsius natura moneantur, & sic à proposito deterreantur.

V. Extendenda est æquitas hujus legis ad falsos accusatores, qui scientes, volentes, per calumniam, accusant aliquem de crimine falso; ad testium aut judicum corruptores malitiosos, &c. Cum enim in his omnibus eadem sit malitia, in procurando proximi malo, eadem omnes plecti debent pœna.

## CAPUT LVII.

### *De Contentatione.*

QUæstio prima. Quid requiritur ad contentationem?

I. Resp. 1. Requiritur, ut mores habeamus ab omni avaratia alienos, *Hebr.* 1.5.

II. 2. Ut non simus solliciti de eis quæ pertinent ad vitam præsentem, *Matth.* 6.25. *&c.*

III. 3. Ut nullam singularem mensuram vel speciem istiusmodi rerum absolutè, aut avidè concupiscamus, 1 *Tim.* 6.9.

IV. 4. Ut proximis optima quæque cupiamus, & nostram qualemcunque conditionem boni consulamus, 2 *Cor.* 13.9.

Quæstio secunda. Quibus argumentis excitare nosmetipsos possimus ad studium hujus contentationis?

V. Resp 1. Dei providentia omnia ad suam gloriam & nostram salutem dispensans, exegit à nobis submissionem istam contentationis, *Job.* 1.21.

VI. 2. Contentationis hujus defectus inducit in multas tentationes & peccata, tàm in Deum, cujus voluntati obmurmuramus, quàm in proximum, cui invidemus.

VII. 3. Tranquillitas animi (sine qua inepti reddimur ad communia officia pietatis, charitatis & justitiæ, & in qua pars magna felicitatis nostræ consistit) non potest retineri sine contentatione.

VIII. 4. Contentationis defectus arguit animum huic mundo, & suis commodis nimis deditum & inhiantem.

Quæ-

Quæstio tertia. Quæ media præcipuè efficacia conducunt ad istam contentationem acquirendam?

IX. Resp. 1. Si rerum spiritualium justam æstimationem & congruentem erga illas affectum in nobismetipsis excitemus.

X. 2. Si de vanitate hujus mundi, serio multumque meditemur.

XI. 3. Si in qualicunque conditione nostra præcipuè attendamus ad illa, quæ materiam nobis præbent Deo benedicendi.

XII. 4. Si assuescamus nosmetipsos, ut iis rebus, quas Dominus hic nobis concedit, sic utamur & habeamus quasi non haberemus, 1 *Cor*. 7. 30.

*Gloria Deo, hominibus Pax conscientiæ.*

FINIS LIBRI QUINTI.



# PARÆNESIS,

## AD

# STUDIOSOS

## Theologiæ, habita FRANEKERÆ, Aug. 22. Anno 1623.

*QUamvis (viri clarissimi, & charißimi auditores) in isthoc dicendi genere, neque aliis possum, neque mihimetipsi magnopere soleo placere: atque adeo libentius multo in lectionibus usitatis pergere poßim, quam in istis præfationum ambagibus morari: quum tamen hoc ipsum, tanquam officii mei partem quandam necessariam, & mores & tempora videntur à me postulare: posthabitis eruditorum aurium delicatis judiciis, atque censuris, auditorum commodis, brevi quadam parænesi, hoc tempore, quasi litare decrevi.*

*Socrates eo nomine à cordatis omnibus, inter antiquos, maxime celebratur, quod primus à rebus occultis, & ab ipsa natura involutis, in quibus ante eum Philosophi occupati fuerunt, avocavit philosophiam & ad vitam communem adduxit, ut de virtutibus & vitiis, omninoque de bonis rebus & malis quæreret, quatenus possint ad bene vivendum conferre. Simili quodam instituto, (absit invidia comparatione) tentavi ego anno præcedente, quia rem necessariam videbam omissam, tentavi (inquam) an theologiam*

aliqua

*aliqua ex parte avocare possim ( in Academia saltem nostra ) à quæstionibus & controversiis quibusdam spinosis, plexis, & minus necessariis, & ad vitam & praxin eam adducere, ut de conscientia, & ejus cura, incipiant studiosi seria cogitare.*

*Consilium istud meum ab optimo quoque probari scio: neque audere quemquam puto, adeo se alienum ab omni pietate profiteri, ut ipsum propositum palam damnet, aut reprehendat. Hoc enim est, quod pii omnes in Academiis nostris diu jam, & nimis certe diu, desiderarunt. Hujus generis institutionis defectum, Pontificiæ pleræque omnes, & præcipue Jesuitarum scholæ, non sine pudore nostro, objicere nobis & exprobare videntur. Hoc probatissime fidei ministri, & integræ etiam Synodi, ab Academiæ Leidensis Curatoribus, iteratis votis aliquoties petierunt: ubi etiam, nisi fallant auguria, brevi ( uti par est ) hujusmodi professionem videbimus constitutam. Hoc ipsum denique, quod omnium est gravissimum, miserandæ Dei Ecclesiæ, quasi jure suo, ab omnibus Academiis flagitant, quæ prodi se & plane perdi clamitant, dum conscientiæ hominum iis curandæ & ex officio tractandæ mandantur, qui nullam hujusce rei artem, ulla ex parte didicerunt; qui an talis doctrina necessaria sit, vel omnino sit, videntur nescire; quia vix unum præceptum non omnibus notum, quod eo directè spectat, aut sibimetipsis elegerunt unquam sedulò meditandum, aut ab aliis audiverunt diligenter inculcatum. Hæc quum ita se ha-*

*habeant, non equidem vereor, ne in cujuspiam i-pertam reprehensionem incurrat nova ista, quam incepi, docendi ratio. Attamen, quod usu venire solet, ut non probent & amplectantur statim homines, quod bonum esse fatentur id hac in re observasse mihi videor. Nemo quidem reprehendit illa, quæ in isthoc genere hactenus fuere proposita, pauci tamen sunt, qui eadem prehendere, aut studio justo prosequi curant.*

*Huic autem languori hæc unica datur medendi ratio, si errores illi, ex quibus nascitur, notari simul possint, & minui, vel etiam ex animis nostris evelli.*

*Hoc igitur dum ego in præsentiarum breviter conabor, peto à vobis ut attentis ac faventibus animis velitis adesse.*

*Primus maxime capitalis error, cui cæteri fere omnes originem suam debent, in eo versatur, quod de Theologiæ proprio fine, raro & parum ab iis cogitatur, qui inter ejus alumnos nomina sua profitentur. Quid enim est miri, si scopum illi nunquam attingant, qui nunquam ad eum intentis oculis collimarunt?*

*Scopus autem Theologi quis esse debeat, Apostolus paucis docet* 1 Timoth. 4. 16. *ut semetipsum nempe servet, & eos qui ipsum audierint, id est, vivens ipse Deo, alios etiam ad Deum adducat: vel, ut* Dei *gloriæ, & Ecclesiæ ædificationi addicat & devoveat sese totum. Præclarum sane propositum, & cœlestibus angelis dignum: quibuscum etiam Theologi communem hac in parte sortiuntur provinciam. Qui verò me-*

*metam iſtam ob oculos habent, nil opus eſt ut excitentur ad ſtudia quæ intimè pertinent ad conſcientiam, conſcientias habent inſtar mille monitorum; Salutem enim & vitam apprehendi non poſſe norunt, niſi bonâ conſcientiâ ſervatâ: qua expulſa, abjecta, vel neglecta, naufragium fidei non poteſt vitari,* 1 Tim. 1. 19.

*Hujuſmodi verò intentio, quam procul abſit à conſiliis omnibus maximè partis eorum qui nunc dierum ad miniſterium adſpirant, aut in ejus ſpem educantur, clarius eſt, quam ut multis verbis debeat oſtendi. Quid aliud eſt in cauſa, cur nemo ferè ex iis, qui vel nobili aliqua familia naſcuntur, vel à parentibus expectant unde lautius vivere poßint, ad Theologiam accedit, aut miniſterium unquam ſibi proponit, niſi quod mundanis dediti cupiditatibus, curvos ſuos animos non poſſunt erigere, ad illa proſequenda, quæ honoribus & magnis hujus mundi commodis deſtituuntur, quamvis maxima cœleſtia ſint, & plane divina:*

*De Romano quodam Prætexto refert Hieronymus, quod ſolebat ludens beato Damaſo dicere,* facite me Romanæ urbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus. *Sic etiam de multis eorum qui nunc miniſterium fugiunt, & contemnunt haud vana conjectura poßit affirmari, ſi fieri poßint Abbates, Epiſcopi, Cardinales, Pontifices, protinus eſſent miniſtri. Sed bene eſſet miniſtro, quod nihil habeat, cujus nomine ab hujuſmodi mancipiis mundi ambiatur: ſi modo alii eſſent eorum animi, qui ſtudioſè illud quærunt.*

*runt, quod ab illis negligi, ne dicam sperni, observant. At vero ex istis etiam plerique ita videntur animati, ut, si fieri possit cum eadem facilitate, aliam quandam non inopem vitam eligerent ante ministerium: & cum alia ex voto non possunt assequi, istuc delabuntur quasi coacti, secundum vetus illud proberbium, qui citharœdi fieri non possunt, aulœdi fiunt. Non secus igitur ad istam professionem sese conferunt, quam ad alias artes aut vulgares occupationes vitæ facere solent alii, ut victum scilicet quærant. Si tales postea inutile fuerint ecclesiæ pondus, si tempori ac scænæ tantum serviant, si sua semper quærant, & non illa quæ sunt Dei, nihil est quod quisquam miretur. Miranda magis est illa gratia & providentia Dei, qua factum est hactenus, ut ecclesia consistat, quamvis ab hujusmodi mercenariis hominibus miserandum in modum opprimatur. Hoc igitur inprimis omnes illi, qui sacræ huic functioni nomina sua dederunt, aut etiam dare animis destinarunt, rogandi, monendi & Dei nomine sunt obtestandi, ut ab initio ita se conferant ad rerum divinarum studia, non ut quæstus habentes pietatis professionem, sed ut pietatem ipsam omni quæstui anteponentes. Quisquis autem, cum Simone Mago commoda sua propria quærit ex ministerio, audiat sententiam Simonis Petri, vel Dei potius: de se jam olim pronunciatam:* Non est tibi pars neque sors in hoc negotio: cor enim tuum non est rectum in Dei conspectu *Auctor. 8, 21.*

Hacte-

*Hactenus primigenium nostrum vitium notavi, ex quo cætera quælibet facile redundant.*

*Huic proximum & maximè consanguineum est, quod animus ille ad ista studia non adfertur, qui est tam deificâ disciplinâ dignus.*

*Purum sit oportet & extersum speculum, in quo clare reluceat æternæ veritatis imago. Vitiorum inquinamenta, & cupiditatum tumultus abesse debent (quantum fieri potest) ab illo corde, in quo tabernaculum sibi figat sapientia divina. Ad fortia mittuntur fortes: ad pietatis officia mittendi soli pii. Illa tamen est horum temporum miseria, ut moribus pessimis imbuti, tincti, fœdati, possint & audeant effœtos suos animos ad ministerium applicare; ac si nihil aliud quærerent, quam sanctitatem illius muneris suis vitiis dedecorare. Sartor quidem, opilio, aut bubulcus bonus potest quis esse, qui non est vir bonus. Sed qui vir bonus non est, & aliquid etiam amplius, minister bonus nunquam evadet. Sal insulsum, insipidum, infatuatum sunt tales theologi: nec ad aliud quidquam valent, nisi ut abjiciantur foras, & à quibusvis conculcentur. Quod igitur Paulus Timotheo juveni dixit.* 2 Tim. 2. *id juvenis quisque Christianus, sed præcipuè theologus, sibi dictum putet:* Juveniles cupiditates fuge: sectare justitiam, fidem, caritatem, pacem, cum iis qui invocant Christum ex mundo corde.

*Intentionem & animum studiis hisce destinati, sequutur semper, & referunt ipsa studia.*

*Studiosi vocantur omnes, quorum nomina in*

albvm Academicum referuntur: sed nemini magis convenit hæc appellatio, quam iis qui operam suam collocant in Theologia. Ille enim σπουδαῖος propriè dicitur, qui rei gravi ac probatæ congruam operam diligenter navat: quid autem cogitari potest gravius, aut magis probandum, quam est professio Theologiæ? non agitur hic de prædiis ac fundis, & similibus terrenis bonis, ut de jure civili: sed de summo bono, & cælo supremo. Non de sanitate corporis momentanea, ut in medicina: sed de salute ac vita æterna. Non hic, ut ibi, inquiritur in hominum placita, edicta, rescripta, præscripta: sed in æternam Dei sapientiam, & voluntatem perfectam. Adeo tamen cæci sunt multi eorum, qui ad ista vocantur, ut tam divinis rebus vel non omnino studeant, vel perverse admodum & imprudenter. Cum quosdam omnino studere nego. Non illos tantum intelligo, qui sunt toti dediti otio, socordiæ, voluptatibus, qui neque legunt ipsi quidquam, nec alios audiunt prælegentes: sed & illos qui oscitanter, & quasi dicis causa, non nihil tantum non agunt. Studere namque dicimur ei rei quam plurimi faciamus, quamque magno conatu nobis parare contendimus. Student igitur multi, multis rebus aliis: sed in tanta copia studiosorum nomine, pauci revera student Theologiæ. Satis est multis ad ministerium imperfectum aliquod compendium leviter percurrisse, quamvis librum Dei signatum plane habeant, neque aperiri aut reserari sibi curent. Cum tales mittuntur ex Academiis ad Ecclesias docendas, vel, uti debent, incredibili illa ingenii

*nii magnitudine ac fœlicitate, qua Lucullus dicitur valuisse, qui Mithridaticum bellum missus, Roma profectus rei militaris rudis in Asiam venisse dicitur perfectus Imperator: vel rudes manentes, docent postea quod nesciunt, quod nunquam didicerunt: ne hoc quidem scientes, quod nesciant illa quæ docere debent. Audiant isti, & cæteri omnes Apostoli præceptum ad Timotheum* Epist. 1. cap. 4. v. 13, 15. Intentus esto lectioni, hæc meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit inter omnes. ταῦτα μελέτα ἐν τούτοις ἴσθι. *Vox est illa solennis in sacris usurpata,* Hoc agite. *Opera omnis perfunctoria, & oscitantia languida, in tantis rebus scelus est nefandum.*

*Sed neque melius multo de iis licet sperare, qui currunt, quidem, verum extra viam:* certant (*ut Apostolus loquitur*) sed non legitime: *student quidem sedulo, sed rationem & viam rectam in studiis suis nequaquam tenent. Veteres medici, qui mortalibus plurimum profuerunt, suam disciplinam in tres partes distribuisse dicuntur,* τὸ δόγμα τὴν μέθοδον καὶ τὴν ἐμπειρίαν, *dogmata, methodum & experientiam. Non sunt istæ partes quidem propriè loquendo medicinæ, sed modi discendi, & agendi media, non medicis tantum, sed omnibus iis qui scientiam aliquam exercere volunt, & Theologis inprimis. Quo enim & nobilior cæteris omnibus disciplina est Theologia, eo magis accuratè sunt ejus dogmata noscenda, ac methodicè etiam percipienda, &*

quo

*quo magis intime ſpectat ad vitæ praxin, quam præterea quidquam, eo magis etiam cum hac ſcientia conjungi debet experientia. Nec ſine tribus hiſce conjunctis, poteſt unquam impleri præceptum illud ſtudendi, quod tradit Apoſtolus* 2 Tim. 2. 15. *ſtude teipſum probatum ſiſtere Deo operarium, qui non erubeſcat, & qui recte veritatis ſermonem ſecet. Haud temere dictum fuit à Luthero, præter Lectionem aſſiduam, Orationem etiam & Tentationem neceſſarias eſſe ad virum Theologum accuratè formandum.*

*Noſtri autem Theologi, præclare ſe inſtructos eſſe putant ad omnes officii ſui partes, ſi dogmata tantum intelligant, & utinam intelligerent.*

*Neque tamen omnia dogmata ſcrutantur, ſed illa ſola, quæ præcipuè ſolent agitari, & in controverſiam vocari. Scripturæ idcirco illas tantum particulas inſpicere curant, quæ ad locum aliquem communem aut controverſiam definiendam ab aliis vident citari. Linguis perdiſcendis nullam curam impendunt. Logicam ſupervacaneam eſſe autumant. Poſtillis, commentariis, & ſæpe etiam commentis hominum fidunt. O miſeram Eccleſiarum ſortem: & à bonis omnibus cum veris lacrymis deplorandam, quæ ita contemptui habentur ab iis quos habituræ ſunt paſtores, ut nihil aliud cogitare ſæpe videantur, quam ut ipſis illudant. Abſit à vobis (chariſſimi juvenes) procul abſit hæc tanta impietas. Studete Scripturis ſedulo, dum tempus opportunum habetis. Studete iis logicè ac diſtinctè percipiendis,*

*dis, ut sensus habeatis exercitatos ad discretionem boni & mali,* Hebr. 5. 14. *Studete denique in ipsis, non pauculis tantum dogmatis & controversiis, sed omni informationi & institutioni in omnis virtutis ac pietatis methodo & experientia: ut homines Dei possitis evadere, ad omne opus bonum perfecte instructi.* 2 Tim. 3. 16. *Properatis ferè omnes in studiis. Vobis non licet, aliquam ætatis partem in difficilibus & frivolis nugis perdere. Sit igitur hæc prima & unica vestra cura, ut Scripturas distinctè perceptas habeatis quasi familiares: ex quibus & stamen & trama Theologiæ constat: & ex quibus, ut Clemens Alexandrinus monet, omnes conciones nostræ debent ἀναπνεῖν καὶ ζῆν, & spirare & vivere. Ex aliis authoribus, quorum adminiculo debetis aliquando uti, illi præcipuè sunt eligendi & lectitandi, qui succum & sanguinem Scripturæ sapiunt, qui ad praxin pietatis deducunt: quos etiam non tam ut intelligatis, nitendum est, quam ut aliqua ex parte referatis: illud semper firmum & fixum habentes, Theologiam tum demum vere ac utiliter disci, cum non intellectu & memoria ceu stomacho subsidit, sed in ipsos affectus trajicitur, quasi in intima viscera cordis.*

*Controversiarum scientiam necessariam nobis fecerunt hæretici: sed studium pietatis, ut absolute necessarium, Deus ipse mandavit. Si igitur sic insaniamus circa quæstionum pugnas, ut pietatis doctrinam negligamus; nescio sane an hæreses multæ non æquè fere noceant impugnantibus, quos abstrahunt à tanto bono, ac recipientibus*

*tibus ipsis norint, quos attrahunt tamen in magna mala.*

*Controversiæ in Theologia, neque fugiendæ sunt, ut quibusdam est in more: neque quærendæ aut consectandæ, sicut aliis est usus: sed ubi necessaria existunt, admitti debent & ex certis principiis breviter explicari. Solida autem Theologiæ ratio, quæ positiva dici solet, imprimis ex Scripturis est haurienda, & recta methodo imbibenda: tum certa consectaria ad praxin ex illa deducenda. In istis est Regnum Dei, & justitia ejus: quibus primò acquisitis, cætera omnia sua sponte sequentur.*

*Illi vero qui principia & omnia fere practica negligunt, tanquam vulgaria, pervia ac omnibus exposita, & languent interim circa quæstiones quasdam subtiliores, & controversias implexas: cum postea ad concionandum accedent, sibimetipsis quidem nimis placent, sed prudentibus omnibus, alias risum, & alias misericordiam solent movere. Risum, quando vel minima arrepta ansa, de controversia aliqua non necessaria, plura proferunt, quam oneraria navi possint contineri: misericordiam, cum de practicis verba facere coacti, in altum mundum videntur translati, & magis frigent, quam multi ex plebe facerent, in eorum loco constituti.*

*Si verò praxis una cum peritia harum rerum absit, pudor est cogitare, quia spectaculum sese præbeat hujusmodi magister controversiarum. Contendit acerrime, sanctos & angelos non esse invocandos: cum ipse interim Deum opti-*

*optimum maximum vel nescit, vel negligit invocare Christi corpus neque in pane sacramentali, neque sub ejus specie latere, arcte defendit: communionem tamen Christi tanquam speciem aut larvam aliquam indignissime tractat. Omnia peccata mortalia esse solicite probat: sic autem vivit quasi nullum scelus opus haberet venia. Operibus hominem non justificari multis testimoniis, & argumentis demonstrat: fidem tamen suam vivam & veram nullis operibus unquam ostendit. Annon præclare populum suis controversiis exædificabit? Sed de studiis hactenus: adjiciendum jam aliquid restat de exercitiis Theologicis. Exercitium est ad omne cœptum præclarum plane necessarium. Quomodo enim (ut recte Ambrosius) sine exercitio, doctrina, aut sine usu profectus? Receptum est illud inter philosophos ad virtutem natura nos gignit, doctrina excitat, exercitatio verò & consuetudo perducit. Sed multo verius affirmari potest à nobis, ad Theologiam gigni nos à gratia, doctrina excitari, & exercitatione perduci. Nihil est igitur magis dolendum, quam plerosque nostrorum adeo alienos esse ab exercitiis Theologicis. Qui disciplinam bellicam vult assequi (ut idem Ambrosius observat) quotidie exercitatur armis, & tanquam in procinctu positus, præludit prælium, & velut coram posito prætendit hoste, atq; ad peritiam viresq; jaculandi, vel suos explorat lacertos vel adversariorum declinat ictus, & vigilanti exit obtutu. Qui navim in mari gubernaculis regere studet, vel remis ducere, prius in*

*fluvio præludit. Qui canendi suavitatem, & vocis affectant præstantiam, prius vocem excitant sensim canendo. Et qui viribus corporis, legitimoque luctandi certamine coronam petunt, quotidiano usu palæstræ durantes, membra nutrientes, patientiæ laborem assuescunt. Ita ergo, & qui veri ac solidi Theologi evadere student, quod Theologiæ est exerceant. De disputationibus nihil dicam: quia nemo illas fugit, nisi qui sibimet conscius est imperitiæ pudendæ. Cujus etiam propria causa est dialecticæ artis neglectus.*

*De concionum præludiis, quas propositiones appellant, hoc sunt monendi ministerii candidati, ne tantopere curent exordiorum aut prooemiorum inanitates, neque vocis modulationem, aut gestum componere ad affectatam quandam gravitatem, quasi fercula pomparum, aut statuarum motus nutantium vellent imitari. De istis enim sufficit breve illud præceptum: vocem & gestum natura informet:* si *quid in natura vitii est, industria emendet: ut desit fucus, τὸ πρέπον autem non desit. Circa hoc sint magis, ut seriò se exerceant, divinas literas distinctè & intelligenter, ad captum & memoriam populi enarrare: de pietate graviter atque efficaciter disserere: doctrinas dextre ex textu elicere, & fortiter applicare ad animos hominum cœlestibus studiis inflammandos.*

*Sunt etiam alia quædam exercitia Theologiæ propria & quasi domestica, sine quibus priora illa parum valent. Qualia sunt ista, subinnuit Apostolus.* 1. Timoth. 4. 7. *ubi ministrum infor-*

*informans, gravissimè hortatur, ut* exerceat *se ad pietatem.* Et Actor. 24. 19. *ubi suum exercitium narrans, affirmat se in eo totum fuisse, ut* exerceret *semetipsum ad conscientiam habendam sine offensa, apud Deum & apud homines semper. Hujus generis exercitia sunt preces assiduæ, non ex formula puerili, sed ex intimo cordis sensu, & occasione quotidiana depromptæ: exsuscitatio fidei, spei, caritatis, resipiscentiæ, & omnis gratiæ, per meditationes accommodatas: communicatio mutua donorum Dei, in exhortationibus, admonitionibus, & consolationibus tempestivis. Sed de istis agendum erit in ipsis lectionibus. In præsentia nihil addam, nisi quod Deum nostrum clementissimum orem, ut largiri mihi velit ex sapientiæ suæ thesauris, quod proponere possim cum pietatis fructu: & vobis illam gratiam, qua ad Theologiæ finem ascendere valeatis. Dixi.*

# INDEX CAPITUM
## LIBRI PRIMI.



## LIBRI SECUNDI.



10 De

# INDEX CAPITUM.



## LIBRI TERTII.



LIBRI

INDEX CAPITUM.

LIBRI QUARTI.



LIBRI

INDEX CAPITUM.

LIBRI QUINTI.



28. De

FINIS.



-2-4-

*quo magis intime ſpectat ad vitæ praxin, quam præterea quidquam, eo magis etiam cum hac ſcientia conjungi debet experientia. Nec ſine tribus hiſce conjunctis, poteſt unquam impleri præceptum illud ſtudendi, quod tradit Apoſtolus* 2 Tim.2.15. *ſtude teipſum probatum ſiſtere* Deo *operarium, qui non erubeſcat, & qui recte veritatis ſermonem ſecet. Haud temere dictum fuit à Luthero, præter Lectionem aſſiduam, Orationem etiam & Tentationem neceſſarias eſſe ad virum Theologum accuratè formandum.*

*Noſtri autem Theologi, præclare ſe inſtructos eſſe putant ad omnes officii ſui partes, ſi dogmata tantum intelligant, & utinam intelligerent.*

*Neque tamen omnia dogmata ſcrutantur, ſed illa ſola, quæ præcipuè ſolent agitari, & in controverſiam vocari. Scripturæ idcirco illas tantum particulas inſpicere curant, quæ ad locum aliquem communem aut controverſiam definiendam ab aliis vident citari. Linguis perdiſcendis nullam curam impendunt. Logicam ſupervacaneam eſſe autumant. Poſtillis, commentariis, & ſæpe etiam commentis hominum fidunt. O miſeram Eccleſiarum ſortem: & à bonis omnibus cum veris lacrymis deplorandam, quæ ita contemptui habentur ab iis quos habitura ſunt paſtores, ut nihil aliud cogitare ſæpe videantur, quam ut ipſis illudant. Abſit à vobis (chariſſimi juvenes) procul abſit hæc tanta impietas. Studete Scripturis ſedulo, dum tempus opportunum habetis. Studete iis logicè ac diſtinctè percipiendis,*

*dis, ut sensus habeatis exercitatos ad discretionem boni & mali,* Hebr. 5. 14. *Studete denique in ipsis, non pauculis tantum dogmatis & controversiis, sed omni informationi & institutioni in omnis virtutis ac pietatis methodo & experientia: ut homines Dei possitis evadere, ad omne opus bonum perfecte instructi.* 2 Tim. 3. 16. *Properatis ferè omnes in studiis. Vobis non licet, aliquam ætatis partem in difficilibus & frivolis nugis perdere. Sit igitur hæc prima & unica vestra cura, ut Scripturas distinctè perceptas habeatis quasi familiares: ex quibus & stamen & trama Theologiæ constat: & ex quibus, ut Clemens Alexandrinus monet, omnes conciones nostræ debent ἀναπνεῖν καὶ ζῆν, & spirare & vivere. Ex aliis authoribus, quorum adminiculo debetis aliquando uti, illi præcipuè sunt eligendi & lectitandi, qui succum & sanguinem Scripturæ sapiunt, qui ad praxin pietatis deducunt: quos etiam non tam ut intelligatis, nitendum est, quam ut aliqua ex parte referatis: illud semper firmum & fixum habentes, Theologiam tum demum vere ac utiliter disci, cum non intellectu & memoria ceu stomacho subsidit, sed in ipsos affectus trajicitur, quasi in intima viscera cordis.*

*Controversiarum scientiam necessariam nobis fecerunt hæretici: sed studium pietatis, ut absolute necessarium, Deus ipse mandavit. Si igitur sic insaniamus circa quæstionum pugnas, ut pietatis doctrinam negligamus; nescio sane an hæreses multæ non æquè fere noceant impugnantibus, quos abstrahunt à tanto bono, ac recipien-*

*tibus*

*tibus ipsis nocent, quos attrahunt tamen in magna mala.*

*Controversiæ in Theologia, neque fugiendæ sunt, ut quibusdam est in more: neque quærendæ aut consectandæ, sicut aliis est usus: sed ubi necessaria existunt, admitti debent & ex certis principiis breviter explicari. Solida autem Theologiæ ratio, quæ positiva dici solet, imprimis ex Scripturis est haurienda, & recta methodo imbibenda: tum certa consectaria ad praxin ex illa deducenda. In istis est Regnum Dei, & justitia ejus: quibus primò acquisitis, cætera omnia sua sponte sequentur.*

*Illi vero qui principia & omnia fere practica negligunt, tanquam vulgaria, pervia ac omnibus exposita, & languent interim circa quæstiones quasdam subtiliores, & controversias implexas: cum postea ad concionandum accedent, sibimetipsis quidem nimis placent, sed prudentibus omnibus, alias risum, & alias misericordiam solent movere. Risum, quando vel minima arrepta ansa, de controversia aliqua non necessaria, plura proferunt, quam oneraria navi possint contineri: misericordiam, cum de practicis verba facere coacti, in altum mundum videntur translati, & magis frigent, quam multi ex plebe facerent, in eorum loco constituti.*

*Si verò praxis una cum peritia harum rerum absit, pudor est cogitare, quia spectaculum sese præbeat hujusmodi magister controversiarum. Contendit acerrime, sanctos & angelos non esse invocandos: cum ipse interim Deum opti-*

optimum maximum vel nescit, vel negligit invocare Christi corpus neque in pane sacramentali, neque sub ejus specie latere, arcte defendit: communionem tamen Christi tanquam speciem aut larvam aliquam indignissime tractat. Omnia peccata mortalia esse solicite probat: sic autem vivit quasi nullum scelus opus haberet venia. Operibus hominem non justificari multis testimoniis, & argumentis demonstrat: fidem tamen suam vivam & veram nullis operibus unquam ostendit. Annon præclare populum suis controversiis exædificabit? Sed de studiis hactenus: adjiciendum jam aliquid restat de exercitiis Theologicis. Exercitium est ad omne cœptum præclarum plane necessarium. Quomodo enim (ut recte Ambrosius) sine exercitio, doctrina, aut sine usu profectus? Receptum est illud inter philosophos ad virtutem natura nos gignit, doctrina excitat, exercitatio verò & consuetudo perducit. Sed multo verius affirmari potest à nobis, ad Theologiam gigni nos à gratia, doctrina excitari, & exercitatione perduci. Nihil est igitur magis dolendum, quam plerosque nostrorum adeo alienos esse ab exercitiis Theologicis. Qui disciplinam bellicam vult assequi (ut idem Ambrosius observat) quotidie exercitatur armis, & tanquam in procinctu positus, præludit prælium, & velut coram posito prætendit hoste, atq; ad peritiam viresq; jaculandi, vel suos explorat lacertos vel adversariorum declinat ictus, & vigilanti exit obtutu. Qui navim in mari gubernaculis regere studet, vel remis ducere, prius in

fluvio

*fluvio præludit. Qui canendi suavitatem, & vocis affectant præstantiam, prius vocem excitant sensim canendo. Et qui viribus corporis, legitimoque luctandi certamine coronam petunt, quotidiano usu palæstræ durantes, membra nutrientes, patientiæ laborem assuescunt. Ita ergo, & qui veri ac solidi Theologi evadere student, quod Theologiæ est exerceant. De disputationibus nihil dicam: quia nemo illas fugit, nisi qui sibimet conscius est imperitiæ pudendæ. Cujus etiam propria causa est dialecticæ artis neglectus.*

*De concionum præludiis, quas propositiones appellant, hoc sunt monendi ministerii candidati, ne tantopere curent exordiorum aut prooemiorum inanitates, neque vocis modulationem, aut gestum componere ad affectatam quandam gravitatem, quasi fercula pomparum, aut statuarum motus nutantium vellent imitari. De istis enim sufficit breve illud præceptum: vocem & gestum natura informet:* si *quid in natura vitii est, industria emendet: ut desit fucus, τὸ πρέπον autem non desit. Circa hoc sint magis, ut seriò se exerceant, divinas literas distinctè & intelligenter, ad captum & memoriam populi enarrare: de pietate graviter atque efficaciter disserere: doctrinas dextre ex textu elicere, & fortiter applicare ad animos hominum cœlestibus studiis inflammandos.*

*Sunt etiam alia quædam exercitia Theologiæ propria & quasi domestica, sine quibus priora illa parum valent. Qualia sunt ista, subinnuit Apostolus.* 1. Timoth. 4. 7. *ubi ministrum infor-*

*informans*, *gravissimè hortatur*, *ut* exerceat *se ad pietatem.* Et Actor. 24. 19. *ubi suum exercitium narrans*, *affirmat se in eo totum fuisse*, *ut* exerceret *semetipsum ad conscientiam habendam sine offensa*, *apud Deum & apud homines semper. Hujus generis exercitia sunt preces assiduæ*, *non ex formula puerili*, *sed ex intimo cordis sensu*, *& occasione quotidiana depromptæ*: *exsuscitatio fidei*, *spei*, *caritatis*, *resipiscentiæ*, *& omnis gratiæ*, *per meditationes accommodatas*: *communicatio mutua donorum Dei*, *in exhortationibus*, *admonitionibus*, *& consolationibus tempestivis. Sed de istis agendum erit in ipsis lectionibus. In præsentia nihil addam*, *nisi quod Deum nostrum clementissimum orem*, *ut largiri mihi velit ex sapientiæ suæ thesauris*, *quod proponere possim cum pietatis fructu*: *& vobis illam gratiam*, *qua ad Theologiæ finem ascendere valeatis. Dixi.*

IN-

# INDEX CAPITUM
## LIBRI PRIMI.



## LIBRI SECUNDI.



10 De

## INDEX CAPITUM.



## LIBRI TERTII.



LIBRI

## INDEX CAPITUM.

### LIBRI QUARTI.



LIBRI

# INDEX CAPITUM.

## LIBRI QUINTI.



28. De

FINIS.



~~6~~

10–2–4

